RERUM TOTO ORBE GESTARUM CHRONICA A CHRISTO NATO AD NOSTRA VSQUE...




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
21 0
26

RERVM
TOTO ORBE GESTARVM
CHRONICA
A Christo nato ad nostra vsque tempora.

AVCTORIBVS
EVSEBIO CÆSARIENSI EPISCOPO
B. HIERONYMO PRESBYTERO
SIGEBERTO GEMBLACENSI MONACHO
ANSELMO GEMBLACENSI ABBATE
AVBERTO MIRÆO BRVXELL. ALIISQ.

Omnia ad antiquos codices mss. partim comparata, partim nunc primùm in lucem edita.

Operâ ac studio eiusdem
AVBERTI MIRÆI, *Canonici & Scholarchæ Antuerp.*



ANTVERPIAE.
APVD HIERONYMVM VERDVSSIVM.
ANNO M.DC.VIII.

R^dis ET NOBILIBVS VIRIS

D. IOANNI DEL RIO

DECANO ANTVERPIENSI

S. R. E. PROTONOTARIO


CETERISQ. COLLEGIS MEIS

AVBERTVS MIRÆVS


DICO



CONSECROQ.



OGITANTI mihi iampridem de rebus Belgicis potissimùm ecclesiasticis illustrãdis, quod hac temporum calamitate morumq; strage necessarium videbatur; commodum SIGEBERTI Gemblacensis monachi Chronicon, vt creditur, autographum in manus incidit. Quod quidem cum editis libris comparando, multa ab indoctis hominibus adsuta, aut ab impijs inserta esse comperi. Animus itaque mihi creuit, Spartam, quam semel nactus essem, seriò exornandi. Neque enim rerum nostrarum scriptor, cuius auctoritate potissimùm niterer, SIGEBERTO vetustior aut fidelior reperiri posse videbatur. Atq; isto historico accuratè lustrato, dubius hærebam, vn-



denam primæ nascentis Ecclesiæ origines mutuarer: cùm in mentem mox venit, EVSEBIVM, & qui eum Latina ciuitate donauit ac produxit, B. HIERONYMVM, potiùs Sigeberto (illos enim ordine excipit) præmittendum, quàm vt mea commenta venditarem. Veteres igitur codices calamo exaratos vndique dum colligo, Eusebius optimæ notæ, initialibus siue vncialibus, vt Hieronymi voce vtar, litteris ante annos mille plus minus integrè descriptus, ex Amandino sodalium Benedictinorum apud Neruios cœnobio, virgulâ quadam diuinâ obuenit. Quod exemplar vetustatis nomine venerandum sequi præ ceteris placuit. Subsequentes post Sigebertum annos ANSELMVS Gemblacensis Abbas, & alij nostrates aliquot chronographi auctarijs supplent. Illos, tametsi sæculi vitio minùs elegantes, fidos tamen atque ad hanc diem ineditos subijcere volui. Ceterorum autem temporum, quæ insequuntur, Annales chronologicos ad nostram vsque ætatem ipse perduxi: verbis tamen auctorum, quos aduoco, vt penes illos sit fides, plerumque seruatis.

Quidquid id est vigilijs ac labore nostro elucubratũ, Vobis, REVERENDI ET NOBILES VIRI, meritò inscribimus ac nuncupamus: vt exstet nimirum apud posteros amoris inter nos mutui pignus ac monumentũ, cupio quidem certè, sempiternum.

Anni

Anni enim ferè decem ſunt, cùm me Louanio, velut à mercatu optimarum diſciplinarum venientem benignè excepiſtis; veſtroque ſodalitio adſcriptum peramanter habuiſtis. Et verò cuinam collegij veſtri in Rempublicam, Deique ſponſam Eccleſiam merita ſunt ignota? Dediſtis olim Romanæ Vrbi Pontificem HADRIANVM VI. Caroli V. Cæſaris verè Auguſti in ſtudijs formatorem; GVILIELMVM item ENCKEFORTIVM Cardinalem; Veſontionibus autem Archiepiſcopum FRANCISCVM BVSLIDIVM: cuius frater Hieronymus, Aërienſis apud Arteſios Præpoſitus, trilingue Louanij gymnaſium, ſuo ac Franciſci fratris ære, excitauit. Capita huius corporis inſignia vidiſtis FRANCISCVM SONNIVM & LÆVINVM TORRENTIVM, libris editis claros; GVILIELMVM A BERGIS, nunc Cameracenſium Archiepiſcopum; IOANNEM denique MIRÆVM, quem publico Deus bono ſeruet ac ſoſpitet. Noſtrâ memoriâ Gandenſes PETRVM DAMANTIVM, & nuper Iprenſes CAROLVM MASIVM, Antiſtites veſtro è cœtu acceperunt. Taceo *Henricum Somerenum*, qui baſilicæ noſtræ Decanus cum eſſet, Sixto IV. Pontifici Maximo gratiſsimus exſtitit, atque hortante Beſſarione Cardinale Niceno, eodemque Apoſtolico per Germaniam Legato, epitomen Dialogorum Guilielmi Occami concinnauit, & Louanij in typographiæ

infantia evulgauit. Omitto *Guilielmum Hedam*, qui Vltraiectinorum Antistitum Comitumq; Hollandiæ res gestas litteris consignauit; lucem tamen typis nondū acceperunt. Prætereo *Conradum Goclenium*, primum eloquētiæ in Buslidiano apud Louanienses gymnasio professorē. Sileo *Tilmannum Bredenbachium*, qui Ioannis Moschi, Cassiani, ac Cæsarij exemplo, Collationū sacrarū libros edidit: *Ioannem* denique *Liuineium*, Græcè Latineque doctissimum, qui non pauca Gregorij Nysseni, Ioannis Chrysostomi, Theodori Studitæ, aliorumque veterum Patrum monumenta de Græcis Latina reddidit. Absit tamen, vt *Petrum Dalium* ingrato silentio transeam, qui Ballariæ, Gestellæ, Berselæ & alibi toparcha, non tam opibus, quas longè amplissimas à parentibus cōsecutus erat, quàm recto earum vsu laudandus videatur. Fuit enim eximiâ in primis liberalitate, quâ complurium ciuium suorum laborantem fortunam subleuauit, adflictamque erexit, & multos ad honestum vitæ statū perduxit. Vtque ad posteros etiā beneficentiæ manaret vtilitas, alendis Theologiæ, Iurisprudentiæ ac Philosophiæ candidatis, insigne Louanij collegium, quod *Dalense* siue *Antuerpiense* nuncupant, suo ære excitauit; tanto quidem peristyliorum apparatu, vt Ser^mis Belgicæ nostræ Principibus hospitium præbere soleat. De superstitibus stilum continebo, ne ad os loqui, vel

vel captare gratiam assentando videar. Illud tamen nequaquam prætermittendum, quod priori loco commemorandum fuit, de adornanda nimirum publica Bibliotheca, vnà cum amplissimis vrbis nostræ Consulibus, NICOLAO ROCCOXIO, & HENRICO HALMALIO, totoque Senatu, seriò vos cogitare: quo haud scio an quidquam ad laudem illustrius, aut ad excitanda nostrorum ciuium ingenia accommodatius excogitari possit. Atque istud quidem negotium, mihi à vobis creditum, vt, quo cœpistis ardore, ad exitum perducatis, maiorem in modum rogo atque obtestor. Antuerpiæ Kalendis Septembris, M. DC. VIII.



APPROBATIO.

SIGEBERTI GEMBLACENSIS Chronicon, per D. *Aubertum Miræum* Canonicum & Scholasticum Ecclesiæ cathedralis Antuerpiensis, ad autographum aliosque veteres manuscriptos codices accuratè collatum; & vbi opus videbatur, marginalibus adnotationibus, Lectoris caussâ, instructum, vtiliter excudi posse censui. Duaci 22. die Augusti, 1606.

Bartholomæus Petrus, S. Theologiæ Doctor, & in Duacensi Academia Professor.

Nihil vtilius, iucundiusque dicebat olim Diodorus Siculus, *quàm in humanæ vitæ theatro, quod historia partibus omnibus mirè instructum habet, sedentem periculis aliorum, sine suo periculo, cautum sapientemque fieri: exempla capere omnigena, quæ ad vsum tuum vtiliter qualibet in re traducas.* Quarè operæ pretium fecit Reuerendus D. *Aub. Miræus*, qui ex auctoribus *Eusebio, Hieronymo, Sigeberto, Anselmo, aliisque* præsens hoc rerum toto orbe gestarum *Chronicon* summo studio concinnauit; quodque prioribus deerat, suo labore & industria suppleuit, & ad hæc nostra vsque tempora produxit. Quo sanè cùm nihil vtilius, iucundiusque sit, dignum censeo, quod luce donetur. Actum Antuerpiæ VI. Kal. Septemb. M. D. CIIX.

Laurentius Beyerlinck, Theologus & Canonicus Antuerp. librorumque Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLAE *Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. priuilegio Hieronymo Verdussio concesso, omnibus aliis typographis & bibliopolis interdicitur, ne quis hæc rerum toto orbe gestarum Chronica, studio Auberti Miræi Canonici Antuerpiensis edita, intra sexennium typis excudat, aut alibi impressa venalia habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia pœna multabitur vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 27. Martii 1608.*

Büschere.

PAVLLVS PETAVIVS
In ſuprema curia Pariſienſi Senator regius
D E
EPOCHA *annorum incarnationis* CHRISTI; *Indictionibus;& varijs, ab annis* CHRISTI *ſupputandi, modis.*



VETERES tractanti hiſtorias, debet præcipuum eſſe ſtudium in æra, & computis temporum. Verè enim tertio Chronici ſui ad Iuonem Carnotenſem præfatur Hugo Floriacenſis monachus; *Res geſtas, quæ nulla temporum, ac Regum certitudine commemorantur, inter aniles potiùs fabulas, quàm inter hiſtorias deputandas.* Hæc dum animo repeto, & inquiro in epocham, quæ Romanæ ſeu Latinæ Eccleſiæ, ante mille demùm annos primùm innotuit: ab annis ſcilicet Domini Saluatoris noſtri IESV CHRISTI; perlectis cuiuſcumque ætatis ſcriptis, tanta occurrit diſſentientium varietas, vt memoriæ recurrerit illud Pſeudoli Plautini: I.

Hæc quidem pol credo niſi Sybilla legerit,
Extricare alium poſſe reor neminem.

Habenda tamen epocha illa, eaque certa, & firmis innixa fulturis, quæ non vacillet. Sine fundamenti enim ſoliditate, non poteſt ſtructura vlla conſiſtere:

Denique vt in fabrica, ſi praua eſt regula prima,
Omnia mendosè fieri, atque obſtipa neceſſum eſt.

Quod igitur in re maximè difficili, ob auctoritatem varia & diuerſiſſima ſententium, magis veriſimile mihi viſum eſt, quã facillimè potero, prodam.

Prima præcipuaque ratio, cur huiuſce rei difficilis ſit notitia, hæc eſt: quòd *Dionyſius* Abbas Romanus, natione Scytha, cognomento *Exiguus*, auctor primus fuit ab incarnatione Domini annos numerandi: cum priùs per Conſules, aut annos Vrbis cond. ſeu Imperatorum, vel per Olympiades deſignarentur. Quod tamen ipſe, non animo nouandi, ſed aliud agens, & dum encyclia ſua Paſchalia proponit, inuexit in Eccleſiam; anno (vt ipſe inſit, epiſtola ad Petronium Epiſcopum) Diocletiani CCXLVIII. qui Chriſti fuit DXXXII. Verba eius hæc ſunt: *Sanctus Cyrillus Alexandrinæ vrbis Archiepiſcopus, cyclum ſuum XC. & V. annorum, ab anno Diocletiani* CLIV. *cœpit, & vltimũ in* CCLVII. *terminauit. Nos à* CCXLVIII. *anno eiuſdem tyranni potiùs, quàm principis incohantes, noluimus circulis noſtris memoriam impij, & perſecutoris innectere: ſed magis elegimus, ab incarnatione Domini noſtri* IESV CHRISTI, *annorum tempora prænotare: quatenus exordium ſpei noſtræ notius nobis exiſteret, & cauſſa*

Dionyſius Exiguus fuit primus auctor annos à Chriſto numerãdi. Scripſit an. 526.

* repa-

reparationis humanæ, * *item paßio redemtoris nostri euidentius eluceret.* Ex quibus præterea patet, similem caussam fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ, cur numerarint annos suos, primò à Diocletiano; dein (illius nominis odio) à sanctis Martyribus; quæ vna eademque epocha est: licèt anno demùm imperij sui XIX. in Christianos sæuire cœperit Diocletianus. Et durat adhuc Alexandrinis hic mos. Quod obiter indicatum, ne Christianitatis istum perduellem id fieri edicto præscripsisse, sibi quis persuadeat. Itaque cùm ante Dionysium Exiguum, nullus huiusce computationis vsus fuerit, haud mirum, si primis vagientis Ecclesiæ annis, sancti illi Patres, Dei præcepta accuratiùs, quàm Domini nostri IESV CHRISTI tempora obseruarint.

* Beda c. 57. De natura rerum, legit, id est.

Alexandrinorũ ratio numerandi.

Quibus præmissis, ac resecatis ambagibus variarum disquisitionum, quæ aliundè, quàm ex luce, & veritate Euangelica assumuntur: fatebor mihi his aliquando variè agitato, tandem hunc sese obtulisse portum; quod Lucas, B. Paulli discipulus, Euangelij cap. 2. sanctam MARIAM CHRISTVM peperisse monuit, *eo anno, quo ex Cæsaris Augusti edicto, sub Præside Cyrenio, Syriæ descriptio facta est.* Id quia ab Euangelista est, à quo dissentire Christiano nefas, in hac annorum Christi indagine, nobis pro hypothemate sit, necesse est. Restabit igitur, vt de anno censitionis istius, ad inueniendum incarnationis & natiuitatis Dominicæ annum, sola sit quæstio. Iosephus cap. 1. & 3. lib. 18. Iudaïc. Antiquit. vult ἀποτίμησιν hanc factam Herode Rege mortuo; anno, postquam Antonius Actiaco bello à Cæsare Aug. superatus est, XXXVII. Atqui C. Cæsare III. & M. Valerio Messalla Coss. (anno ergò Vrbis conditæ DCCXXIII.) IV. Non. Septemb. fugatus ad Actium Antonius, idest currente anno XIII. postquam Octauianus Cæsar primò Imperator salutatus est. Quod scilicet contigit anno secundo à morte Iulij Cæsaris: C. Vibio Pansa, & A. Hirtio Coss. eâ die, quâ fuso Antonij exercitu per Hirtium, tam Consules ipsi, quàm Cæsar, à militibus & Senatu, ex Ciceronis sententia, Imperatores appellati sunt; vel, cùm primum Consulatum adeptus est, quem scilicet inijt XIX. mensis Sextilis, eiusdem anni, mortuo vtroque Consule. De eo enim Tacitus lib. 1. Annal. *Idem dies accepti quondam imperij princeps, & vitæ supremus fuit*: hocque ipsum, de illiusdem primo Consulatu notant Dio, Suetonius, & Macrobius. Fasces autem suscepêre Pansa & Hirtius, anno Vrb. conditæ (ex Palilibus) DCCX. vt auctor Solinus cap. 2. Qui tamen annus DCCXI. Vrb. conditæ erit, si ex vsu, qui post Iulianum annum Romanis fuit, annorum Vrbis initium facias à Kalendis Ianuarijs.

Ex quibus consequens est, secundùm Iosephi epilogismum, L. demùm imperij Augusti anno, & ante eius obitũ VII. Syriæ descriptione occupatum fuisse Cyrenium. Obijsse enim Augustum LVII. imperij anno, notat idem Iosephus, subscribuntque omnes. Quod à vero absonum negauerit nemo; condonandusque Iosepho lapsus, in re gesta centum fermè annis, antequam ipse scriberet: cùm B. Ireneum, huic fermè coæuum, 2. aduersus Hæreses

cap.

cap. 39. CHRISTVM, quinquagesimo ætatis anno, in terris docuisse, contra ætatis suæ hæreticos, hoc speciatim pernegantes, videamus asserere. Annum autem Syriæ descriptionis mortem Augusti, XV. annis præcessisse, docet idem Lucas, cap. 3. cùm ait, *anno Imperij Tiberij* XV. *baptizatum* CHRISTVM, *cùm esset incipiens, quasi annorum* XXX. At sine controuersia est, mortuum Augustum, duobus Sextis Pompeio & Apuleio Coss. XIV. Kalend. Septemb. anno ætatis LXXVI. diebus V. & XXX. minùs; ex Suetonio, cap. 100. & alijs. Annus autem is erat Vrbis conditæ DCCLXVII. à quo abiectis XV. ab hac Euãgelica veritate, necesse est, vt annus Syriæ descriptæ, & natiuitatis Domini IESV CHRISTI, sit Vrbis conditæ DCCLII. Augusti ætatis LXI. Imperij (ex his, quæ præmisimus) XLII. & tertius Olympiadis CXCIV. Diem autem natalem, VIII. Kalend. Ianuarij adscribere, cùm semper in eo vniuersa Latina Ecclesia consenserit, numquam hæsitatum à me. Incarnationis certè dies cùm fuerit nouem ante natiuitatem mensibus, VIII. scilicet Kal. Aprilis: & mutentur Olympiadum anni, à prima lunatione, post æquinoctium autumnale, natusque sit Augustus XXIII. Septembr. primoque Imperator nuncupatus, Iulio vel Augusto mensibus; contigerit incarnatio CHRISTI, consequens est, anno secundo Olympiadis CXCIV. Augusti ætatis LX. Imperij XLI. & anno Vrbis conditæ, ineunte à Palilibus, id est ab XI. Kal. Maij, DCCLI. Verùm quia, ab emendato anno à Iulio Cæsare, cœptum est à Kalendis Ianuarij Vrbis annos numerare, & annus emendationis (qui V. conditæ DCCIX.) ex Cæsaris edicto, initium habuit à Kalendis Ianuarij, anni Vrbis à Palilibus DCCVIII. sequitur, vt ex computatione illa, quæ deinceps Romanis in Actis publicis obseruata, idem Vrbis conditæ annus fuerit, & incarnationis & natiuitatis CHRISTI: nempe DCCLII. Quem vsum non omnes tamen scriptores secuti sunt, & plerique non destiterunt à Palilibus, Vrbis annos numerare, etiam post anni solaris reparationem à Iulio Cæsare factam (quæ cœpit annis XLIV. & tribus ferè mensibus ante incarnationem CHRISTI: at XLV. hebdomada minùs, ante natiuitatem) nec non post Augusti emendationem, quæ anno XVIII. post Iulianam contigit. Quod ἀκριβῶς non obseruatum, virum alioquin eruditè diligentem, induxit, vt Vrbis annis vbique vnum detraheret, cùm legisset, puta, Cæsarem interfectum anno Vrbis cond. DCCIX. Pansam & Hirtium Consules fuisse anno item DCCX. & his similia. Quæ cùm de anno Vrbis ab XI. Kal. Maij incipiente, accipienda essent, de anno emendato interpretatus est; vnde vnius anni ἀλογιστία facilè irrepsit.

Sed ad Syriæ descriptionem redeo: & ne cui, è metachronismo Iosephi, vllus remaneat scrupulus; è scriptoribus Romanis, hoc ipso anno, quo natus est CHRISTVS, id est V. cond. DCCLII. quasi digito indicare difficile non fuerit, Cyrenium in Syria fuisse, & tum prouinciæ istius factam descriptionem (seu per Sentium Saturninum, vt vult Tertull. 4. aduersus Mar-

cionem cap. 19. seu per ipsummet Cyrenium Præsidem: vt è dicto Iosephi loco, infert Eusebius, Histor. eccles. lib. 1. cap. 3. Iosephi enim de Cyrenio, hæc sunt verba: Α'ξιώματι μέγας, σιω ὀλίγοις ἐπὶ συρίας παρῆν ὑπὸ καίσαρος, δικαιοδότης τῶ ἔθνυς ἀπεσαλμένος καὶ τιμητὴς τῆς ὀσιῶν γενησόμενος. Quæ apud Iosephū ita reddidit Rufinus: *Censor gētis, à Cæsare destinatus, & appretiator vniuscuiusq; substantiæ*. Apud Eusebiū ita vertit: *A Cæsare ius dare gētibus missus, & cēsor patrimoniorum futurus*. Nam Cyrenius iste Syriæ Præses, is est, qui P. Sulpicius Cyrinius, Dioni lib. 54. dicitur; quique cum M. Valerio Messalla Barbato Consul fuit, anno Vrbis DCCXLII. Vnde Iosepho, in extremis libri 17. Antiq. Iudaic. dicitur * ἀνὴρ ὑπατικός. At, auctore Cor. Tacito 3. Annalium, P. iste Sulpicius Quirinius, *acribus ministerijs sub D. Augusto consulatum, mox insignia triumphi adeptus, datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium Rhodi agentem, coluit: Caium autem Cæsarem, Augusti nepotem, in Orientem, ob defectionem Armeniæ, missum eo anno, quo Augustus Tiberium, tribuniciæ potestatis sibi collegam cooptauit*: statimque Rhodum secessisse Tiberium, auctor Dio lib. 55. Idque tribuit anno Consulatus C. Antistij Veteris, & D. Lælij Balbi, id est Vrb. conditæ DCCXLVIII. cùm tamen Suetonius, in Tiberio cap. 9. honorem hunc tribuniciæ potestatis adscribat anno proximè præcedenti; cuius titulus fuit, Consulatus ipsiusmet Tiberij iterum, & Cn. Calpurnij Pisonis. Monuit autem & Dio, sub idem tempus, Augustum descriptionem egisse in Italia degentiū, καὶ μὴ ἐλάττω πέντε μυριάδων οὐσίαν κεκτημένων, qui ad ducentia sestertia posideret: tenuiores verò, quique extra Italiam habitarēt, tumultus, & turbarū metu abhac tum demùm functione, immunes fuisse. Itaque, rebus breui pòst tempore firmatis, metuque posito, cum profusâ liberalitate partum, iugi munificentia retinendum putaret imperium Augustus, exhaustoque iamdudum ærario, fiscoue: indictus census per vniuersum orbem: ipso scilicet Augusto XII. & L. Sulla Coss. id est, anno Vrbis DCC XLIX. Cumque in prouincijs, ipsa rei nouitate, anceps & dubius timeretur euentus, vt in ceteras Romani orbis partes misi, qui Imperatoris mandata exsequerentur: ita Augusto XIII. & M. Plautio Siluano Coss. id est Vrb. conditæ DCCLII. Sulpicius Cyrenius, à comitatu C. Cæsaris euocatus, in Syriam proximam Armeniæ Præses ire iussus est: inque illius locum C. Cæsari M. Lollius datus custos. Quæ è Taciti prænotato loco, & è Suetonij, libro 3. c. 11. & 12. coniicere facile fuit. Ait enim Suetonius, *Tiberium transacto tribuniciæ potestatis tempore* (id est quinquennio) *cùm Caium Orienti præpositum visendi gratia, traiecisset Samum, sensisse eum sibi alieniorem, ex criminationibus M. Lollij comitis, & rectoris eius*. Atqui rem gestam narrat Suetonius, ipso anno incarnationis & natiuitatis IESV CHRISTI: & tum Lollius C. Cæsaris rector, non etiam Cyrenius; qui tamen è Tacito, primùm comes Caio datus fuerat.

* Vir consularis.

Sed antequam vltrà progredior, non tacebo; quæ è Dione superiùs adduxi, facile induxisse, vt, cum Computistis, crederem, institutas sub Augusto

In-

INDICTIONES. Quæ quidem ſub *Conſtantino*, vt vulgò creditur; vel *Theodoſio*, vt vult Cedrenus, factæ demùm annorum indices, Olympiadis reiectis: non etiam primùm inuentæ. Id ſanum nec febrile eſſe, conuincit; quòd Iulianus & Paullus de fundo indictioni obligato, reſponderunt in l. 13.5.6. de Action. empt. & 28. de vſu & vſufr. Ambigi præterea video, tributumne capitis, aut patrimonij fuerit. Super quo viſum mihi; ab initio, mixtum ius vtrumque fuiſſe; cùm non paſsim omnes, ſed qui ad certam quantitatem agrorum poſsiderent, cenſerentur, modò, per ſingulas prouincias variè præfinitum, ætatis annum attigiſſent. Nam qui deſcriptioni præerat, è Cenſualibus, ſeu Actorum libris, annum ætatis vniuſcuiuſque cenſitioni obnoxij, annotabat, addebatque modum cenſus ac tempus, quo cenſum ſoluere inciperent, qui tum, infra præſcriptam ætatem, adhuc agerent. Ætas autem illa, non eadem vbique, ſed pro diuerſitate prouinciarum, varia & diſtincta fuit. Syrij certè, de quibus ſermo, ab annis duodecim feminæ, à quatuordecim maſculi, tributo obligati fuêre; vt ab Vlpiano didicimus l. 3. D. de Cenſibus. Idem & obſeruatum apud alios plures; indeque factum, vt XV. annis conſtaret Indictio. Nam in quindecennium fiebat deſcriptio: inque longiùs tempus fieri non poterat. Necdum enim tum nati, qui proximè ſequenti decimoquinto anno, functione onerandi erant. Variatum deinde eſt, & iam ipſius Vlpiani ætate, aliud *Iugatio* fuit, aliud *Capitatio*. Agri ſiquidem, vt cum Tertulliano loquar, tributo onuſti, & hominum capita ſtipendio cenſa fuêre. Ex primæua autem illa cenſitione & illud vtilitatis emergere voluit Caſsiodorus 3. Variar. epiſt. 52. quòd nulli ſua incerta poſſeſsio: *Auguſti*, inquit, *temporibus, orbis Romanus agris diuiſus, cenſuque deſcriptus eſt, vt poſſeſsio ſua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum ſuſceperat quantitate ſoluenda.* Initium verò Indictionum, idem quod anni fuit: ſicque Romani poſt ſolſtitium hiemale, Græci à prima lunatione poſt æquinoctium autumnale, computarunt Indictiones. Cumque iſti menſes mobiles non fixos, vt Romani habuerint; primuſque eorum menſis, ab ipſa prima lunatione poſt æquinoctium autumnale cœperit, quæ vt plurimùm XXIV. Sept. contingebat, factum eſt, vt Romana Indictio, aliam epocham, quàm Græca habuerit. Græcam autem ſecuti ſunt qui poſt Conſtantinum Imperatores fuêre, quique eorum imperio ſubditi; & ita accipiendum, quod B. Ambroſius monuit, *Indictiones menſe Septembri incipere.* At Romani Pontifices ſemper ſuam retinuêre, adhucque hodie retinent.

Indictiones quando initiatæ.

Cuius rei fuerit tributũ ſiue cenſus.

Indictionũ initiũ.

Nunc redeundum mihi ad annum incarnationis, & natiuitatis Domini noſtri IESV CHRISTI; cuius characteriſmus fuit, Auguſti XIII. & M. Plautij Siluani Conſulatus: vt eſt auctor Epiphanius; non etiam L. Caluiſij Sabini, & L. Paſsieni Rufi, vt vult Sulpicius Seuerus; aut L. Corn. Lentuli & M. Valerij Meſſallini, vt Caſſiodorus, & alij tradidêre. Certam autem eſſe, quam ſuperiùs propoſui, annorum compaginem, manifeſtum præterea fit, ex his, quæ cap. 21. annotauit Cenſorinus: *Annus*, inquit, *hic, Vlpij & Pontiani*

tiani consulatus: ab Olympiade prima millesimus est & decimus quartus, ex diebus dumtaxat æstiuis, quibus agon Olympicus celebratur; à Roma autem condita DCCCCXCI. *& quidem ex Parilibus, vnde Vrbis anni numerantur; eorum verò annorum, quibus Iulianis nomen est,* CCLXXXIII. *sed ex die Kalend. Iannar. vnde Iulius Cæsar, anni à se constituti fecit principium, &c.* Hæc Censorinus, qui Iulianos annos, non ab anno emendationis, (vt plerique alij) sed ab anno publicationis computat, quo cæsus ipse Iulius, quique fuit Vrb. conditæ annus DCCX. CHRISTI incarnationem præcedens annis XLIII. & tribus penè mensibus. Qui anni XLIII. detracti è CCLXXXIII. relinquent, Vlpij & Pontiani Consulatum incidisse in annum incarnat. Dominicæ CCXL. Iam eosdem CCXL. annos reijce è DCCCCXCI. Vrbis conditæ, & MXIV. Olympiadum; sequetur incarnatū CHRISTVM, anno Vrb. conditæ DCCLI. Olympiadum verò DCCLXXIII. id est, anno secundo Olympiadis CXCIV. natum autem, anno Vrb. conditæ DCCLII. & tertio eiusdem Olymp. CXCIV.

Eusebiani chronici laus. Melchiorē Canū lib. 11. De locis Theologicis c. 6. cōsule.

Quod omnino quadrat cum his, quæ Eusebius Cæsariensis, *vir in primis eruditissimus atque doctissimus* (Victorij de eo verba sunt) in suo Chronico obseruauit. Chronicum autem illud (omissis Hieronymi, aliorumque notis satis testimonijs) ipse Marcellinus Comes, *mirandum opus* dixit. Et Claudius initio libri, ad Adonem presbyterum, De sex ætatibus, *Per omnes ecclesias legi* scribit, *laudabile inter cetera quæ edidit: in quo* (inquit) *miro modo, per diuersa gentiū regna, & gentilium chronographos, ac diuinæ scripturæ auctoritatem, omnes annos à condito mundo, vsque ad passionem domini in carne,* MMMMMCCXVIII. *collegit.* Quæ dicta velim, nō quòd vnius fuisse putem, in disquisitione plurimorum annorum, obductā tanta vetustatis caligine veritatē, in omnibus proferre & promere: sed vt (præter digesta superiùs, & obseruata à me) hæsitantium mētes, viri, tanti in Ecclesia nominis, auctoritate firmarem, in re, vt dixi, exploratu difficili, ob variantes peritiorum sententias.

Varij modi ab annis Christi supputandi.

Addi his debet, non omnes eodem modo ab annis CHRISTI numerasse. Galli enim à Resurrectione seu Passione Domini, anni principiū fecerūt: vt è Gregorio Turonensi liquet, veteribusque Ecclesiæ Gallicanæ synodis, nec non ex vsu immutato sub *Carolo* IX. anno demum 1567. qui primus apud nos, à Circumcisione Domini, seu Kalendis Ianuarijs incepit: antea enim, sancta Resurrectionis dies, natalis erat anni nostri. Quam quidem diem, à Nicæna synodo, ex præscriptis illic regulis, obseruauimus. Priùs autem quacumque die, VIII. Kalend. April. fuisset, Pascha semper celebrabant nostrates Galli: quoniā CHRISTI resurrectio ea die fuisse tradebatur, nempe XXV. Martij. Quod ἐν ὁδῷ adnotasse nos, nemini graue esse debet, propter motam pridem à doctis viris, de die Resurrectionis cōtrouersiam. Id docuit epistola synodica Theophili Cæsariensis, doctoris antiqui, & vicini apostolicorum temporum, auctore Beda cap. 47. De natura rer. cuius epistolæ verba hæc esse feruntur: *Omnes Galli vnum diem anniuersariū*, VIII. *Kalend. April. pro Paschate tenent, dicentes: Quid nobis est ad Lunæ compotum cum Iudæis facere Pascha? & cum*

& cùm Domini natalem, quacumque die venerit VIII. *Kalend. Ianuar. ita* VIII. *Kalend. April. quando ea die resurrectio* CHRISTI *fuisse traditur, debemus Pascha tenere.* Ceterùm & eâdem die XXV. Martij, feriaque prima, mundus creari cœpit, vt Victorius & alij tradidêre, & incarnatio CHRISTI contigit, sed feria VI. vt auctor Hugo Floriacensis. Obseruaui item & quosdam, à baptismo Domini suorum annorum numerum incohasse. Romani autem epocham Natiuitatē CHRISTI habuerunt, incipiebatque annus à vesperis vigiliæ ipsius natiuitatis. Inde vetera Kalendaria Ecclesiæ Romanæ, natalem Domini primum diem habent: cuiusmodi optimæ notæ manuscriptum habemus. Idque speciatim indicauit auctor libri, cui nomen est, *Memoriale* * *Historiarum*: (quem Canonicus quidam sancti Victoris Parisiensis, & doctus & diligens, circa annum 1322. conscripsit: siue is, *Ioannes* cognomento * *Parisiensis* fuerit, siue alius:) *Annos*, inquit, *annotabimus ab ipso die Dominicæ natiuitatis, secundùm vsum Romanum anni principium incohantes*. Hocque ipsum & Ioannes Lucidus, è concilio Constantiensi, manifestò comprobat. At quamuis à multis sæculis, is vsus fuerit Romanæ Ecclesiæ, tamen in publicis actis, & rescriptis Pontificijs, fieri supputatio notabatur, ab incarnatione domini. Ea de re, elegans locus, apud historiographum Anglum, cuius PR. *Cum infinita*: *Cum annus*, inquit, *incarnationis, à natiuitate Domini incipiat, cerei Paschalis consuetudine non seruatâ, Carolus Magnus anno ab incarnat. Domini* DCCCI. *& regni* XXXIV. *ætatis* LIX. *ecclesiam B. Petri, ad audiendam Missam, petijt: & cùm facta oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti imposuit, & à cuncto populo acclamatum est; Carolo Augusto à Deo coronato, Magno, & Pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria: & pòst, ab Apostolico, more Romanorum Principum, adoratus est, atque ablato Patricij nomine, Imperator & Augustus meruit appellari.* Ergò, quamuis exprimeretur incarnationis annus, inibatur tamen à natiuitate. Et præterea notare est, in cereo Paschali, non solùm passionis & resurrectionis Dominicæ, (quod è secundo Braccarensi concilio, & Beda cap. 47. De nat. rer. obseruatum,) sed & verum incarnationis annum populis exhibitum fuisse: idque etiamnum hodie passim factitari videmus. Ad hæc, illud subdam è Sermone quodam (ante D. annos conscripto, die dedicationis Ecclesiæ sancti Petri Lemouicensis,) plures duobus istis articulis, POST. & A. negligenter, in numero temporum, abuti; alterum pro altero in eodem intellectu ponentes, cùm tamen vnitate distent. Sic cùm Matthæus cap. 17. & Marcus cap. 9. aiunt, *post dies sex transfiguratum* IESVM CHRISTVM: interpretandum, die septimo, non etiam sexto à primo: idque Lucas cap. 9. ita expressit, *Factum est ferè dies octo*, &c. id est, septimo die, non etiam octauo. Quorum meminisse, non, fortean, prorsus inutile fuerit.

* *Incipit* Labilis est hominū memoria &c.

* *Certè, in veteri laterculo Canonicorum S. Victoris, sub hoc ipsum panè tēpus, habetur.* Ioānes de Parisius.

FRAN-

FRANCISCVS HARÆVS
DE
Christi anno natali.

Libro de Olympiadibus & Fastis, Coloniæ an. 1602. edito.

II. IMP. Cæsare Augusto XIII. & M. Plautio Siluano Consulibus, D. N. IESVS CHRISTVS, Dei filius, in Bethleem Iudæ nascitur, VIII. Kalendas Ianuarij. De eo S. Epiphanius, qui claruit ante annos amplius mille ducentos, exactior inter omnes veteres talium rerum obseruator, his verbis tradit, libro secundo agens aduersus hæresim quinquagesimam primam: *Nascitur*, inquit, *Saluator quadragesimo secundo anno Augusti Regis Romanorum.* Et nonnullis interiectis: *Hæc autem facta in Consulatu Octauij Augusti decimo tertio, & Siluano Consule.* Sic ibi. In Fastis etiam ecclesiasticis, hoc est Martyrologio Ecclesiæ, quotannis XXV. Decembris, sic eadem res grato animo recolenda proponitur: *Olympiade centesima nonagesima quarta; ab Vrbe Roma condita anno septingentesimo quinquagesimo secundo, anno imperij Octauiani Augusti quadragesimo secundo,* IESVS CHRISTVS *æternus Deus, æternique Patris filius, mundum volens aduentu suo pijssimo consecrare in Bethleem Iudæ nascitur, ex* MARIA *Virgine factus homo.* Hæc ibi. Quin hac ratione etiam, & vix aliâ, quadrat illud Lucæ 3. cap. *Anno quinto decimo Tiberij Cæsaris, & ipse* IESVS *erat incipiens quasi annorum triginta*, vt ex sequentibus clariùs patebit. Et inter recentiores similiter his Consulibus dicit CHRISTVM esse natum Onufrius Panuinius in suis Fastis, * itẽ Cæsar Baronius in suis Notationibus ad Martyrologium Romanum, editis apud Plantinum anno 1589.

** Iosephus item Scaliger, & alij neoterici.*

Interim idem Baronius, cùm non solum ibi, sed passim vbique in ijsdem Notationibus secutus esset calculum Onufrij (vt videre est in anno mortis SS. Petri & Paulli, XXIX. Iunij, & alibi, & ipse quoque fatetur in initio suorum Annalium, agens de anno nati CHRISTI;) postea paucis interiectis annis, laboriosè, iam dicto loco Annaliũ, conatur adstruere CHRISTVM natũ præcedentibus Consulibus Lentulo & Messallino. Optaui & ego diu multumque, vt possem huic eius posteriori sententiæ accedere: sed vidi me non posse, nisi reclamante rationis indagine. Quare, benigne Lector, tuque in primis Vir illustrissime simul & doctissime, rogo candidè accipite, si potiùs cum Onufrio, quem & vestra eruditio, & totus, vt dicam, orbis multis annis (excepto errore in primis Pontificibus per eum commisso) venerabundi susceperunt, & ego sentiam: maximè quòd & eius qui prior est tempore, potiora quoque videantur esse iura. Baronij, dicto loco Annalium, hæc sunt verba: *Iam omnia*, inquit, *contrahentes in vnum, dicimus Redemtorem natum vicesima quinta Decembris, C. Cornelio Lentulo & M. Valerio Messallino Consulibus, Augusti Imperatoris ab inito Triumuiratu quadragesimo primo, à nece Cæsaris quadragesimo secundo, Herodis Regis anno vicesimo nono incohato, ab Vrbe condita septingentesimo primo, Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno secundo.* Sic ibi Baronius

ronius. Sed primùm, si illi Consules constituunt annum Augusti quadragesimum secundum, non debebat in ijsdem Annalibus mox annus sequens, inscriptus Augusto XIII.& Siluano Consulibus, iterum ab eodem Baronio vocari annus Augusti quadragesimus secundus. Quippe à Kalendis Ianuarijs annum auspicabantur Romani, & loquendum est, vt multi, monente prouerbio. Deinde, nisi vehementer fallar, repugnat etiam ipsi, quod est de anno Vrbis cōditæ in Martyrologio Romano, ab eodem quoque Baronio Notis illustrato. Nam vt audiuimus, dicit Martyrologium, CHRISTVM *natum anno ab Vrbe condita septingentesimo quinquagesimo secundo*. Iam verò Consules à Baronio positi, sicut secundùm veterem supputationem ab Holoandro & alijs in tabulas digestam, & multis annis approbatam, adscribuntur anno Vrbis septingentesimo quinquagesimo primo, ita secundùm correctiorem Fastorum rationem, à Sigonio, Contio, & alijs traditam, ponuntur hi Consules tantùm anno vrbis septingentesimo quinquagesimo; atque ita nullo modo, quinquagesimo secundo.

Vehementer pro se vrget Baronius illa verba D. Ignatij, in epistola ad Trallianos: καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου: quæ ille sic vertit: *Et expletis tribus annorum decadibus baptizatus est à Ioanne*: quasi Christus baptizatus sit anno tricesimo completo, & tricesimo primo ineunte. Sed verbū illud πολιτευσάμενος potest & sic accipi, vt tantùm sit sensus; *Cùm Christus per tres decades iam politiam & œconomiam Patris administrasset*. Et certè, si quis harum subtilitatum seu difficultatum ignarus interrogetur, quid sibi velint illa verba Lucæ 3. cap. ad quæ Ignatius alludit, *Anno quinto decimo Tiberij Cæsaris & ipse* IESVS *erat incipiens quasi annorum triginta*; prorsus respondebit, annum decimum quintum Tiberij esse annum CHRISTI tricesimum, & non tricesimum primum; quod contendit Baronius. Denique argumento illi alteri præcipuo, cui innititur, à traditione Romanæ Ecclesiæ desumto, & ex V. Beda & alijs, vt videtur, stabilito, opponimus, ne prolixiores simus, testimonium eiusdem Ecclesiæ ex Martyrologio Romano, de anno Vrbis iam recitatum: quod nullo modo, vti ostendimus, sententiæ Baronij potest accommodari.

Soluūtur difficultates, circa annū Christi natalem moueri solitæ.

Atque hæc quidem pluribus, quàm instituti mei ratio alioqui permitteret. Sed dolebat, quòd supputationes annorum, ab Onufrio satis rectè constitutæ, imò & ab ipso Baronio olim in Notationibus ad Martyrologium Romanum receptæ & approbatæ, hoc modo rursum velut in dubium reuocarentur.

At nunc etiam alia expediamus. Et primùm quidem, quod Lucas Euangelista cap. 2. dicit, Christo iamiam nascituro, descriptionem factam sub Præside Syriæ Cyrino, seu Quirino; à nonnullis impugnatur, ex Iosepho, lib. 17. Antiquitat. cap. vltimo & libro sequenti, vbi censum Quirini multis annis postea constituit. Et alibi etiam satis indicat, Sentium Saturninum toto hoc tempore Syriæ præfuisse. Quod & Tertullianus sensisse videtur, lib. 4. aduersus Marcionem cap. 19. Sed breuiter ad hanc quæstionem respondens doctissimus

mus vir *Iac. Pamelius*, in Notationibus suis ad locum illum Tertulliani, dicit Cyrinum seu Quirinum per Sentium Saturninum tunc egisse censum; Iosephum verò intelligendum esse de censu alio postea adhuc semel per eumdem Quirinum facto. Neque id mirum. Nam annis quinque ante Christum natum, Balbo & Antistio Consulibus, C. Cæsarem adolescentē, Augusti filium adoptiuum, dato ei rectore P. Sulpicio Quirino, toti Orienti fuisse præpositum, Tacitus lib. 3. Annal. irrefragabilis testis est. Interim & nouus quidam modus census seu descriptionis tunc fuisse significatur, cùm dicitur *hæc descriptio prima*. Nempe Judæam dudum anteà, & sæpiùs fuisse censam, præter Iosephum, etiam Dio. lib. 30. adserit. Baronius etiam pluribus hæc disputat, sed hæc videntur sufficere.

Rerum Hispania lib 6, c. 26

IOANNES MARIANA, SOC. IESV,

De annorum varia ratione.

III. ANNVM Sol ambitu facit Zodiaci signa percurrens, diebus trecentis sexaginta quinque & quadrante: *mensem* Luna auctu, senio, labore describit, idem spatium circumagens diebus viginti nouem, horis duodecim. Tempus in annos tribuere receptum est omnium gentium more, annum in menses. Vnde vniuersa difficultas existit, quoniam Lunæ & Solis conuersiones, multum inter se discrepantes, exæquare dierum numero, promptum non est: quamuis multis ingenijs & temporibus in eâ inquisitione consumtis.

Annorū ratio apud Romanos antiquissimos

Annum antiquissimi *Romani* ad Solis numerum, lationesque accomodarunt, variâ inconstantique ratione in decem menses explicatum: è quibus sex tricenûm essent dierum, quattuor tricenis & singulis complerentur, *Martius, Maius, Quintilis, October*: totus annus diebus quattuor & trecentis descriptus erat. Principium, mensis *Martius*, vti aliorum mensium nomina indicio sunt, *Quintilis, Sextilis*, consequentium. Rudi sæculo, ingenijsque nulla eruditione expolitis, in quæ incommoda incurreretur, non considerabant, æstatis ferias in hiemem verti, veris in autumnum: quæ maxima perturbatio est.

Apud Arabes & Saracenos.

Arabes, vnde gens Mahumetana hausit, annis describendis ad Lunæ tantùm conuersiones respexerunt, duodecies per signa Zodiaci circumactæ. Vnde duodecim menses conflati; sex, dierum viginti nouem, triginta sex, alij: vniuersus annus diebus trecentis quinquaginta quattuor descriptus. Quod institutum inter Romanos Reges *Numa Pompilius* imitatus est, ad antiquam anni rationem quinquaginta diebus adiectis, geminoque mense *Ianuario*, atque *Februario*. Sed eueniebat longiori quidem quàm antea tempore, certissimo tamen, vt frigus æstiuis mensibus, calor hiemalibus proueniret. In quod incommodum vt gens Maurica incurrat, necesse est, antiquo rudique instituto ad hanc ætatem mordicùs retento. Nam ceteris cura fuit omnisque labor, Lunæ Solisque conuersiones, exæquato dierum numero, inter ipsas

Apud Romanos, æuo Numæ Pompilij.

com-

comparare: vnde omnis inconstantia varietasque corrigeretur, magno ingeniorum labore, successu impari.

Græci octauo quoque anno euoluto, dies nonaginta, in tres menses tributos, effluere sinebant. Idem eorum exemplo fecêre posteriores *Romani*, paucis tantummodò commutatis. *Hebræi* & *Aegyptij*, vti erant cælestium rerum omnium præ ceteris cognitione præstantes, hanc speciem emendationis, quam *Intercalationem* Latini vocarunt, prudentiùs excogitarunt; annis nouemdecim, quo spatio omnis Lunæ conuersionis varietas consumitur, septem menses certis interuallis intercalantes. IVLIVS CAESAR, Romanâ Republicâ oppressâ, ad aliquam suæ prouidentiæ partem pertinere iudicauit, temporum rationem, quæ nimium inter Romanos perturbata erat, acriori studio emendare. *Sosigenes* Mathematicus rerum cælestium peritissimus, & *Marcus Fabius* Scriba rerum Romanarum in consilium adhibiti. Iis adiutoribus annus quidem, ad Solis numerum, trecentis sexaginta quinque diebus & quadrante descriptus est: eoque singulis quattuor annis dies vnus consumitur, ad sextum Kalend. Martij, quem ob id *Bissextum* nominarunt. Lunæ ratio atque inconstantia omnis * *Aureo numero* comprehensa est: quem ab vnitate procedentem vsque ad nouemdecim, Kalendario Romano adiecerunt, decem & nouem annis septem Lunas, Ægyptiorum instituto, intercalantes. Ratio tunc commodissima visa est, vt certus temporum status perseueraret: sed progressu temporis, ob quasdam minutias, non satis in describenda anni ratione consideratas, deprehensum, neutram rationem cum Solis numero conuenire. Itaque gens Christiana, quæ ex Iul. Cæsaris imitatione, quo ad statiuas quidem ferias, Solarem, quo ad conceptiuas autem Lunarem annum sequebatur, se multum à proposito aberrare deprehendit; neque anni initium in idem tempus incidere, neque Aureo numero, quâ caussâ institutus erat, Lunæ exortum designari deprehendique. Eoque GREGORIVS XIII. Pont. Max. salutis anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo, vtrumque errorem correxit, Aureo numero expuncto, detractoque è Kalendario, atque in eius locum maiori numero substituto, quem * *Epactas* nominauit. Præterea ex mense Octobri ineunte decem dies detracti eo quidem anno sunt: quò anni solaris initium ad competentem, à veteribusque descriptam sedem reuocaretur; quam ne deinceps mutaret, Bissexti intercalatione, certis interuallis omittenda, prudenter excogitatum, atque prouisum.

Apud Græcos. Romanos posteriores. Hebræos & Ægyptios.

Romanos, tempore I. Cæsaris.

* *De eo vide prolegomena ad Breuiariũ Rom.*

Apud Christianos.

Gregorij XIII. Põt. Max. auo an. 1582.

* *De ijs vide prolegomena Breuiarij Rom. & librum, De noua ratione restituendi Kalẽdarij Rom.*

Ceterùm Mauri ab æuo Mahumetis (qui prauæ superstitionis conditor, felicibus armis, Heraclij Imp. ignauiâ, Damasci, quæ Syriæ vrbs est nobilissima, imperium gentis arripuit, regiaque insignia sumsit) annos computant *Egiræ*, quod Arabibus nomen expeditionem significat. Quo id salutis anno contigerit, auctores variant, neque in colligendo consequentium annorum numero, opinionibus conueniunt. In promptu caussa est; quòd annum Mauri, vt paullò ante dictum est, vndecim diebus & quadrante minorem nostro anno faciant. Quod plerique scriptores non considerantes, eius computa-

Egiræ ratio apud Mauros, Arabes & Turcas.

Anni Arabum minores nostris.

putationis initium non vno loco designarunt; ab anno salutis quingentesimo nonagesimo secundo vsque ad annum sexcentesimum vicesimum septimum, mirabili ac pudendâ varietate, inerrantes. Cuius discrepantiæ eam exstitisse caussam arbitror; quòd alijs atque alijs temporibus annos Arabum cognoscentes, neque considerantes eos annos minores nostris esse, retrò conuersâ ratione, diuersa numerandi principia designarunt, posteriores priora. Nobis in tantâ varietate, quid potissimùm sequeremur, in ambiguo diu fuit. Id tamen verisimile maximè videtur, Arabum computationem incohandam esse salutis anno sexcentesimo vicesimo secundo, Idibus Iulij, die Iouis; vti Annales Toletani testantur, ante annos trecentos confecti. Quod re cum Iudæis & Mauris deinde communicatâ, * libello dicato, certâ ratione conuicimus. Consentiunt lapidum inscriptiones, & incorrupta vetustatis monumenta. Quamuis Roderico Ximenio, Præsule Toletano, & Isidoro Pacensi discrepantibus, atque eius computationis initium salutis anno sexcentesimo octauo decimo designantibus, hoc est, septimo Heraclij Imperatoris anno: plerisque, in quo maior peruersio est atque confusio, vtriusque nationis annos exæquantibus; quod fieri non debuit.

Incipit ea an. 622.

* *Is libellus, De annis Arabũ, vt & alter De die & anno mortis* Christi *exstat inter Tractatus VII ad Paulũ V.*

De Eræ ratione, apud Hispanos.

Mariana rerum Hisp. lib. 3 cap. 24.

Bello Perusino confecto, cùm Triumuiros inter Octauianum Augustum, M. Antonium & M. Lepidum, prouinciarum facta esset partitio, anno ab Vrbe condita septingentesimo quarto decimo; Hispania omnis in Octauiani ius ditionemque concessit, Coss. Cn. Domitio Caluino, & C. Asinio Pollione. Quo ex anno Hispani cœperunt annorum numerum & computationem incohare, eam quam *Eram Domini*, aut *Eram Cæsaris* dicere consueuerunt, tum in historia, actionum formulis, atque priscis conuentuum ecclesiasticorum actis, tum priuatim in sermone familiari. Adiunguntur nonnumquam anni à CHRISTI ortu salutati, octo & triginta annorum à priori computandi ratione intervallo discrepantes, paucioresque. Ita annus CHRISTI primus, *Eræ Cæsaris* nonus & tricesimus fuit. Nam quòd *Ioannes Margarinus*, Gerundensis Antistes, sex & viginti annis tantùm ante CHRISTI ortum Eram Cæsaris auspicatur, in eo quid secutus fuerit, faciliùs est conijcere, quàm certa aliqua ratione pronunciare: cùm aliorum omnium opinio resistat. Et fortè Ægyptiorum computationem, de qua mox sermo recurret, cum Hispanica confudit; similitudine falsus, quoniam ea etiam gens ab Augusti imperio annos numerare cœpit. Huius supputationis & caussam & nomen declarare promtum non est, in tanta sententiarum & iudiciorum hac de re varietate. Auctores numero & auctoritate potiores, & doctrinæ opinione clari, atque in hoc numero *Dion*, hoc ipso anno affirmant, post bellum Perusinum, L. Antonio deuicto, M. Antonij fratre, nouam prouinciarum partitionem inter Triumviros factam, & oppressâ penitus, atque conuulsâ Romanæ Reipublicæ libertate, Hispaniæ imperium M. Lepido collega concedente, cui in priori partitione obuenerat, Octauio Cæsari cessisse, Lepido Afri-

Era incipit anno Vrbis con. 714.

Christi annus 1. fuit Eræ 39.

Africam. Vnde quod *Antiochenos* secutos fuisse memoriæ proditum est, idemque *Aegyptios*, sublatâ post vndecim annos Cleopatrâ, vsurpasse, vt ab Augusti imperio annorum numerum, & rationem incoharent; idem sibi faciendum esse iudicauit Hispania, pro ingenio mortalium, noui Principis obsequio delinita, & in assentationem effusa. Hæc de Hispanicæ computationis initio. Antiochenorum & AEgyptiorum ratio supputandi.

De ERAE voce pauca. Eræ *Lucillio* & *Ciceroni* ea capita rationarij sunt, vnde dati & accepti vniuersa summa conflatur. Inde traducta vox est ad librorum capita, & legum numerum designandum: quod in *Isidori* libris & Gothicis legibus non vno loco factitatum obseruamus. Ab hoc initio extensâ amplius eius vocis significatione, summam quamque rationem temporis, atque adeò promiscuè tempus quodcumque, numerumque *Eræ* nomine designare, atque intelligere cœperunt homines præsertim Hispani, tum Latino sermone, tum maximè vulgari, quæ ex Romana proculdubiò nominis argumento, atque ex vocum affinitate certissima coniectura manauit. *Hildericus* etiam *Gallus*, æqualis Isidoro, *Eras dierum* dixit, pro numeris dierum; & inter astrologos Eras nonnulli vocarunt tempora seu fundamenta illa & positionem astrorum (vnde rationes temporum deriuantur) ad quæ cælestium corporum motus reuocantur, diriguntúrque. Errant ergò, quicumque ex Isidori testimonio atque auctoritate, qui ceteros in errorem induxit, Eram putarunt ab ære dictam; quòd eo anno, vnde tota hæc supputatio incohatur, *Cæsar Augustus* primùm tota Romana ditione tributum imperasset, cunctis mortalibus relatis in ærarios. Nam neque scribendæ eius vocis ratio cum ea notatione consentit, neque eo anno, vnde Eram Cæsaris incohamus, nouum vectigal imperatum prouincijs inuenimus. Sanè hæc supputandi ratio, anno salutis millesimo trecentesimo octogesimo tertio *Segobiæ*, vbi conuẽtus Principum habiti sunt, *Ioanne* eius nomine primo Castellæ Rege, antiquata est, atque ad CHRISTI ortũ reuocata. Quod [a] paullò ante fecerant *Valentini*, *Lusitani* [b] non multò pòst imitati sunt, exemplo aliarum prouinciarum; vti *Iustiniani* Imperatoris ætate *Dionysius* Abbas Romanus, sublatis alijs supputandi rationibus, excogitasse primus, atque inuexisse in Rempublic Christianam memoratur.

Era quid significet.

Era non est dicta ab ære.

An. 1383

a 1358.

b 1415.

AVBERTVS MIRÆVS
LECTORI S. D.

IV. VT apud alias gentes, sic & apud Belgas varia computandi atque incohandi annos ratio fuit. Alij enim à die natali IESV CHRISTI, seu solstitio hiberno, Bruma Latinis; nonnulli à Kalendis Ianuarijs; alij à verno æquinoctio, seu Annuntiationis angelicæ die; alij denique à Paschate anni initium ducebant. Brabanti nostri, Flandri, Cameracenses alijque, ad annum vsque millesimum quingentesimum septuagesimum septimum more Ecclesiæ Gallicanæ, epocham in Paschate collocarunt: quæ cōputandi ratio diplomate regio tunc antiquata est, commodiorque inducta, à Kalendis Ianuarijs principio numerandi facto. Quod quidem commercijs aliarum nationum, & Christiani orbis consensui prudenter atque vtiliter est datum. Ceterùm Eburones, quos Leodicenses nominamus, hodieque à die natali Saluatoris initium computandi sumunt. Itaque non est, quòd discrepantes nostratium subinde chronographorum sententias quispiam miretur, cùm anno quidam, alij biennio inuicem discedunt. Caussa in promtu est; quòd non ab eodem omnes pūcto siue temporis momento annum incohent. Lambertus certè Scafnaburgensis, & cum eo plerique Germanorum chronographi, ab ortu CHRISTI; Christianus Massæus, Franciscus Haræus alijque ab eiusdem Circumcisione, seu Kalendis Ianuarijs; Iacobus Meyerus & alij rerum Flandricarum scriptores non pauci, à Paschate exordiuntur.

An. 1577

Quod ad annum CHRISTI natalem attinet; cum Eusebio, Epiphanio, Orosio, Onufrio, Pontaco, Mariana, Haræo, Ios. Scaligero, Abrah. Bucholzero, alijsque sic statuendum videtur; CHRISTVM, Dei filium, natum esse VIII. Kal. Ianuarij, numero Eusebiano, siue anno ab ortu Abrahami MMXV. Olympiadis CXCIV. anno tertio, anno ab Vrbe condita septingentesimo quinquagesimo secundo; Augusti imperij anno quadragesimo secundo; Octauiano Augusto XIII. & M. Plautio Siluano Consulibus. Orosium, fidum Eusebij asseclam, libet audire: *Sunt*, inquit, *ab Adam primo homine, vsque ad Ninum magnum, vt dicunt, Regem, quando natus est Abraham, anni* MMMCLXXXIV. *qui ab omnibus historiographis vel omissi vel ignorati sunt. A Nino autem vel Abraham, vsque ad Cæsarem Augustum, id est vsque ad natiuitatem* CHRISTI, *quæ fuit anno imperij Cæsaris* XLII. *cùm, facta pace cum Parthis, Iani portæ clausæ sunt, & bella toto orbe cessarunt, anni duo millia* XV. Idem alibi disertè testatur CHRISTVM natum anno Vrbis DCCLII.

Petauium cōjulc. §. 1

Lib. 1. c. 1.

Lib. 7. c. 3.

Annum porrò à Christo nato primum Haræus, Scaliger, Bucholzerus alijque statuunt annum imperij Augusti quadragesimum tertium: à Kalendis nimirum Ianuarijs ordientes, quibus CHRISTVS est circumcisus, & Consules creati Cossus Cornelius Lentulus, & L. Calpurnius Piso. Manuscripti

ſcripti tamen codices, Aquicinctinus, Ortelianus & Lipſianus, ad quos Euſebij chronicon comparauimus; Arnaldus item Pontacus & alij, notam primi * anni Chriſtiani quadrageſimo ſecundo Auguſti anno præfigunt: quod & nos fecimus, ne quid temerè, contra fidem mss. exemplarium, mutaremus.* Pontacum quidem & hoc, quod alibi allegat, fortaſſe mouit; *quòd alioqui annus* XX. *Constantini non fuiſſet annus Chriſti* CCCXXIX. *nec prodiiſſent anni* CCCLXXXI. *à Chriſto vſque ad annum* XIV. *Valentis*. Vt vt ſit, longè certior mihi ratio videtur, per *Conſules* (quorum annuus erat magiſtratus, atque à Kalendis Ianuarijs initium ducens) quàm per *Imperatores*, annos Chriſti, primis præſertim ſæculis, conſtituendi. Anni namque Imperatorum, vt pleni ſemper aut rotundi non ſunt, & variè à varijs enumerantur, magnam in numeris Chriſtianis, Euſebij chronico apponendis, confuſionem adferunt. Sed de his rebus alibi fortaſſe commodior erit dicendi locus. Interea, benigne Lector, huic noſtro conatui faue, & vale.

* *ευωτα-δοχικῶς.*

* *In Notis ad Euſebij chronicon, ad an. 307.*

FINIS.





DOMINI. ROMANORVM. IVDÆORVM.

1. XLII. XXXII.
2. XLIII. XXXIII.

ERTVLLIANVS in eo libro, quem contra Iudæos scripsit, adfirmat CHRISTVM XLI. anno Augusti natū, & XV. Tiberij esse passum.

[a] IESVS CHRISTVS, filius Dei, in Bethleem Iudæ nascitur.

a Hoc loco in mss. Aquic. Lipſ. & Ortel. XLII. Augusti, Christi verò I. annus notatur.

Quirinus, ex consilio Senatus, in Iudæam missus, census hominum possesionumque describit.

CXCV. OLYMP.

Colliguntur omnes ab Abraham, vsque ad natiuitatem CHRISTI, anni MMXV.

3. [b] XLIIII. XXXIIII.

b In iisdem mss. est XLIII.

C. Cæsar amicitiam cum Parthis facit.

[c] Sextius Pythagoricus Philosophus agnoscitur.

c In citatis mss. notatur hoc loco XLIV. Augusti annus. De Sextio Lipſ. ad Senecæ epist. 59.

Augustus Tiberium & Agrippam in filios adoptauit.

4. XLV. XXXV.

Iudas Galilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur.

[d] Herodes, cùm CHRISTI natiuitatem Magorū indicio cognouisset, vniuersos Bethleem paruulos iussit interfici.

d Hic XLV. in iisdem mss. & sic ferè deinceps.

5. XLVI. XXXVI.

Herodes morbo intercutis aquæ, & scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter & dignè moritur.

DOM. ROM. IVD.

MMXX. 6. XLVII. Asinius Pollio, Orator & consularis, qui de Dalmatis triumpharat, LXXX. ætatis suæ anno, in villa Tusculana moritur. XXXVII. *Iudæorum Dux* ARCHELAVS *ann.* IX.

CXCVI. OLYMP.

7. XLVIII. In Herodis locum ARCHELAVS ab Augusto substituitur, & Tetrarchæ fiunt quattuor fratres eius, HERODES, ANTIPATER, * LYSIAS & PHILIPPVS. I.

* Lysanias.

8. XLIX. Fames Romæ ita ingẽs facta, vt quinque modij venderentur denarijs XXVIII. II.

Philistio Mimographus, natione Magnesianus, Romæ clarus habetur.

9. L. Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatasque in Romanam redigit potestatem. III.

10. LI. Athenodorus Tarsensis, Stoicus Philosophus, & M. Verrius Flaccus, Grammaticus, insignes habentur. IV.

CXCVII. OLYMP.

11. LII. Athenienses, res nouas contra Romanos molientes opprimuntur, auctoribus seditionis occisis. V.

12. LIII. VI.

13. LIIII. Messalla Coruinus, Orator, ante biennium quàm moreretur, ita memoriam ac sensum amisit, vt vix pauca verba coniungeret, & ad extremum vlcere sibi circa sacram spinam nato, inedia se confecit, anno ætatis LXXII. VII.

14. LV. VIII.

CXCVIII. OLYMP.

Augustus, cum Tiberio filio suo, censum Romæ agitans, inuenit hominum nonagies tercentena & * LXX. millia.

* Sic omnes mei mss. itemque Pontacus.

15. LVI. Sotio philosophus Alexandrinus, præceptor Senecæ, clarus habetur. IX.

Arche-

DOM. ROM. IVD.

Archelaus, nono anno regni sui, in Viennam, vrbem Galliæ, relegatur. | *Iudæorum principatum tenet* HERODES *Tetrarcha ann.* XXIV.

* Sic omnes mss. reliqui.

Defectio Solis facta, & Augustus *LXXVI. ætatis suæ anno Atellæ in Campania moritur, sepeliturque Romæ in Campo Martio.

Romanorum III. regnauit TIBERIVS ann. XXIII.

MMXXX. 16. *I. Caius Asinius Gallus, Orator, Asinij Pollionis filius, cuius etiam Virgilius meminit, diris I.
17. II. à Tiberio supplicijs enecatur. II.
18. III. Liuius Historiographus Patauij moritur. III.

* In mss. Aquic. Lip. & Oter. annus Christi 16. hoc loco expressè notatur. Idem est Arnaldo Pôtaco, Vasatensi Episcopo. Iosepho autem Scaligero est an. 15.

CXCIX. OLYMP.

Ouidius Poëta in exsilio diem obijt, & iuxta opidum Tomos sepelitur.
19. IV. Germanicus Cæsar de *Parthis triumphauit. IIII.

* Scaliger Chattis.

20. V. Tredecim vrbes terræ motu conciderunt, Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, Æge, Hierocæsarea, Philadelphia, Tmolus, Temnus, Cumæ, Myrina, Apollonia, Dia Hyrcania. V.
21. VI. Fenestella, historiarũ scriptor & carminum, septuagenarius moritur sepeliturque Cumis. VI.
22. VII. Tiberius multos Reges, ad se per blandimenta euocatos, numquam remisit; in quibus & Archelaum Cappadocem: cuius regno in prouinciam verso, Mazacam nobilissimam ciuitatem Cæsaream appellari iussit. VII.

CC. OLYMP.

23. VIII. Pompeij theatrum incensum. VIII.
24. VIIII. Tiberius Drusum consortem regni facit. VIIII.
25. X. X.
MMXL. 26. XI. Drusus Cæsar veneno perit. XI.

*Q. Haterius, promtus & populari Orator, vsque ad XC. prope annos in summo honore consenescit.

* Tacitus l. 4. Annal.

Sævius Plautus, corrupti filij reus, semet in iudicio interficit.

DOM. ROM. | IVD.

CCI. OLYMP.

DOM.	ROM.		IVD.
27.	XII.	Philippus Tetrarcha Paneadem, in qua plurimas ædes construxerat, Cæsaream Philippi vocauit, & Iuliadem aliam ciuitatem.	XII.
28.	XIII.	*Pilatus, Procurator Iudææ à Tiberio mittitur.	XIII. * In mss.
29.	XIV. Tacitus lib. 4. Annal.	* Votienus Montanus Narbonensis, Orator in Balearibus insulis moritur, illuc à Tiberio relegatus. Herodes Tiberiadem condidit, & Liuiadem.	XIV. Aquic. Lipf. & Ortel. & apud Pontacum est annus XV. & sic deinceps. Scaliger verò, cũ nostro codice ms. Amandino hic, vt & alibi non rarò cõsentit.
30.	XV.	IOANNES, filius Zachariæ in deserto iuxta Iordanem fluuium, prædicãs CHRISTVM filium Dei in medio eorum adesse testatur.	XV.
	* Vide Baron. in Annal.	* Ipse quoque Dominus IESVS CHRISTVS hinc in populos salutarem viam annuntiat, signis atque virtutibus vera comprobans esse, quæ diceret.	
		Computantur in præsentem annum, id est XV. Tiberij Cæsaris,	
		A secundo anno instaurationis templi, quæ facta est sub altero anno Darij, Regis Persarum, anni DXLVIII.	
		A Salomone autem & prima ædificatione templi, anni MLX.	
	* In alijs mss. & apud Põtacum MDXXXIX. Scaligero, MDXXXVIII.	A Mose & egressu Israelis ex Ægypto, anni * mille quingenti viginti nouem.	
		Ab Abraham & regno Nini & Semiramidis, anni duo millia quadraginta quattuor.	* In alijs mss. item Pontaco & Scaligero DCCCCII.
		A diluuio vsque ad Abraham, anni * DCCCCXLIII.	
		Ab Adam vsque ad diluuium MMCCXLII.	* Beda, Marianus, Ado, Contractus, aliique diserte tradunt, Eusebium hæc referre ad 16. an. Tiberij.

CCII. OLYMP.

*PRINCIPIVM LXXXI. IOBELEI, secũdũ Hebræos.

DOM.	ROM.		IVD.
31.	XVI.	IESVS CHRISTVS, filius Dei, salutarem cunctis prædicans viam, miracula, quæ in Euangelijs scripta sunt, facit.	XVI.
32.	XVII.	IESVS CHRISTVS, filius Dei, discipulos suos diuinis imbuens sacramentis, vt vniuersis gẽtibus conuersionẽ ad Deũ nuntient, imperat.	XVII.

IE-

DOM. ROM. — IVD.

33. XVIII. IESVS CHRISTVS, secundùm prophetias, quæ de eo fuerant prælocutæ, ad passionem venit, anno Tiberij XVIII. Quo tempore etiam in alijs ethnicorum commentarijs hæc ad verbum XVIII.
34. XIX. scripta reperimus: *Solis facta defectio: Bithynia terræmotu cócussa, & in vrbe Nicæa ædes plurimæ corruerunt.* Quæ omnia his congruunt, quæ in passione Saluatoris acciderant. Scribit verò super his & * Phlegon, qui Olympiadarum egregius supputator est, in XIII. libro ita dicens: *Quarto autem anno CCII. Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta: dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ in cælo visæ sint, terræque motus in Bithynia, Nicænæ vrbis multas ædes subuerterit.* Hæc supradictus vir. XIX.

* De quo Photius in Bibliotheca, & Andr. Schottus in Notis ad eamdem.

* Argumentum autem huius rei, quòd Saluator isto anno passus sit, Euangelium præbet Ioannis; in quo scribit, post XV. annum Tiberij Cæsaris, tribus annis Dominum prædicasse.

* Baronium consule in Annal. & Pontacum hoc loco.

Iosephus etiam, vernaculus Iudæorum scriptor, circa hæc tempora, die Pentecostes, sacerdotes primùm commotionem locorum, & quosdam sonitus sensisse testatur: deinde ex adyto templi repentinam subitò erupisse vocem dicentium: * TRANSMIGREMVS EX HIS SEDIBVS.

* Lege Tacitum l. 5. hist. Iosephum l. 6. c. 31. & Hieronymum non vno loco.

Scribit autem supradictus vir, quòd eodem anno Pilatus Præses, secreto noctis, imagines Cæsaris in templo statuerit, & hæc prima seditionis & turbarum Iudæis caussa exstiterit.

* Ecclesiæ Hierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatur IACOBVS, frater Domini.

* In ceteris mss. codicibus hic notatur XIX. Tiberij annus. Sic & à Scaligero.

Ex hoc loco considerandum, quantæ deinceps calamitates Iudæorum gentem oppresserint.

* Cassius Seuerus, Orator egregius, qui Quintianum illud * prouerbium luserat, XXV. exsilij sui anno, in summa inopia moritur, vix panno verenda contectus.

* Tacitus 4. Annal. & Lipsi. ibidem.

* Scaligero, *prouerbium*.

DOM. ROM. IVD.

CCIII. OLYMP.

Pilatus post supradictam seditionem, quæ ob Cæsaris imagines fuerat concitata, sacrum thesaurum, quem * Corbanan Iudæi vocant, in aquæ ductum Hierosolymorum expendens, secundæ seditionis præbuit semina.

* Sic & in ceteris mss. Pontaco *Corbonam*, Scaligero *Corban*.

35. XX. Seianus, Præfectus Tiberij, qui apud eum plurimum poterat, instantissimè cohortatur, vt XX.
MML. 36. XXI. gentem Iudæorum deleat. Philo meminit in XXI.
libro Legationis secundo.

Persius Flaccus, Satyricus Poëta, Volaterræ nascitur.

Agrippa, filius Herodis Regis, accusator Herodis Tetrarchæ, Romam profectus, à Tiberio in vincula conijcitur.

37. XXII. Pilato de Christianorũ dogmate ad Tiberiũ XXII.
referente, Tiberius retulit ad Senatum, vt inter cetera sacra reciperetur. Verùm cum ex con-
38. XXIII. sulto Patrum, Christianos eliminari Vrbe pla- XXIII.
cuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem. Scribit Tertullianus in Apologetico.

Multi Senatorum & Equitum Romanorum interfecti.

Tiberius in Campania moritur.

CCIIII. OLYMP.

Romanorum IV. CAIVS regnauit annis III. mensibus X.

39. * I. Caius Cæsar, cognomento Caligula, Agrip- XXIV.
pam vinculis liberatum, Regem Iudææ facit.

* In mss. Aquic. Lipf. & Ort. est annus CHRISTI 39. Idem Pontaco. At Scaligero est 38.

Caius semetipsum in Deos refert.

Flaccus Auilius, Præfectus Ægypti, multis Iudæos calamitatibus premit: consentiente Alexandriæ populo, & crebris aduersum eos clamoribus personante. Synagogas quoque eorum imaginibus, statuis, aris & victimis polluit.

Iudæorum Princeps AGRIPPA *ann.* VII.

[illegible] II. Refert Philo in eo libro, qui Flaccus inscribitur. I.

	DOM.	ROM.		IVD.
			tur, hæc omnia ſe præſente geſta; ob quæ etiam legationem ad Caium Cæſarem ipſe ſuſceperit.	
			* Paſſienus filius fraude heredis ſuæ necatur.	* Lipſ. ad Tacitum.
	41.	III.	Caius Memmij Reguli vxorem duxit, impellens eum, vt vxoris ſuæ patrem eſſe ſe ſcriberet.	II.
			Pontius Pilatus, in multas incidens calamitates, propria ſe manu interficit. Scribunt Romanorum hiſtoriæ.	
			Caius Petronio, Præfecto Syriæ, præcepit, vt in Hieroſolymis ſtatuam ſuam ſub nomine Iouis Opt. Max. poneret.	
			Toto orbe Romano, ſicut Philo ſcribit, & Ioſephus, in ſynagogis Iudæorum, ſtatuæ & imagines & aræ Caij Cæſaris conſecratæ.	
	42.	IV.	Plurimi nobilium interfecti à Caio.	III.
			Caius ſorores ſuas, quibus ſtuprum intulerat, inſularum exſilio condemnat.	
			Caius omnes exules iuſsit interfici.	
			Caius à protectoribus ſuis occiditur in palatio, anno ætatis viceſimo nono.	
			Romanorum V. CLAVDIVS regnauit annis XIII. menſ. VII. dieb. XXVIII.	

CCV. OLYMP.

	DOM.	ROM.		IVD.
	43.	* I.	Iſte eſt Claudius patruus Druſi, qui apud * Moguntiacum monumentum habet.	IIII. * Serarius hiſt. Mogũt. l. 1. c 15
* In mss. Aquic. Lipſ. & Ortel. eſt annus CHRISTI 43. idem Pontaco. at Scaligero 42.	44.	II.	PETRVS Apoſtolus, cùm primus Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romã * mittitur: vbi Euangelium prædicãs XXV. annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat.	V. * Proficiſcitur. Vide Pontacũ hoc loco, & Baron.
			MARCVS Euangeliſta, interpres Petri, AEgypto & Alexandriæ Chriſtum adnuntiat.	
	45.	III.	Primus Antiochiæ Epiſcopus ordinatur EVODIVS.	VI.
MMLX.	46.	IIII.	Agrippa Rex Iudæorum, annos VII. imperans, moritur. Poſt quem filius ſuus AGRIPPA à Claudio ſubſtituitur in regnum.	VII. *Iudæorum Rex* AGRIPPA *ann.* XXVI.
			Prophetia Agabi, qua in Actis Apoſtolorum famem in toto orbe futuram dixerat, ſub Claudio expletur.	

Clau-

DOM. ROM. IVD.

* *Lipsium in Notis ad Agricolæ vitam & Pontacū consule.*

Claudius de Britannis triumphauit, & * Orcadas insulas Romano adiecit imperio.

Domitius Afer Nemausensis clarus Orator habetur; qui postea, Nerone regnante, ex cibi redundantia in cœna moritur.

Clodius Quirinalis Rhetor Arelatensis Romæ insignissimè docet.

Inter Theram & Therasiam exorta est insula, habens stadia XXX.

CCVI. OLYMP.

47. V. I. Descriptione Romæ factâ sub Claudio, inuenta sunt ciuium Romanorum * LXIX. centena & LXIV. millia.

* *Sic & in mss. ceteris. Pontaco & Scaligero, LXVIII*

Thracia huc vsque regnata in prouinciam redigitur.

48. VI. II. Sub Procuratore Iudææ Cumano, in diebus Azymorum, tanta est Hierosolymis orta seditio, vt in portarum exitu, populo corruente,

49. VII. III. XXX. millia Iudæorum perierint.

Palæmon Vicetinus insignis Grammaticus Romæ habetur: qui quondam interrogatus, quid inter stillam & guttam interesset, *Gutta*, inquit, *stat; Stilla cadit.*

50. VIII. IIII.

Marcus Antonius Liberalis Latinus Rhetor grauissimas inimicitias cum Palæmone exercet.

CCVII. OLYMP.

51. IX. V. Fame factâ in Græcia, modius sex drachmis venundatus est.

52. X. VI. Magna fames Romæ.

Claudius Felicem Procuratorem Iudææ mittit; apud quem Paullus Apostolus accusatus, in defensionem sui perorat.

53. XI. VII.

54. XII. VIII.

Sub

DOM. ROM. IVD.

CCVIII. OLYMP.

55. XIII. Sub Felice Procuratore Iudææ exstiterunt multi, qui populum sua persuasione deciperent: in quibus & Aegyptius quidam pseudopropheтes fuit; qui plurimos sibi adsocians, in ipso magnarum rerum conatu, per exercitum Felicis opprimitur. Scribit Iosephus consentanea Apostolorum Actibus, in quibus Paullo dicitur à Tribuno: *Nónne tu es Aegyptius, qui ante hos dies concitasti & eduxisti in desertum IV. millia virorum?* IX.

MMLXX. 56. XIV. Claudius moritur in palatio, anno ætatis LXIV. X.

Romanorum VI. regnauit NERO ann. XIII. mensibus VII. dieb. XXVIII.

57. * I. Huius auunculus fuit Caius Caligula. XI.

Felice regente Iudæam, seditio in Cæsarea Palæstinæ orta magnam Iudæorum multitudinem perdidit.

58. II. Festus succedit Felici: apud quem præsente Agrippa Rege, Paullus Apostolus religionis suæ rationem exponens, vinctus Romam mittitur. XII.

* In mss. Aquic. Lips. & Ortel. est annus Christi 57. Idem Pontaco, at Scaligero 56.

CCIX. OLYMP.

59. III. Probus Berytius eruditissimus Grammaticorum Romæ agnoscitur. XIII.

60. IV. Statius * Vrsulus Tolosensis celeberrimè in Gallia Rhetoricam docuit. XIV.

61. V. Terræ motus Romæ, & Solis defectio. XV.

62. VI. Nero Agrippinam matrem suam, & sororem patris interficit. XVI.

* Sic præter Amandinum & codex Ort. Quibus suffragatur Suetonius.

CCX. OLYMP.

63. VII. Nero tantę luxuriæ fuit, vt frigidis calidisq; lauaretur vnguentis, retibusque aureis piscaretur, quę purpureis funibus extrahebat. XVII.

Nero Romæ cithara contendens superat.

Festo magistratui Iudææ succedit Albinus.

64. VIII. IACOBVS, frater Domini, quem omnes IVSTVM appellabant, à Iudæis lapidibus opprimitur: in cuius thronum SIMEON, qui & SIMON, secundus adsumitur. XVIII.

Ante mensam Neronis fulmen cecidit.

Post Marcum Euangelistam primus Alexandrinæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus ANNIANVS, qui præfuit annis XXII.

Persius moritur anno ætatis XXIX.

65. IX. Thermæ à Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellauit. XIX.

Nero, Romæ in citharistarum agone contendens, cunctos superat.

• Lipsium in Notis ad Senecam consule.

• M. Annæus Lucanus Cordubensis, Poëta, in Pisoniana coniuratione deprehensus, brachium ad secandas venas medico præbuit.

• Lips. ad lib. 15. Annal. Taciti.

MMLXXX. 66. X. • Nero, vt similitudinem Troiæ ardentis inspiceret, plurimam partem Romanæ vrbis incendit. XX.

• Vide Pontacum hoc loco.

• In Asia tres vrbes terræ motu conciderunt, Laodicea, Hierapolis, Colossæ.

Albino Florus succedit: sub quo Iudæi rebellauerunt contra Romanos.

• Tac. 15. Annal.

• Iunius Gallio, frater Senecæ, egregius declamator, propria se manu interficit.

Nos

DOM. ROM. IVD.

CCXI.[a] OLYMPIAS NON EST ACTA,

Nerone in ſuam præſentiam differente.

Duæ tantũ prouinciæ ſub Nerone factæ, Pontus [b] Polemicus, & Alpes Cottiæ, Cottio Rege
67. XI. defuncto. XXI.

Multi nobilium Romæ à Nerone interfecti.

[c] Nero in Olympiade coronatur, cerycas,
68. XII. citharistas, tragœdos, aurigas vario certamine ſuperans. XXII.

* Lucius Annæus Seneca, Cordubenſis, præceptor Neronis & patruus Lucani poëtæ, inciſione venarum & veneni hauſtu perit.

Rurſum Nero Iſthmia, Pythia, Actia celebrans, inter cerycas, tragœdos & citharistas co-
69. XIII. ronatur. XXIII.

Neroni in expenſas, centies centena millia, decreto Senatus, annua ſubminiſtrantur.

Nero, cum ceteris viris inſignibus, & [a] Octauiam vxorem ſuam interficit, Cornutumque Philoſophum præceptorem Perſij, in exſilium fugat.

70. XIV. Muſonius & Plutarchus, Philoſophi inſignes habentur. XXIV.

[a] Lucius Annæus * Mela, Senecæ frater & Gallionis, bona Lucani poëtæ filij ſui à Nerone promeretur. * Mella.

Primus Nero ſuper omnia ſcelera ſua, etiam perſecutionem in Chriſtianos facit: in qua PETRVS & PAVLVS glorioſè Romæ occubuerunt.

Contra Iudæos, * qui Cæſtij Flori auaritiam non ferentes rebellabant, Veſpaſianus Magiſter militiæ à Nerone tranſmittitur. * Ceſti.

Veſpaſianus plurimas vrbes Iudææ capit.

a Sic & Pontacus ex mss. In reliquis meis mss. & apud Scaligerũ legitur continẽter, mortem eius Nerone &c.
b Polemoniacus Suetonio, Ammiano & alijs.

c Lipſium ad 16. Annal. Taciti conſule.

* De vita, ſcriptis & morte Senecæ, Lipſius fusè in comment. ad eumdem.

a Tac. 14. Annal.

a De eo Lipſius in vita Senecæ, cap. 2. & ad 16. Annal. Taciti.

Baron. in Annal. Lipſ. ad 15. Annal. Taciti, aliosque lege.

DOM. ROM. | IVD.

Fl. Iosephus scriptor historicus, dux belli Iudæorum, cùm à Romanis interficiendus esset, Vespasiano prænuntiat de morte Neronis, & eius imperio.

Platinam, Onufr. & Baronium consule.

Post PETRVM primus Romanam Ecclesiam tenuit LINVS annis XI.

Nero, cùm à Senatu quæreretur ad pœnam, è palatio fugiens, ad quartũ vrbis milliarium, in suburbano liberti sui, inter Salariam & Nomentanam viam, semet interficit, anno ætatis XXXII. Atque in eo omnis Augusti familia consumta est.

• *Tacitus lib. 1. hist.*

Post Neronem • GALBA in Iberia, VITELLIVS in Germania, OTHO Romæ imperium arripuerunt.

Marcus Fabius Quintilianus Romam à Galba perducitur.

CCXII. OLYMP.

GALBA VII. mense imperij sui, medio Romanæ vrbis foro, capite truncatur.

Vespasianus duobus prælijs superatos Iudęos ad muros compulit.

* Bedriacũ *restituit Lipsius in Notis ad 2. hist. Taciti.*

OTHO tertio regni sui mense, apud * Metriacum, propria manu occubuit.

Antiochiæ II. Episcopus ordinatur IGNATIVS.

• *Tac. 3. hist.*

• VITELLIVS, à Vespasiani ducibus occisus, in Tiberim proijcitur.

Romanorum VII. regnauit VESPASIANVS ann. IX. mens. XI. diebus XXII.

71. • I. Vespasianus apud Iudæam Imperator ab exercitu appellatus, & bellum Tito filio commẽdans, Romam per Alexandriam proficiscitur. XXV.

• *In mss. Aquic. Lips. & Orsel. est annus Christi 71. Idem beato Antonino & Pontaco, at Scaligero 70.*

Capitolium Romæ incensum.

Titus

DOM.	ROM.		IVD.
72. * Corn. Tacitus lib. 5 hist.	II.	* Titus Iudæâ captâ & Hierosolymis subuersis, sexcenta millia virorum interfecit. Iosephus verò scribit vndecies centena millia fame & gladio perijsse, & alia centum millia captiuorum publicè venundata. Vt autem tanta multitudo Hierosolymis reperiretur, caussam Azymorum fuisse refert; ob quam ex omni gente Iudæa ad templum confluentes, vrbe quasi carcere sunt reclusi. Oportuit enim in ijsdem diebus Paschæ eos interfici, in quibus Saluatorem crucifixerant.	XXVI.
73.	III.		
74.	IV.		
		Colligitur omne tempus in secundum annum Vespasiani, & nouissimam euersionem Hierosolymorum,	
		A XV. anno imperij Tiberij Cæsaris, & ab exordio Euangelicæ prædicationis anni XLII.	
		A captiuitate autem, quam ab Antiocho perpessi sunt, anni CCXXXVIII.	
		Porrò à Darij secundo anno, sub quo rursum templum ædificatum est, anni DXC.	
		A prima autem ædificatione templi sub Salomone, vsque ad nouissimam eius ruinam, quæ sub Vespasiano facta est, MCII.	

CCXIII. OLYMP.

75. * Tac. 4. hist.	V.	Vespasianus * Capitolium ædificare orsus.	
		In Alexandria facta seditio.	
MMXC. 76. * Scaliger legit, Trachea Cilicia.	VI.	Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, * Thracia, Cilicia, Commagene, quæ liberæ antea & sub Regibus amicis erant, in prouincias redactæ.	
77.	VII.	Colossus erectus, habens altitudinis pedes CVII.	

DOM. ROM.

Q. Asconius Pedianus, scriptor historicus, clarus habetur: qui LXXIII. ætatis suæ anno

78. VII. captus luminibus, duodecim postea annis, in summo omnium honore, consenescit.

* Gabinianus celeberrimi nominis Rhetor in Galliâ docuit.

** Lipſ. ad Quinctil. dialogum de Oratoribus.*

CCXIV. OLYMP.

79. IX. Tres ciuitates Cypri terræ motu ceciderunt.

Lues ingens Romæ facta; ita vt per multos dies in ephemeridem decem millia fermè mortuorum hominum referrentur.

80. * X. Vespasianus colonias deduxit, & mortuus est profluuio ventris, in villa propria circa Sabinos, anno ætatis LXIV.

** Sic Pontacus & Scaliger ex mss. at in ms. Amandino hic numerus x. omittitur.*

Romanorum VIII. TITVS regnauit annis II. mens. II.

81. * I. Titus, filius Vespasiani, in vtraque lingua disertissimus fuit; & tantæ bonitatis, vt cùm quadam die recordatus fuisset in cæna, nihil se in illa die cuiquam præstitisse, dixerit: AMICI, HODIE DIEM PERDIDI.

** In mss Aquic. Lipſ. & Ortel. est annus Christi 80. Idem Scaligero. at Pontaco est an. 81.*

Mons Vesuuius, ruptus in vertice, tantum ex se iecit incendij, vt regiones vicinas & vrbes cum hominibus exureret.

82. II. [a] Titus Musonium Rufum Philosophum de exsilio reuocat.

a Hoc loco II. Titi annum Pontacus & Scaliger notant. In ms. Amandino per obliuionem librarij nusquam hic numerus ponitur. In alijs meis mss. præficitur paragrapho superiori.

Titus [b] amphitheatrum Romę ædificat, & in dedicatione eius, quinque millia ferarum occidit.

b *Martialis & Lipſius de eo fusè.*

CCXV. OLYMP.

Romanæ Ecclesiæ II. constituitur Episcopus [a] ANACLETVS annis XII.

a Sic alij omnes mei mss. item Iosephus Scaliger ex libb. mss. Alioqui in cod. Amandino legitur Clemens. *Fortè* Cletus *librarius scribere voluit, vt legit Pontacus hoc loco. Onuphr. & Baron. consule.*

Romæ

DOM. ROM.

Romæ plurimæ ædes incendio concremātur.

Titus morbo perit in ea villa, qua pater, anno ætatis XLII.

Romanorum VIII. regnauit DOMITIANVS annis XV. * mensibus V.

* Sic omnes mei mss.

82. [a] I. Domitianus Titi frater iunior.

a In aliis mss. itē͂q; Pōtaco est an. Christi 83. at Scaligero 82

Domitiani vxor Augusta appellatur.

84. II. Decreto Senatus Titus inter Deos refertur.

Domitianus eunuchos fieri prohibuit.

85. III. Tres virgines Vestæ ob stuprum damnatæ.

Plurimos Senatorum Domitianus in exsilium mittit.

MMC. 86. IV. Secundus Alexandrinæ Ecclesiæ constituitur Episcopus [a] ABILIVS, qui præfuit ann. XIII.

Domitianus templum sine lignorum admixtione construxit.

CCXVI. OLYMP.

a Martialis lib. 8. Epigramm.

87. V. Primus Domitianus [a] Dominū se & Deum appellari iussit.

b Cum ms nostro Amandino, & Zonara, sic legendum notauit Lipsius, ad oram sui codicis ms. Perperam Sasamones.

[b] Nasamones & Daci dimicantes aduersum Romanos victi.

88. VI. Duo menses aliter appellati, September Germanicus, & October Domitianus.

89. VII. Quintilianus, ex Hispania Calagurritanus, primus Romæ publicam scholam & salarium è fisco accepit, & claruit.

90. VIII. Domitianus plurimos nobilium in exsilium mittit, atque occidit.

CCXVII. OLYMP.

Domitianus Mathematicos & Philosophos Romana vrbe pepulit.

Multa

DOM. ROM.

91. IX. Multa opera Romæ facta, in queis Capitolium, Forum transitorium, Diuorum porticus, Isium, ac Serapeum, Stadium, Horrea piperataria, Vespasiani templũ, * Minerua Chalcidica,

* Mineruæ Chalcidicæ.

92. X. Odeum, Forum Traiani, Thermæ Traianæ, & Titianæ, Senatus, Ludus matutinus, Mica aurea, Meta sudans, & Pantheum.

Domitianus de Dacis & Germanis triumphauit.

93. XI. Domitianus tantæ superbiæ fuit, vt aureas & argenteas statuas sibi in Capitolio poni iusserit.

94. XII. Maxima virginum Vestalium Cornelia, conuicta stupri, iuxta legem viua defossa est.

Domitianus prohibuit vites in vrbibus seri.

CCXVIII. OLYMP.

Tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus præfuit * CLEMENS annis nouem.

* Sic omnes mei mss. codices.

95. XIII. a Fl. Iosephus vicesimum librum antiquitatum huius temporis scribit.

a Locus hic Iosephi notãdus, e fine lib. 20. Commemorabo, inquit, quæ ad præsentem pertinent diem, quæ est tertij decimi quidem anni Domitiani Cæsaris principatus.

Domitianus multos nobilium perdidit, quosdam verò & in exsilium mittit.

MMCX. 96. XIV. b Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur: & sub eo Apostolus IOANNES in Patmum insulam relegatus, Apocalypsim vidit, quam Ireneus interpretatur.

II. Persecutio Domitiani.

b Hieronymus l. de Script. eccles. Quarto decimo anno secundam, post Neronem, persecutionem mouente Domitiano, Ioannes in Patmo insula relegatus scripsit Apocalypsim.

97. XV. Domitianus rursum Philosophos & Mathematicos Româ per edictum extrudit.

98. XVI. * Apollonius Tyaneus, & Euphrates insignes Philosophi habentur.

* Baronium consule.

Domitianus eos, qui de genere Dauid erant, interfici præcipit, vt nullus Iudæorum regni reliquus foret.

Scribit

DOM. ROM.

a Sic omnes mei mss. Baronius tamē vult legi Eratius: de quo Plinius l. 1. epist. 16. & l. 2. epist. 9.
b Vide Baron. in Notis ad Martyrol. & in Annal.
c Pontianam, in ms. Amandino.

Scribit a Brutius plurimos Christianorum sub Domitiano fecisse martyrium; inter quos & b Flauiam Domitillam, Flauij Clementis Consulis ex sorore neptem, in insulam c Pontiam relegatam, quia se Christianam esse testata sit.

Multa signa atque portenta Romæ & toto orbe facta.

Domitianus occisus in palatio, & per vespillones ignobiliter exportatus, anno ætatis * XXXV.

* Ita mss. omnes mei. Suetonius tamen, Eutropius & alij dicunt obijsse an. 45. ætat.

CCXIX. OLYMP.

Romanorum X. regnauit NERVA, anno vno, mensibus quattuor.

Alexandrinæ Ecclesiæ tertius Episcopus præfuit CERDON, annis XI.

99. a I.

a In mss. meis codicibus itemq́; Scaligero est an. 98. at Pontaco est an. 99.

Senatus decreuit, vt omnia, quæ Domitianus statuerat, in irritum deducerentur. Itaque multi, quos iniustè eiecerat, de exsilio reuersi, nonnulli bona propria receperunt. Aiunt & Apostolum * IOANNEM hoc tempore exsilio solutum Ephesum venisse: in qua vrbe & hospitiolum & amicos amantissimos sui habebat.

* Baronium lege.

b Iustus à Tiberiade Iudæorū scriptor agnoscitur.

b Iusti Tiberiensis meminit Photius in Bibliotb. Ceterum in mss. Aquic. Lips. & Ortel. hic Nerua an. 2. Christi 99. notatur.

Nerua morbo perit in hortis Sallustianis, anno ætatis LXXII. cùm iam Traianum adoptasset in filium.

TRAIANVS Agrippinæ in Gallijs Imperator factus, natus Italicæ in * Spania.

* Sic Græci & veteres.

Romanorum XI. regnauit TRAIANVS ann. XIX. mens. c VI.

c In alijs mss. VII. Scaligero IX.

100. d I.

Decreto Senatus Nerua in Deos relatus.

Romanæ Ecclesiæ episcopatum IV. suscipit Euaristus, annis IX.

d In mss. meis, itemq́; Pontaco est an. 100. at Scaligero 99.

DOM. ROM.

101. II. [a] IOANNEM Apoſtolum vſque ad Traiani tempora Ireneus Epiſcopus permanſiſſe [b] ſcribit. Poſt quem auditores eius inſignes fuerũt PAPIAS Hierapolitanus Epiſcopus, & POLYCARPVS Zmyrnæus, & IGNATIVS Antiochenus.

a *Hieron. lib. de Script eccl. dicit eum obijſſe Epheſi an. 68. à paſſione Chriſti.*
b *Lib. 4. c. 3.*

102. III. Traianus de Dacis & Scythis triumphauit.

CCXX. OLYMP.

103. IV. Traianus victo Rege Decebalo, Daciam fecit prouinciam: Iberos, Sauromatas, * Oſroenos, Arabas, Boſporanos, Colchos in fidem accepit: Seleuciam, Cteſiphontem, Babylonem occupauit, & tenuit: in mari rubro claſſem inſtituit, vt per eam Indiæ fines vaſtaret.

* Oſtroenos, *in ms. Amandino.*

104. V.

105. VI.

MMCXX. 106. VII. Romæ aurea domus incendio conflagrauit.

CCXXI. OLYMP.

107. VIII. Terræ motu quattuor vrbes Aſiæ ſubuerſæ, Elea, Myrina, Pytane, * Cyme, & Græciæ duæ, Opuntiorum & Oritorum.

* *Sic hoc loco ms. Amandinus. at ſupra V. Tiberij anno,* Cumæ.

108. IX. Alexandrinæ Eccleſiæ IV. Epiſcopus ordinatur nomine PRIMVS, annis XII.

109. X. Traiano aduerſum Chriſtianos perſecutionem mouente, SIMON filius Cleopæ, qui in Hieroſolymis epiſcopatum tenebat, crucifigitur; cui ſuccedit IVSTVS.

110. XI. IGNATIVS quoque Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, Romam perductus beſtijs traditur: poſt quem tertius conſtituitur Epiſcopus HIERON.

CCXXII. OLYMP.

111. XII. Plinius Secundus, cùm quandã prouinciam regeret, & in magiſtratu ſuo plurimos Chriſtianorum interfeciſſet, multitudine eorum per-

DOM. ROM.

perterritus, quæsiuit de Traiano, quid facto opus esset; nuntians ei, præter obstinationem non sacrificandi, & antelucanos cœtus ad canendum cuidam CHRISTO vt Deo, nihil
112. XIII. apud eos reperiri. præterea ad cōfœderandam disciplinam, vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia, & his similia. Ad quæ commotus Traianus rescripsit; HOC GENVS QVIDEM INQVIRENDOS NON ESSE, OBLATOS VERO PVNIRI OPORTERE. Tertullianus refert in Apologetico suo.

Quintus Romanæ Ecclesiæ episcopatum tenet ALEXANDER annis X.

Plinius Secundus Nouocomensis Orator & historicus insignis habetur; cuius plurima ingenij opera exstant.

Tres Galatiæ ciuitates terræ motu dirutæ.

Pantheum Romæ fulmine concrematur.

113. XIV. Post Iustum, Ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopatum IV. suscipit ZACHÆVS; post quem V. TOBIAS; cui succedit sextus BENIAMIN; ac deinde VII. IOANNES; octauus MATTHIAS; in cuius locum nonus constituitur PHI-
114. XV. LIPPVS.

CCXXIII. OLYMP.

115. XVI. Traianus Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam fecit prouincias.

Terræ motus in Antiochia pænè totam subruit ciuitatem.

MMCXXX. 116. XVII. Iudæi, qui in Lybia erant, aduersum cohabitatores suos alienigenas dimicant. Similiter in Ægypto & in Alexandria, apud Cyrenem quoque & Thebaidem, magna seditione contendunt. Verùm gentilium pars superat in Alexandria.

DOM. ROM.

117. XVIII. [a] Iudæis Meſopotamiæ rebellantibus, præcepit Imperator Traianus [b] Lyſiæ Quieto, vt eos prouincia exterminaret. Aduerſum quos Quietus aciem inſtruens, infinita millia eorum interficit, & ob hoc Procurator Iudææ ab Imperatore decernitur.

a Euſebius l. 4. hiſt. & Niceph. tradunt hæc contigiſſe an. 19. Traiani. Quod Pontaco & Scaligero placet.

b Luſio, *emenda, ex Spartiano & Ammiano l. 29.*

118. XIX. Salaminam vrbem Cypri, interfectis in ea gentilibus, ſubuertêre Iudæi.

Traianus morbo in Selinunte perijt; ſiue vt * alibi ſcriptum reperimus, apud Seleuciam Iſauriæ, profluuio ventris exſtinctus eſt, anno ætatis LXIII. menſe nono, die quarto. Oſſa eius in vrnam auream conlata, & in foro ſub columna poſita, ſoluſque omnium intra Vrbem ſepultus.

* *Apud Eutropium.*

CCXXIV. OLYMP.

Romanorum XII. regnauit HADRIANVS annis XXI.

119. * I. Hadrianus, Italicæ in Hiſpania, natus, conſobrinæ Traiani filius fuit.

* *In mss. Aquic. Lipſ. & Ortel. eſt annus Chriſti 119. Idem Pontaco, at Scaligero 118.*

Hadrianus Alexandriam, à Romanis ſubuerſam, publicis inſtaurauit impenſis.

Hadrianus Traiani inuidens gloriæ, de Aſſyria, Meſopotamia, Armenia, quas ille prouincias fecerat, reuocauit exercitus.

Hadrianus Iudæos capit, ſecundò contra Romanos rebellantes.

120. II. Senatus Traianum in Deos refert.

Hadrianus erudititiſſimus in vtraque lingua, ſed in puerorum amore parum continens fuit.

Hadrianus reliqua tributorum * vrbibus relaxauit, chartis publicè incenſis; plurimos etiam ipſis tributis liberos præſtitit.

* *Ita mss. mei omnes.*

Plu-

DOM. ROM.

121. III. Plutarchus Chæroneus, & * Sextus, & Agathobulus & Oenomaus, Philosophi insignes habentur.

* *Fuit nepos Plutarchi, & præceptor Antonini Veri, teste Capitolino.*

Romanæ Ecclesiæ sextus Episcopatum tenuit XYSTVS annis X.

Alexandrinæ Ecclesiæ V. constituitur Episcopus IVSTVS, annis XI.

122. IV. Bellum contra * Sauromatas gestum.

* Sarmatas.

Terræ motu facto, Nicomedia ruit, & vicinæ vrbes * plurimæ euersæ sunt. Ad quarum instaurationem Hadrianus de publico est largitus impensas.

* *Idem tradit Spartianus.*

CCXXV. OLYMP.

Euphrates Stoicus Philosophus moritur.

123. V. Hadrianus in Lybiam, quæ à Iudæis vastata fuerat, colonias deducit.

Hadrianus Atheniensibus leges petentibus, ex Draconis & Solonis reliquorumque libris,
124. VI. iura composuit.

Cephisus fluuius Eleusinam inundauit: quem Hadrianus ponte coniungens Athenis
125. VII. hiemem exegit.

Hierosolymis X. post Philippum Episco-
MMCXL. 126. VIII. pus constituitur SENECA; post quem XI. IVSTVS; cui succedit XII. LEVI; post quem XIII. [a] EPHRES, XIV. [b] IOSES; XV. IVDAS. Hi omnes, vsque ad euersionem, quam ab Hadriano perpessa est Hierusalem, ex circumcisione Episcopi præfuerunt.

a *Epiphanio in Manichæorũ hæresi, Οὐαφρις.*
b Ioseph.

CCXXVI. OLYMP.

127. IX. Hadrianus sacris Eleusinæ initiatus, multa Atheniensibus dona largitur.

DOM. ROM.

a Marianus Scottus hæc ipsa refert ad an. Christi 132. Vsus autem sum Mariani chronico ms. ex bibliotheca Gemblacensi ad me misso: quod semel monuisse suffecerit.

128. X. [a] Quadratus discipulus Apostolorum, & Aristides Atheniensis noster Philosophus, libros pro Christiana religione Hadriano dedêre compositos. Et Serenus * Grannius Legatus, vir adprimè nobilis, litteras ad Imperatorem misit, iniquum esse dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine vllo crimine, nominis tantùm & sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minucio Fundano Proconsuli Asiæ scribit,

* Grannianus.

129. XI. NON SINE OBIECTV CRIMINVM CHRISTIANOS CONDEMNANDOS. Cuius epistolę, vsque ad nostram memoriam, durat [b] exemplum.

b Apud Iustinum Apologetico posteriore.

Imperator Hadrianus Pater patriæ appellatur, & vxor eius Augusta.

130. XII. Romanæ Ecclesiæ episcopatũ suscepit VII TELESPHORVS, annis XI.

Antiochiæ constituitur IV. Episcopus CORNELIVS.

Nicopolis & Cæsarea terræ motu conciderunt.

CCXXVII. OLYMP.

a Marianus an. Christi 137.

[a] Antinous puer regius, eximię pulchritudinis, in Aegypto moritur; quem Hadrianns

131. XIII. vehementer deperiens, (nam in delicijs habuerat) in Deos refert: ex cuius nomine etiam vrbs appellata est.

Alexandrinæ Ecclesiæ sextus Episcopus

132. XIV. præfuit HYMENAEVS annis XIII.

Templum Romæ & Veneris sub Hadriano in Vrbe factum.

Saluius Iulianus perpetuum composuit Edictum.

133. XV. Hadrianus Athenis hiemem exigens, * Eleusina inuisit.

* *Ita ms. Amandinus.*

Hadria-

DOM. ROM.

Hadrianus cùm insignes & plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit, bibliothecamque miri operis exstruxit.

a Dionem & alios lege.

134. XVI. a Iudæi in arma versi Palæstinã depopulati sunt, tenente prouinciam * Tinio Rufo; cui ad opprimẽdos rebelles Hadrianus misit exercitũ.

* Tenio.

Phauorinus & Polemo Rhetores insignes habentur.

CCXXVIII. OLYMP.

Basilides hæresiarches in Alexandria commoratur; à quo Gnostici.

135. XVII. * Cochebas, dux Iudaicæ factionis, nolentes sibi Christianos aduersum Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat.

* Barchochebas.

MMCL. 136. XVIII. a Bellum Iudaicum, quod in Palæstina gerebatur, finem accipit; rebus Iudæorum penitus oppressis. Ex quo tempore, etiam introeundi eis Hierosolymam licentia ablata, primùm Dei nutu, sicut prophetæ vaticinati sunt, deinde Romanis interdictionibus.

a *Hæc ipsa Marianus Scotus in chronico suo narrat ad an. Christi 142.*

Hierosolymis primus ex gentibus constituitur Episcopus MARCVS; cessantibus his,

137. XIX. qui fuerant ex Iudæis.

b ÆLIA ab Ælio Hadriano condita, & in fronte eius portæ, quâ Bethleem egredimur, sus scalptus in marmore prominens; significans Romanæ potestati subiacere Iudæos.

b *Marianus, an. Christi 144.*

138. XX. Nonnulli à Tito AElio, filio Vespasiani, exstructam arbitrantur.

CCXXIX. OLYMP.

139. XXI. c Hadrianus morbo intercutis aquæ apud Baias moritur, maior sexagenario.

c *Marianus an. Dom. 145.*

Romanorum XIII. regnauit TITVS ANTONINVS, cognomento PIVS, cum liberis

suis,

DOM. ROM.

140. [a] I. suis AVRELIO & LVCIO annis [b] XXII. mensibus III.

a In mss. Aquic. Lips. & Ortel. itemq; Pontaco est an. 140. at Scaligero 139 Ceterùm in ms. codice Amandino nusquam anni Christi notantur: quod semel monuisse suffecerit.

b Sic omnes mei mss.

141. II. Romanæ Ecclesiæ episcopatum octauus suscipit HYGINVS, annis IV.

Antoninus Pater patriæ appellatur.

142. III. Sub Hygino, Romanæ Vrbis Episcopo, Valentinus hæresiarches & Cerdon, magister Marcionis, Romam venerunt.

CCXXX. OLYMP.

143. IV. Iustinus Philosophus librum, pro nostra religione conscriptum, Antonino tradidit.

144. V. [a] Romæ nonus ordinatur Episcopus PIVS, annis quindecim.

a Marianus, an. Dom. 149. Baron. consule.

Antiochiæ V. constituitur Episcopus HEROS.

145. VI. Alexandriæ VII. episcopatū suscepit MARCVS, annis X.

MMCLX. 146. VII. Valentinus hæreticus agnoscitur; & permanet vsque ad Anicetum.

Mesomedes Cretensis, citharicorum carminum Musicus Poëta cognoscitur.

CCXXXI. OLYMP.

147. VIII. Taurus Berytius Platonicæ sectæ Philosophus clarus habetur.

148. IX

149. [a] X. [a] Arrianus Philosophus Nicomediensis

150. XI. agnoscitur, & Maximus Tyrius.

a Arrius, in ms. Amandino.

CCXXXII. OLYMP.

151. XII. Apollonius Stoicus, natione Chalcidicus, & Basilides Scythopolitanus, Philosophi inlustres habentur; qui [a] verissimi quoque Cæsaris præ-

152. XIII. ceptores fuerunt.

a Veri, legit Pontacus.

Ale-

DOM. ROM.

153. XIV. Alexandrinæ Ecclesiæ VIII. Episcopus præfuit CELADION annis XIV.

154. XV. Crescens Cynicus agnoscitur: qui Iustino nostri dogmatis Philosopho, quia se gulosum & præuaricatorem Philosophiæ arguebat, persecutionem suscitat; in qua ille gloriosè pro CHRISTO sanguinem fudit.

CCXXXIII. OLYMP.

155. XVI.

MMCLXX. 156. XVII.

Romanæ Ecclesiæ X. episcopatum tenuit
157. XVIII. ANICETUS, annis XI. Sub quo Polycarpus
158. XIX. Romam veniens multos ab hæretico errore correxit.

CCXXXIV. OLYMP.

159. XX.

160. XXI.

161. XXII. Hierosolymæ episcopatum post Marcum
162. XXIII. XVII. suscipit CASSIANVS; post quem XVIII. PVBLIVS; cui succedit XIX. MAXIMVS; XX. IVLIANVS; XXI. GAIANVS; XXII. SYMMACHVS; XXIII. GAIVS; XXIV. IVLIANVS; XXV. CAPITO.

CCXXXV. OLYMP.

Antoninus Pius apud [a] Lorium villam suam, XII. ab Vrbe milliario, moritur anno vitæ * LXXVII.

a Lirium, in ms. Amandino. Marianus Scottus hæc narrat an. Dom. 168.

** Ita mss. Alij historici aliter.*

Romanorum XIIII. regnauit MARCVS ANTONINVS, qui & VERVS, & LVCIVS AVRELIVS COMMODVS, annis XIX, (* *mense vno.*)

** Sic quidem in alijs mss. sed absunt hæc ab Amandino.*

163. [a] I. Hi primùm æquo iure imperium administrauerunt; cùm vsque ad hoc tempus singuli Augusti fuerint.

a In mss. Aquic. Lips. & Ortel. Antonini Pij annos non ampliùs XXII ad oram libri notantibus, est an. Christi 162. idem Scaligero. at Pontaco 163.

164. II. Lucio Cæsari Athenis sacrificanti ignis in cælo ab [b] occidente in orientem ferri visus.

b Sic & in alijs mss.

D Volo-

DOM. ROM.

165. III. Vologesus Rex Parthorum vicinas sibi Romanas prouincias depopulatus est.

MMCLXXX. 166. IV. Fronto Orator insignis habetur, qui Marcum Antoninum Verum Latinis litteris erudiuit.

Seleucia Syriæ vrbs, cum trecentis millibus hominum, à Romanis capta.

CCXXXVI. OLYMP.

* Vrbem Elidis, in Peloponeso, teste Strabone lib. 8.

167. V. Apud * Pisas Peregrinus philosophus, rogo quod ex lignis composuerat incenso, semet superiecit.

Lucius Cæsar de Parthis cum fratre triumphauit.

168. VI. Alexandrinæ Ecclesiæ IX. Episcopus præfuit AGRIPPINVS annis XII.

169. VII. * Persecutione ortâ in Asia, Polycarpus & Pionius fecêre martyrium: quorum scriptæ quoque passiones feruntur.

* Marianus, an. Christi 174.

* Galia.

Plurimi in * Gallia gloriosè ob nomen Christi interfecti; quorum vsque in præsentem diem condita libris certamina perseuerant.

170. VIII. Lues multas prouincias occupauit, Roma ex parte vexata.

Romani contra Germanos Marcomannos, Quados, Sarmatas, Dacos dimicant.

CCXXXVII. OLYMP.

* Sic omnes mei mss. & Marianus an. Dom. 176.

Romanæ Ecclesiæ episcopatum suscipit vndecimus SOTER, annis * octo.

171. IX. Antiochiæ VI. Episcopus ordinatur THEOPHILVS; cuius plurima ingenij opera exstant.

Lucius Imperator anno regni nono, siue vt quidam putant XI. inter Concordiam & Altinum, apoplexi exstinctus est, sedens cum fratre in vehiculo.

172. X. Antonino Imperatori Melito Asianus

Sar-

DOM. ROM.

[a] Sardensis Episcopus Apologeticum pro Christianis tradidit.

173. XI. [a] Apollinaris Asianus Hierapolitanus Episcopus insignis habetur.

a Schottus ad Photij Bibliothecam.

Dionysius Episcopus Corinthiorũ clarus habetur, & Pinytus Cretensis vir eloquẽtissimus.

174. XII. Pseudoprophetia, quæ [b] cata Phrygas nominatur, accepit exordium, auctore Montano, & Priscilla Maximillaque, insanis vatibus.

b quæ iuxta, *vel* secundùm Phrygas nominatur, *legit Baronius, to. 2. quem consule. In Mariani Scotti chronico ms.* quæ Cataphrygarum nominatur.

Tatianus hæreticus agnoscitur: à quo Encratitæ.

Bardesanes alterius hæreseos princeps notus efficitur.

Oppianus Cilix Poëta cognoscitur, qui Halieutica miro splendore conscripsit.

Tanta per totum orbem pestilentia fuit, vt pænè vsque ad internecionem Romanus exercitus deletus sit.

CCXXXVIII. OLYMP.

175. XIII. Imperator Antoninus multis aduersum se nascentibus bellis sæpè ipse intererat, sæpè duces nobilissimos destinabat: in queis [a] semel Pertinaci & exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppressis, pluuia diuinitùs missa est; cùm è contrario Germanos & Sarmatas fulmina persequerentur, & plurimos eorum interficerent. Exstant litteræ Marci Aurelij grauissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur.

a Sic expressè legitur in Mariani Scotti chronico ms. Orosium l. 7. c. 15. Onufrium in Fastis, Baronium, & alios consule.

MMCXC. 176. XIV.

177. XV. Atticus Platonicæ sectæ Philosophus agnoscitur.

178. XVI. Romanæ Ecclesiæ XII. episcopatum suscipit ELEVTHERVS, annis XV.

[a] Sardiensis

DOM. ROM.

CCXXXIX. OLYMP.

179. XVII. Antiochiæ VII. Episcopus constituitur * MAXIMINVS.

* *Maximus, in omnibus meis mss.*

Antoninus Commodum filium suum consortem regni facit.

Antoninus cum filio de hostibus triumphauit, quos, per triennium apud Carnutum habens statiua castra, * vastauerat.

180. XVIII. Imperatores multis multa largiti sunt: & pecuniam, quæ fisco debebatur, prouincijs concedentes, tabulas debitorum, in medio Romanæ vrbis foro, incendi præceperunt: ac ne quid bonitati deesset, seueriores quasque leges nouis constitutionibus temperauerunt.

* vexauerat, *Scaligero.*

181. XIX. Antoninus post victoriam adeò in editione munerum magnificus fuit, vt centū simul leones exhibuerit.

Commodus à Senatu Augustus appellatur.

Zmyrna vrbs Asiæ terræ motu ruit; ad cuius instaurationem decennalis tributorum immunitas data est.

Antoninus in Pannonia * morbo perit.

* *Sirmij, quæ vrbs est Pannoniæ. Marianus Scottus Antonini obitū ad an. Christi 187. refert.*

Alexandrinæ Ecclesiæ decimus episcopatum sortitur IVLIANVS, annis X.

Romanorum XV. regnauit COMMODVS ann. * XIII.

* *Sic omnes mei mss.*

Commodus de Germanis triumphauit.

182. * I. Templum Serapidis Alexandriæ incensum.

* *In mss. meis est an. Christi 181. ob caussam suprà, an. 162. dictam. Idem est an. Scaligero. at Pontaco, 182.*

CCXL. OLYMP.

183. II. Ireneus Episcopus Lugdunensis insignis habetur.

184. III. Thermæ Commodianæ Romæ factæ.

Com-

DOM. ROM.

185. IV. Commodus Septembrem mensem nomine suo appellauit.

MMCC. 186. V. Hierosolymis XXVI. ordinatur Episcopus MAXIMVS; post quem XXVII. ANTONINVS; XXVIII. VALENS; XXIX. *DVLCIANVS; XXX. NARCISSVS; XXXI. DIVS; XXXII. GERMANIO; XXXIII. GORDIVS; XXXIV. rursum NARCISSVS. Tantis apud Hierosolymã Episcopis constitutis, non potuimus discernere tempora singulorũ; eò quod vsque in præsentem diem episcopatus eorum anni minimè seruarentur.

* Dulichianus, *in aliis mss.*

CCXLI. OLYMP.

187. VI.

188. VII.

189. VIII. In Capitolio fulmen ruit, & magnâ inflammatione factâ, bibliotheca & vicinæ quoque ædes concrematæ.

Alexandriæ XI. constituitur Episcopus DEMETRIVS annis XLIII.

190. IX. Commodus Imperator Colossi capite sublato, suæ imaginis caput ei iussit imponi.

CCXLII. OLYMP.

191. X. SERAPIO VIII. Antiochiæ Episcopus ordinatur.

Commodus multos nobilium interfecit; & spectacula populo Romano præbet insignia.

Incendio Romæ facto, palatium & ædes Vestæ, plurimaque Vrbis pars solo coæquatur.

192. XI. Commodus strangulatur in domo *Vestiliani.

* Vectiliana, *P. Victorio & aliis.*

PERTINAX septuagenario maior, cùm Præfecturam Vrbis ageret, ex Senatusconsulto

193. XII. imperare iussus est.

194. XIII.

 Roma-

DOM. ROM.

CCXLIII. OLYMP.

Romanorum XVI. regnauit HELVIVS PERTINAX mensibus VI.

195. [a] I. Romę episcopatũ suscipit XIII. VICTOR, annis X. cuius mediocria de religione exstant volumina.

a In mss. Aquic. Lips. & Ortel. hæc numeri nota non exstat. vt nec apud Pontacum aut Scaligerum.

Pertinax, obsecrante Senatu, vt vxorem suam Augustam & filium Cęsarem appellaret, contradixit; SVFFICERE TESTATVS, QVOD IPSE REGNARET INVITVS.

Pertinax occiditur in palatio, Iuliani Iurisperiti scelere, quẽ postea Seuerus apud * Muluium pontem interfecit.

* Miluium.

Romanorum XVII. regnauit SEVERVS ann. XVIII.

MMCCX. 196. [a] II. Seuerus prouinciâ Tripolitanâ, opido Lepti, solus ex Africa vsque in præsentem diem, Romanus Imperator fuit: & in honorem Pertinacis, quẽ Iulianus occiderat, Pertinacem se cognominari iussit.

a Sic disertè ms. codex Amãdinus, omisso numero I. & rectè, ob rationem subiunctam. In alijs verò mss. numerus I. huic paragrapho præfigitur.

[b] Ideo autem hîc duo anni positi sunt, quia superiore anno sex menses regnauit Seuerus.

b Hæc in omnibus meis mss. leguntur: ab alijs omittũtur.

Clemens Alexandrinæ ecclesiæ presbyter & Pantænus Stoicus Philosophus, in disputatione dogmatis nostri disertissimi habentur.

197. III. Narcissus Hierosolymorum Episcopus, & Theophilus Cæsariensis, [a] Polycrates quoque, & Bacchylus, Asianæ prouinciæ Episcopi insignes habentur.

a Sic legendum, non Polycarpus; vt mendosè habent mss. Eidẽ facit paragraphus sequens, & Euseb. l. 5. hist. c. 22. Adde, Polycarpũ Smyrnæ Episcopum (aliũ hæc tempora ignorant) obijsse an. 7. imperij Marci Antonini.

198. IV. Quæstione ortâ in Asia inter Episcopos, an secundùm legem Mosi, XIV. mensis Pascha obseruandum esset, Victor Romanæ Vrbis Episcopus, & Narcissus Hierosolymorum, [b] Polycrates quoque, & Ireneus, & Bacchylus, plurimique ecclesiarum pastores, quid eis probabile visum fuerit, litteris ediderunt: quarum memoria ad nos vsque perdurat.

b Sic hoc loco mss. De Polycrate Ephesiorum Episcopo Hieronymus lib. de Script. eccles.

Iudai-

DOM. ROM.

CCXLIV. OLYMP.

199. V. Iudaicum & Samariticum bellum motum.

200. [a] VI. Seuerus Parthos & Adiabenos superauit, Arabas quoque interiores ita cæcidit, vt regiones eorum Romanam prouinciam fecerit. Ob quæ Parthicus, Arabicus, Adiabenicus cognominatus est.

201. VII.

202. VIII. Seuero imperante, thermæ Seuerianæ apud Antiochiam, & Romæ factæ, & Septizonium exstructum.

Romæ XIV. episcopatum suscipit ZEPHYRINVS.

CCXLV. OLYMP.

203. IX.

204. X. Persecutione in Christianos factâ, Leonides, Origenis pater, gloriosa martyrij morte transfertur.

MMCCXX. | 205. XI. Alexander ob confessionem Dominici nominis insignis habetur.

Clemens multa & varia conscribit.

206. XII. [a] Musanus nostræ philosophiæ scriptor agnoscitur.

[a] In hoc anno Iobeleum à maioribus inuenimus obseruatum, id est, XII. anno Seueri, & [b] CCL. Antiochenæ vrbis.

CCXLVI. OLYMP.

207. XIII. Clodio Albino, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, apud Lugdunũ interfecto, Seuerus in Britannos bellũ transfert: vbi, vt receptas prouincias ab incursione barbarica faceret securiores, vallum per [a] CXXII. passuum millia à mari ad mare duxit.

208. XIV.

209. XV.

210. XVI. Tertullianus Afer, Centurionis Procõsularis filius, omnium ecclesiarũ sermone celebratur.

Origenes Alexandriæ studijs eruditur.

An-

[a] In mss Aquic. Lips. & Ortel est an. Christi 200. idem Pontaco, at Scaligero 199. Mariano autem 208.

[a] Hierõ. lib de Script. ecclef.

[a] Sic in omnibus meis mss.

[b] Sic in Andino. In alijs mss. CCII. at Scaligero CCLII Vide Pontacũ hoc loco.

[a] Sic & in alijs mss. at Pontacus, Scaliger, [illegible] Vinetus & alij legunt CXXXII.

DOM. ROM.

CCXLVII. OLYMP.

212. XVII. 213. XVIII. | Antiochiæ IX. Episcopus constituitur ASCLEPIADES.

Romanorum XVIII. regnauit ANTONINVS, cognomento CARACALLA, Seueri filius, annis [a] VII.

[a] *Sic & Pontacus. at mss. reliqui & Scaliger legunt VI.*

213. [b] I. | Alexander XXXV. Hierosolymorum Episcopus ordinatur, adhuc viuente Narcisso, & cum eo pariter Ecclesiam regit.

214. II.

[b] *In mss. itemq; Pontaco est an. Christi 213. at Scaligero 212.*

CCXLVIII. OLYMP.

215. III. | Antoninus Caracalla cognominatus, propter genus vestis, quod Romæ erogauerat: & contrariò Caracallæ ex eius nomine Antonianæ dictæ.

MMCCXXX. 216. IV.

217. V. | Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificauit.

218. VI. | Antoninus tam impatiens libidinis fuit, vt nouercam suam Iuliam vxorem duxerit.

CCXLIX. OLYMP.

219. [a] VII. | Antoninus interficitur inter Edessam & Carras, anno ætatis XLIII.

[a] *Ita mss. omnes. Dioni, qui illis temporibus vixit, XXIX. Sed Eusebium tuetur Isaacus Casaubonus, comment. in Spartianum.*

Romanorum XIX. regnauit MACRINVS an. I.

220. [b] I. | Macrinus, Præfecturam prætorio gerens, Imperator factus.

[b] *In mss. Aquic. & Ortel. Caracalla annos non amplius VI. adtribuentibus, est an. Christi 219. at Scaligero 218. Pontaco autem, qui Caracalla annos VII. adsignat, est an. 220. Idem in ms. Lips.*

Antiochiæ X. Episcopus constituitur PHILETVS.

Circensibus Vulcanaliorum Romę amphitheatrum incensum.

Abga-

DOM. ROM.

* Solenne id Regibus Arabum nomen, vt Ptolemaeus Aegyptijs. Lips. ad 12. Annal. Taciti.

* Abgarus vir sanctus regnauit Edessae, vt vult Africanus.

Macrinus occiditur in Archelaide.

Romanorum XX. regnauit M. AVRELIVS ANTONINVS ann. IV.

221. I. M. Aurelius Antoninus, Antonini Caracallę, vt putabatur, filius, & sacerdos * Heliogabali templi, adeò impudicè in imperio suo vixit, vt nullum genus obscœnitatis omiserit.

* Elagabali, in nummis.

Romanae Ecclesiae episcopatum suscipit XV. CALLISTVS, annis V.

222. II. Heliogabalum templum Romae aedificatum.

CCL. OLYMP.

a Hieron. lib. de Script. eccles. & Guil. Tyrius lib. 7. Belli sacri c. 24.

a In Palaestina Nicopolis, quae prius Emmaus vocabatur, vrbs condita est; legationis industriam pro ea suscipiente Iulio Africano scriptore temporum.

223. III.

224. IV. b Antoninus Romae occiditur tumultu militari, cum matre c Symia Sera.

b Marianus an. 231.

c Ita mss. omnes. Symia Syra Scaligero.

Romanorum XXI. regnauit ALEXANDER, Mamaeae filius, annis XIII.

225. a I. Alexander b Xerxem Regem Persarum gloriosissimè vicit, & disciplinae militaris tam seuerus corrector fuit, vt quasdam tumultuantes legiones integras exauctorauerit.

a In mss. Aquic. & Ortel. est annus Christi 214. ob caussam suprà an. 220. dictã. In ms. Lips. & Pontaco est 225, at Scaligero 223.

b Artaxerxẽ Dioni & alijs.

MMCCXL. 226. II. Romanae Ecclesiae XVI. ordinatur Episcopus VRBANVS, annis IX.

* Barõ. lege.

CCLI. OLYMP.

227. III. Vlpianus Iurisconsultus assessor Alexandri insignissimus habetur.

228. IV. Thermae Alexandrinae Romae aedificatae.

229. V. a Geminus presbyter Antiochenus, & Hip-

230. VI. polytus, & Beryllus Episcopus Arabiae Bostrenus, clari scriptores habentur.

Geminus.

DOM. ROM.

CCLII. OLYMP.

231. VII. Antiochiæ XI. constituitur Episcopus ZEBENNVS.

Origenes Alexandriæ clarus habetur.

232. VIII. Alexandrinæ Ecclesiæ XII. Episcopus ordinatur HERACLAS, ann. XVI.

233. IX. Alexander in matrem Mamæam vnicè pius fuit, & ob id omnibus amabilis.

234. X. Origenes de Alexandria ad Cæsaream Palæstinæ transit.

Romanæ Ecclesiæ XVII. episcopatum suscipit PONTIANVS, ann. V.

CCLIII. OLYMP.

235. XI.

MMCCL. 236. XII.

237. [a] XIII. Alexander occiditur Moguntiaci tumultu militari.

a Sic omnes mei mss. excepto Amandino, in quo deest iste numerus, & Olympiadum dispunctio nonnihil hoc loco confunditur.

Romanorum XXII. regnauit MAXIMINVS annis III.

238. [b] I. Maximinus primus ex corpore militari, sine Senatus auctoritate, ab exercitu Imperator electus est.

b In mss. Aquic. est annus Christi 237. In mss. Lips. & Ortel. itemque Antonino & Pontaco est an. 238. at Scaligero 236.

CCLIV. OLYMP.

239. II. Maximinus aduersum ecclesiarum sacerdotes persecutionem facit.

240. III. [a] Maximinus Aquileiæ à Pupieno occiditur.

a Censorino lib. de die natali c. 65. est an. 2. Olymp. 254.

Romanorum XXIII. regnauit GORDIANVS ann. VI.

241. I. Romæ XVIII. Episcopus ordinatur ANTEROS, mense vno: post quem XIX. FABIANVS, annis XIII.

Gor-

DOM. ROM.

242. II. Gordiano Romam ingresso, Pupienus & *Albinus, qui imperium arripuerant, in palatio occisi.

* Balbinus, alij.

CCLV. OLYMP.

243. III.

244. IV.

245. V.

MMCCLX. 246. VI. [a] Gordianus admodùm adolescens, Parthorum natione superatâ, cùm victor reuerteretur ad patriam, fraude Philippi Præfecti prætorio, haud longè à Romano solo interfectus est. Gordiano milites tumulum ædificant, qui Euphrati imminet, ossibus eius Romam reuectis.

a Sunt ista anno eius 6. & vltimo adtribuẽda: vt & Cassiodorus, Herm. Contractus aliíq; faciunt.

Romanorum XXIV. regnauit PHILIPPVS ann. VII.

CCLVI. OLYMP.

247. I. Philippus Philippum filium suum consortem regni facit; primusque omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit.

Baron. & alios historicos consule.

248. II. Regnantibus Philippis, millesimus annus Romanæ Vrbis expletus est: ob quam solennitatem innumerabiles bestiæ in Circo magno interfectæ, ludique in campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus, populo peruigilante celebrati.

249. III. Theatrũ Pompeij incensũ, & Hecatostylon.

[a] XL.[b] missus natali Romanæ Vrbis cucurrerunt, & agon mille annorum *actus*.

a Sic cum Mariano Scotto ms. codex Amandinus, cui nos vocem actus, ex alijs mss adiecimus. In reliquis mss. meis legitur: Atlas mons natali Romanæ Vrbis cucurrit, & agon mille annorum actus.

b Circensis intellige.

250. IV. Philippus vrbem nominis sui in Thracia construxit.

Alexandrinam Ecclesiam XIII. Episcopus tenuit DIONYSIVS annis * XVIII.

* Sic mei mss. sed alij legunt, X. II.

CCLVII. OLYMP.

251. V. Philippus senior Veronæ, Romæ iunior occiditur.

Roma-

DOM. ROM.

252. VI.
253. VII.

Romanorũ XXV. regnauit DECIVS an. I. menſ. III.

254. I. Decius è Pannonia inferiore Budaliæ natus fuit.

Decius cùm Philippos patrem & filium interfeciſſet., ob odium eorum, in Chriſtianos perſecutionem mouet.[a]

b VII. PERSECVTIO.

b *Sic hoc loco ms. codex Amãdinus, in quo miror & alibi aliarum Perſecutionum non fieri mentionem. Baron. in Annal. conſule de iſta aliiſq; Perſecutionibus.*

a *In mss. meis hic nulla S. Laurentij martyris mentio.*

ANTONIVS monachus in Ægypto naſcitur.

Romæ amphitheatrum incenſum.

Alexandro Hieroſolymorum Epiſcopo apud Cæſaream Palæſtinæ ob martyrium interfecto, & Antiochiæ Babyla,* MAZABANES & FABIVS Epiſcopi conſtituuntur.

* Mazabanus *Marianus*

Decius cum filio in * Abritto occiditur.

* *Sic lege cum Mariano ms.* Decius, *inquit is*, occiditur cum filio, in Abritto Thraciæ loco, à Gothis in bello. *Plinius l. 5. c. 30. Abrettinorũ in Mœſia ſeu Thracia meminit. In mss. Amand. & Lipſ. legitur* Abryto. *In mss. Aquic. & Ortel.* à Bruto.

CCLVIII. OLYMP.

Romanorum XXVI. regnauit GALLVS & VOLVSIANVS, Galli filius, ann. II. menſ. IV.

255. a I. Romanę Eccleſiæ epiſcopatum poſt Fabiani glorioſam mortem XX. ſuſcipit CORNELIVS, anni s duobus, qui & ipſe martyrio coronatus eſt. Exſtant ad eum Cypriani VIII. epiſtolæ.

a *In mss. Aquic. & Ortel. eſt an. Chriſti 254. In ms. Lipſ. itemq; Pontacoeſt 255. at Scaligero 253.*

Peſtilens morbus multas totius orbis prouincias occupauit, maximeque Alexandriam & Ægyptum; vt ſcribit Dionyſius, & Cypriani de Mortalitate teſtis eſt liber.

Nouatus presbyter Cypriani, Romam veniens, Nouatianum & ceteros confeſſores ſibi ſociat; eò quòd Cornelius pœnitentes apoſtatas recepiſſet.

An-

DOM. ROM.

MMCCLXX. | 256. II. | Antiochiæ XIV. constituitur Episcopus * DEMETRIANVS.

Demetrius, Mariano Scotto. Onufr. & Baron, leguntur.

Romanæ Ecclesiæ episcopatum XXI. LVCIVS menses VIII. Post quem XXII. STEPHANVS annis III. Exstant ad vtrumque Cypriani epistolæ.

a IOBELEVS IVXTA MAIORES NOSTROS.

a *Sic in ms. Amandino ad oram legitur: de quo vide iudicium Pontaci.*

Gallus & Volusianus, cùm aduersum Æmilianum, qui in * Mœsia res nouas moliebatur, ex Vrbe profecti essent, in foro Flaminij, siue vt alij putant, Interamnæ interfecti sunt.

* *Sic apud Latinos ferè, sed apud Græcos vsitatũ, Mysia.*

Æmilianus tertio mense inuasæ tyrannidis exstinctus est.

Romanorum XXVII. regnauit VALERIANVS & GALLIENVS annis XV.

a *In mss. Aquic. & Ortel. est an. 256. Sed in ms. Lips. itemq; Pontaco est 257. at Scaligero 255.*

257. a I. | Valerianus in Retia ab exercitu Augustus, Gallienus Romæ à Senatu Cæsar appellatus.

b Romanæ Ecclesiæ episcopatũ tenet XXIII. XYSTVS annis VIII.

b *Hic paragraphus deest in ms. Amandino, per obliuionem librarij, vt arbitror. In alijs mss. Dionysius Papa ante Xystum collocatur. Onufr. & Baron. consule.*

258. II. | Cyprianus primùm Rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginiensis Episcopus, martyrio coronatur.

CCLIX. OLYMP.

259. III. | Valerianus, in Christianos persecutione commotâ, statim à Sapore Persarum Rege capitur, ibique seruitute miserabili consenescit.

250. IV.

261. V. | Sapor Rex Persarum Syriam, Ciliciam & Cappadociam depopulatur.

262. VI. | Valeriano in Persas ducto, Gallienus nostris pacem reddidit.

DOM. ROM.

CCLX. OLYMP.

263. VII. Antiochiæ XV. constituitur Episcopus PAVLLVS SAMOSATENVS.

Gallieno in omnem lasciuiã dissoluto, Germani Rauennam vsque venerunt.

264. VIII. Alamanni, vastatis Gallijs, in Italiã transiêre.

265. IX. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia depopulata per Gothos.

Quadi & Sarmatæ Pannonias occupauerũt.

MMCC LXXX. | 266. X. Germanis Hispanias obtinentibus, Tarracon expugnata est.

Parthi Mesopotamiam tenentes, Syriam inuaserunt.

CCLXI. OLYMP.

Alexandrinæ Ecclesiæ XXIV. Episcopus ordinatur MAXIMVS, annis * XVIII.

* Nicephoro, ann. VIII.

267. XI. Romæ XXIV. Episcopus constituirur DIONYSIVS, ann.* IX.

* XII. Pontaco & Scaligero. Onufr. & Baronium consule.

268. XII. Odenathus, Decurio Palmyrenus, collectâ agrestium manu, ita Persas cæcidit, vt ad Ctesiphontem castra poneret.

Hierosolymorum episcopatum tenet HYMENAEVS.

269. XIII. Paullus Samosatenus à cunctorum prædicatione desciscens, Artemonis hæresim suscitauit. In cuius locum Antiochenæ Ecclesiæ XVI. ordinatur Episcopus DOMNVS.

270. XIV. Galliæ per Postumum & Victorinum & Tetricum receptę.

CCLXII. OLYMP.

271. XV. * Gallienus Mediolani occiditur.

* Alij hæc referunt ad Olympiadem superiorem.

Roma-

DOM. ROM.

Romanorum XXVIII. regnauit CLAVDIVS anno I. menſ. IX.

272. a I. In Alexandria Bruchium, quod per multos annos fuerat obſeſſum, tandem deſtruitur.

a In mss. Aquic. & Ortel. eſt an. 271. at Scaligero 270. In Lipſ. 272. idem Pontaco.

273. II. Claudius Gothos, Illyricũ, & Macedoniam vaſtantes, ſuperat. Ob quæ in curia clipeus ei aureus, & in Capitolio ſtatua aurea conlocata eſt.

Claudius * Sirmij moritur.

** Pannonia urbs eſt, ortu Probi Imp. nobilis.*

QVINTILLVS, Claudij frater, à Senatu Auguſtus appellatus, XVII. imperij die Aquileiæ occiditur.

Romanorum XXIX. regnauit AVRELIANVS ann. V. menſ. VI.

274. I. Antiochenæ Eccleſiæ XVII. ordinatur Epiſcopus TIMAEVS.

CCLXIII. OLYMP.

Aurelianus, Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum ſuum, Gallias recepit.

275. II. Zenobia apud * Immas, haud longè ab Antiochia, vincitur; quæ, occiſo Odenatho marito, Oriẽtis tenebat imperiũ: in qua pugna ſtrẽnuiſſimè aduerſus eam dimicauit Pompeianus dux, cognomento Francus, cuius familia hodieq́ue apud Antiochiam perſeuerat. ex cuius * Euagrius presbyter cariſſimus nobis ſtirpe deſcendit.

** Sic & Marianus.*

** Antiochiæ pòſt Epiſcopus: de quo Hieron. l. de Script. eccleſ.*

MMCCXC. 276. III. Euſebius Laodicenus Epiſcopus inſignis habetur.

Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia præceſſerunt: è quibus Tetricus Corrector poſtea Lucaniæ fuit, & Zenobia in Vrbe ſummo honore conſenuit; à qua hodieq́ue Romæ * Zenobiæ familia nuncupatur.

** Zenobia.*

Aure-

DOM. ROM.

Aurelianus templum Soli ædificat, & Romam firmioribus muris vallat.

Primus agon Solis ab Aureliano institutus.

277. IV. Aurelianus cùm aduersum nos persecutionem mouisset, fulmen iuxta eum comitesque

278. V. eius ruit: ac non multò pòst inter Constantinopolim & Heracliam in * Cænophrurio viæ veteris occiditur.

* Castrum nouum, Latinè vertas.

CCLXIV. OLYMP.

Romanorum XXX. regnauit TACITVS mens. VI.

279. a I. Quo apud Pontum occiso, obtinuit FLORIANVS imperium diebus * LXXXIX. Hoc quoque apud Tarsum interfecto,

a Hoc loco mss. Amand. & Pontacus collocant notam numeri I. Sed alij codices mss. itemque Scaliger omittunt. Ex hac & alijs variantibus scriptionibus nascitur & de Christi annis dissensio. Vide suprà ann. 195. 196. 220. & alibi.

* Beda & Conradus adsentiuntur.

Romanorum XXXI. regnauit PROBVS an. VI. mens. III.

280. * I. Romanæ Ecclesiæ episcopatum XXV. suscipit FELIX, annis quinque.

* In mss. Aquic. & Ortel. est an. 278. at Scaligero 277. In ms. Lips. 279. at Pontaco 280.

Probus Gallias à barbaris occupatas ingenti virtute restituit.

Initium LXXXVI. Iobelei secundùm Hebræos.

Anatolius Laodicenus Episcopus, Philosophorum disciplinis eruditus, plurimo sermone celebratur.

281. II. Secundo anno Probi, iuxta Antiochenos CCCXXV. a anno fuit, iuxta Tyrios CCCCII. iuxta Laodicenos CCCXXIV. iuxta Edessenos b DLXXXVIII. iuxta Ascalonitas CCCLXXX. insana * Manichæorũ hæresis in commune generis humani malum exorta.

a Sic disertè & rectè in ms. Amandino legitur: non annus vel anni, vt in alijs mss. perperam.

b Sic Aquic. Lips. & Ortel. mss. codices; quibus Beda, Ado, & Marianus suffragantur. In ms. Amandino de suo ista, iuxta Edessenos DLXXXVIII.

* De Mane & Manichæis lege Baron. aliosque.

282. III. Probus Gallos & Pannonios vineas habere permisit, Almamque & Aureum montem, militari manu consitos, prouincialibus colendos dedit.

Antio-

DOM. ROM.

CCLXV. OLYMP.

283. IV. Antiochiæ XVIII. constituitur Episcopus CYRILLVS.

Saturninus, Magister exercitus, nouam ciuitatem Antiochiæ orsus est condere; qui postea imperiũ molitus inuadere, Apamiæ occiditur.

284. V. Romanæ ecclesiæ episcopatũ suscipit XXVI. EVTYCHIANVS, mensibus VIII. post quem XXVII. * GAIVS, annis quinque.

* *Ita Pontacus & mei mss. Sed in Amandino*, Gallus. *Scaligero autem* Gaianus.

285. VI. Probus tumultu militari, apud Sirmium, in turre, quæ vocatur Ferrata, occiditur.

Alexandrinæ ecclesiæ XV. Episcopus præfuit THEONAS ann. XIX.

Romanorum XXXII. regnauit CARVS cum filijs CARINO & NVMERIANO annis II.

MMCCC. 286. I. Carus Narbonensis cùm, omni Parthorum regione vastatâ, a Cochen & Ctesiphontem, nobilissimas hostium vrbes, cepisset, super Tigridem castra ponens, fulmine ictus interijt.

a *Sic cum meis mss. Iornandes, Marianus ms. & ante eos Marcellinus lib.* 24. Coche, quam Seleuciam nominant. *Alij variant in vna alterâue littera.*

CCLXVI. OLYMP.

287. II. Numerianus, cùm ob oculorum dolorem lecticula veheretur, insidijs Apri soceri sui, occisus est; vix fœtore cadaueris post aliquot dies scelere comperto.

Carinus prælio victus apud * Margum occiditur.

* *Sic & Eutropius & Marianus mss. Huic paragrapho Scaliger præfigit notam numeralem III.*

Romanorum XXXIII. regnauit DIOCLETIANVS annis XX.

288. a I. Diocletianus Dalmata, Scribæ filius, Imperator electus, statim Aprũ in militum concione percussit, iurans * sine suo scelere Numerianum interfectum. * *Sic & Marianus ms.*

a *In mss. Aquit. & Ortel. itemq́ Scaligero est an.* 286. *In ms. Lips.* 287. *at Pontaco* 288.

289. II. Diocletianus in consortium regni Herculium Maximianum adsumit; qui rusticorum

 mul-

DOM. ROM.

multitudine oppressa, quæ factioni suæ [a] Bacaudarũ nomen indiderat, pacem Gallijs reddidit.

a Horum & Eutropius, Prosper, Sigebertus alijq; meminere.

290. III.

CCLXVII. OLYMP.

291. IV. Carausius, sumtâ purpurâ, Britannias occupauit.

Narseus Orienti bellum intulit.

Quinquegentiani Africam infestauerunt.

Ægyptũ Achilleus obtinuit. Ob quæ CONSTANTIVS & GALERIVS MAXIMIANVS Cæsares adsumũtur in regnum. Quorum

292. V. Constantius Claudij ex filia nepos fuit: Gale-

293. VI. rius in Dacia, haut longè à [b] Serdica, natus. Atque vt eos Diocletianus etiam adfinitate coniungeret, Constantius priuignam Herculij Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos

294. VII. Constantini fratres habuit. Galerius filiam Diocletiani duxit Valeriã. Ambo vxores, quas habuerant, repudiare compulsi.

b Sardica, Mariano ms. Ortelium in Thesauro geograph. & Pontacum hoc loco consule.

CCLXVIII. OLYMP.

295. VIII.

MMCCCX. 296. IX. Busiris & [a] Coptus, contra Romanos rebellantes, ad solum vsquè subuersæ sunt.

a Coptos, Mariano.

297. X. Carporum & [*] Basternorum gentes in Romanum solum translatæ.

* De ijs Tacitus in Germaniæ descriptione.

298. XI. Primus Diocletianus adorari se, vt Deum, iussit, & gemmas vestibus calceamentisque inseri: cùm ante eum omnes Imperatores in modum Iudicum salutarentur, & chlamydem tantùm purpuream à priuato habitu plùs haberent.

CCLXIX. OLYMP.

299. XII. Romanæ ecclesiæ XXVIII. episcopatum suscipit [*] MARCELLIANVS.

* Marcellinus, alijs. De quo, deq; Marcello Papa Onufr. & Baronium consule.

Alexan-

DOM. ROM.

300. XIII. Alexandria, cum omni Ægypto, per Achilleum ducem à Romana potestate desciscens,
301. XIV. octauo obsidionis mense à Diocletiano capta est. Itaque plurimi per totam Ægyptum grauibus proscriptionibus exsilijsque vexati; interfe-
302. XV. ctis his, qui auctores perduellionis exstiterant.

Ecclesiæ [a] Hierosolymorum XXXVII. ordinatur Episcopus ZABDAS.

Post X. annos per Asclepiodotū, Præfectum prætorio, [b] Britanniæ receptæ.

a Hierosolymarum, *passim legitur in ms. Amandino. Alij scribunt*, Ierosolymorum. *Tacitus & alij scriptores Romani nuncupant* Solymorum vrbem.

b *In ms. Amandino passim scribitur*, Brittaniæ. *Sic ferè Angli hodieq; pronuntiant.*

CCLXX. OLYMP.

303. XVI. Iuxta Lingonas, à Constantio Cæsare LX. millia Alamannorum cæsa.

Galerius Maximianus, victus à * Narseo, ante carpentū Diocletiani purpuratus cucurrit.

* Narseus, *siue* Narses, *iste fuit Rex Persarum.*

Veturius magister militiæ Christianos milites persequitur, paullatim ex illo tempore iam persecutione aduersum nos incipiente.

304. XVII. Galerius Maximianus, superato Narseo, & vxoribus ac liberis sororibusque eius captis, à Diocletiano ingenti honore suscipitur.

Thermæ Diocletianæ Romæ factæ, & Maximianæ* Carthagini.

* Carthagine.

Ecclesiæ Hierosolymorum XXXIX. præfuit HERMON.

Antiochiæ XIX. constituitur Episcopus TYRANNUS.

[a] Iobeleus secundùm maiores.

a *Ita ms. codex Amandinus. At Pontacus ista de Iobeleis hic & alibi à quopiam suspicatur inserta, aut ora adscripta.*

305. XVIII. Alexandrinæ ecclesiæ XVI. post Theonam Episcopus ordinatur PETRUS; qui postea, IX. persecutionis anno, gloriosè martyrium perpetrauit.

Diocletianus & Maximianus Augusti insigni pompâ Romæ triumpharunt; antecedentibus currum eorum Narsei coniuge, sorori-

 bus

DOM. ROM.

* Sic disertè nostri mss. codices. Eutropius aliiq; Parthos & Persas non rarò confundunt.

bus, liberis & omni præda, * qua Parthos spoliauerant.

Terræ motu horribili apud Tyrum & Sidonem multa opera conciderunt, & populus innumerabilis oppressus.

MMCCCXX. 306. [a] XIX. XIX. Diocletiani annó, mense Martio, in diebus Paschæ ecclesiæ subuersæ sunt: * quarto autem persecutionis anno Constantinus regnare orsus.

a Beda l. 1. hist. Angl. c. 6. est an. 305.

* Sic & mss. aliquot, quibus vsus est Pontacus.

b SECVNDVM ANTIOCHENOS AN. CCCL. CCLXXI. OLYMP.

b Sic in ms. Amandino ad oram legitur. Pontacus & Scaliger legunt CCCLI.

307. XX. Secundo anno persecutionis, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt.

c GALERIVS solus biennio Augustus imperium tenuit.

c Hic paragraphus deest in ms. Amandino, vti & vbi numeri annorũ imperij Galerij Maximiani. Nobis tamen visum fuit ista adiungere ex alijs nostris mss. Idem Pontaco & Scaligero probatur.

308. I. Romæ XXIX. Episcopus constituitur EVSEBIVS, mensibus VII. Post quem XXX. ecclesiam tenet MILTIADES annis * IV.

* Baron. consule.

MAXIMINVS & SEVERVS à Galerio Maximiano Cæsares facti.

309. II. Constantius, XVI. imperij sui anno, diem obijt in Britannia Eboraci. Post quem filius eius CONSTANTINVS, ex concubina [a] Helena procreatus, regnum [b] inuadit.

a Baron. in Annal. & Lips. lib. De magnitudine Rom. consule.

b Non inuasit, sed ab exercitu Britannico ad imperium euectus est, vt Aur. Victor & Zosimus testantur. Baronium lege.

Romanorum XXXIV. regnauit CONSTANTINVS, ann. XXX. mens. X.

310. [a] I. MAXENTIVS, Herculij Maximiani filius, à prætorianis militibus Romæ Augustus appellatur.

a In mss. Aquic. & Ort. itemq; Scaligero est anno 308. In ms. Lips. 309. At Pontaco 310.

Seuerus Cæsar, à Galerio Maximiano contra Maxentium missus, Rauennæ * interficitur.

* secundo anno imperij sui, additur in alijs mss.

DOM. ROM.

* CCLXXII. OLYMP.

* *Ob notas numerales biennalis imperij Galerij Maximiani margini à nobis adiectas, erit à fide ms. codicis Amandini, quoad Olympiadum dispunctionem, in posterum nonnihil recedendū. Qua in re deinceps Pontacum ferè sequemur, cuius exemplaria mss. cum nostris non rarò consonant.*

311. II. | LICINIVS à Galerio * Carnunti Imperator factus.

* Petronellam, *in inferiori Austria hodie esse volunt.*

Herculius Maximianus à filia Fausta detectus, quòd dolum Constantino viro suo pararet, Massiliæ fugiens occiditur.

Quirinus Episcopus * Siscianus gloriosè pro CHRISTO interficitur. Nam manuali molâ ad collum ligatâ, è ponte præcipitatus, in flumine diutissimè supernatauit, & cum spectantibus conlocutus, ne sui terrerentur exemplo, vix, orans vt mergeretur, obtinuit.

* *Sic & Marianus ms. Est autem* Siscia *vrbs Pannoniæ secundæ: cuius vt & Quirini, Fortunatus, Prudentius, Gregor. Turonensis, aliíq; meminere. Baron. consule in Notis ad Martyrol. 4. Iunij.*

312. III. | Galerius Maximianus [a] moritur.

[a] vicesimo primo imperij sui anno, *in alijs mss. interfertum legitur; estq; ad marginem notatus IV. imperij Constantini annus.*

Romanæ ecclesiæ XXXI. ordinatur Episcopus Siluester, annis [b] XXII.

[b] *Baron. to. 3. Annal. legatur.*

313. IV. | Maximinus persecutione in Christianos factâ, cùm iam à Licinio puniendus esset, apud Tarsum * moritur.

* *Baron. ibid.*

314. V. | Alexandrinæ Ecclesiæ XVII. ordinatur Episcopus ACHILLAS.

CCLXXIII. OLYMP.

315. VI. | Maxentius iuxta pontem Muluium à Constantino superatus occiditur.

MMCCC XX. 316. VII. | Bellum Cibalense aduersum Licinium.

317. VIII. | Hierosolymorum XXXIX. constituitur Episcopus MACARIVS.

318. IX. |

CCLXXIV. OLYMP.

319. X. | Diocletianus haud procul à Salonis, * in villæ suæ palatio moritur, & solus omnium inter Deos priuatus refertur.

* *Sic mei mss. at Pontacus legit,* in villa sua Spalato.

PAX NOSTRIS A CONSTANTINO REDDITA. *Pontacus aliíq; volunt ista referri ad an. ferè VII. Constantini.*

DOM. ROM.

320. XI. CRISPVS & CONSTANTINVS, filij Cōstantini, & LICINIVS adolescens, Licinij Augusti filius, Constantini ex sorore nepos, Cæsa-
321. XII. res appellantur. Quorum Crispum Lactantius
322. XIII. Latinis litteris erudiuit, vir omnium suo tempore eloquentissimus, sed adeò in hac vita pauper, vt plerumque etiam necessarijs indiguerit.

CCLXXV. OLYMP.

323. XIV. Licinius Christianos de palatio suo pellit.

Basileus Amasiæ Ponti Episcopus sub Licinio martyrio coronatur.

324. XV. Alexandrinæ Ecclesiæ XIX. ordinatur Episcopus ALEXANDER; à quo* Arrius presbyter de ecclesia eiectus, multos suæ impietati sociat. Ad quorum perfidiam coarguendam, synodus CCCXVIII. Episcoporum in Nicæam vrbem Bithyniæ congregata, omnes hæreticorum machinas HOMOVSII oppositione deleuit.

* Arius.

Onufrium & Baron. lege.

325. XVI.

MMCCCXL. 326. XVII. CONSTANTIVS filius Constantini Cæsar factus.

Licinius Thessalonicæ contra ius sacramenti priuatus occiditur.

a CCLXXVI. OLYMP.

a *Pontacus hic legatur.*

327. XVIII. Nazarius Rhetor insignis habetur.

328. XIX. Crispus filius Constātini, & Licinius iunior, Constantiæ Constātini sororis & Licinij filius, crudelissimè interficiuntur. b

b anno imperij sui nono, *additur in alijs mss.*

329. a XX. Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.

a *Pontacum hoc loco cōsule.*

* *Eusebij Cæsariensis Episcopi chronicon explicit.*

* *Hunc Eusebio epilogum, vt & versa pagina Hieronymo titulum, visum fuit adscribere, discriminis faciendi: etsi à mss. codicibus ista absint.*

HIERO-

HIERONYMI PRESBYTERI CRONICON.



Huc vsque historiã scribit EVSEBIVS, *Pamphili contubernalis: cui nos ista subiecimus.*

330. [a] XXI. ARNOBIVS Rhetor in Africa clarus habetur: qui cùm Siccæ ad declamandum iuuenes erudiret, & adhuc ethnicus ad credulitatem somnijs compelleretur, neque ab Episcopo impetraret fidem, quam semper impugnauerat, elucubrauit aduersum pristinam religionem luculentissimos libros; & tandem velut quibusdã obsidibus pietatis fœdus impetrauit.

a In ms. codice Ortel. itemq; Scaligero est annus Christi 328. In ms Lips. 329. At Pontaco 330. In mss. autem Amandino & Aquic. anni Christi non notantur. Nec id mirum; cum ratio numerandi per annos Christi, demùm inuenta atque in vsum deducta reperiatur à Dionysio Exiguo, multis annis Eusebio, Hieronymo, Prospero, alijsq; vetustis chronographis posteriore.

•Drepanam, Bithyniæ ciuitatem, in honorem martyris Luciani, ibi conditi, Constantinus instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupauit. • Drepanum.

CCLXXVII. OLYMP.

331. XXII. In Antiochia Dominicum, quod vocatur Aureum, ædificari cœptum.

Constantinus vxorem suam Faustam interfecit.

Donatus agnoscitur: à quo per Africam Donatiani.

Antiochiæ post Tyrannum XX. ordinatur Episcopus VITALIS; post quem XXI. PHILOGONIVS; cui successit XXII. PAVLLINVS; post quem XXIII. EVSTATHIVS. Quo in exsilium ob fidem truso, vsque in præsentem diem Arriani Ecclesiam obtinuerunt, id est Eulalius, Euphronius, Eusebius, Placillus,

DOM. ROM.

* Mellitus, *Mariano Scotto.*

lus, Stephanus, Leontius, Eudoxius, Meletius, Euzoius, Dorotheus, rursum Meletius. Quorum idcirco tempora non digessi, quòd eos hostes potiùs Christi, quàm Episcopos iudicē.

332. XXIII. Iuuencus presbyter, natione Hispanus, Euangelia heroicis versibus explicat.

Porphyrius, misso ad Constantinum insigni volumine, exsilio liberatur.

333. XXIV. Alexandriæ XIX. ordinatur Episcopus ATHANASIUS.

Dedicatur Constantinopolis, omnium pænè vrbium nuditate.

Metrodorus Philosophus agnoscitur.

Romæ XXXII. Episcopus ecclesiam tenuit MARCVS mensibus VIII. Post quem XXXIII.

334. XXV. ordinatus est IVLIVS, annis XVI, mensibus IV.

CCLXXVIII. OLYMP.

335. XXVI. Edicto Constantini gentilium templa subuersa sunt.

Romani Gothos in Sarmatarum regione vicerunt.

* Constans filius Constantini prouehitur ad regnum.

* *Sic & Marianus ms. In mss. Aquic. Lips. & Ortel. itemq́; Scaligero* Cōstantius. MMCCCL.

336. XXVII. Pestilentia & fame innumerabilis multitudo in Syria Ciliciaque perit.

337. XXVIII. Sarmatæ * Limigantes dominos suos, qui nunc Argaragantes vocantur, factâ manu, in Romanum solum expulerunt.

* *De ijs Marcellinus lib.* 17. & 19.

Calocærus, in Cypro res nouas molitus opprimitur.

338. XXIX. Constantinus, cum liberis suis, honorificas ad Antonium litteras mittit.

Tricennalibus Constantini, Dalmatius Cæsar appellatur.

Pater

DOM. ROM.

CCLXXIX. OLYMP.

339. XXX. | * Pater Rhetor Romæ gloriosissimè docet.

* *Sic & mss. ceteri & Pontacus legunt. at Scaliger,* Patera, *ex Ausonio in Rhetoribus; Hieronymus,* Paterius, *epist. ad Hedybiam.*

Nazarij Rhetoris filia in eloquentia patri coæquatur.

Tiberianus, vir disertus, Præfectus prætorio Gallias regit.

Eustathius Constantinopolitanus presbyter agnoscitur: cuius industriâ in Hierosolymis Martyrium constructum est.

340. XXXI. [a] Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediési Episcopo baptizatus, in [b] Arrianorum dogmate declinat: à quo vsque in præsens tempus ecclesiarum rapinæ & totius orbis est secuta discordia.

a *Baronium in Annal. Bellarminū in Controuers. Pontacū hoc loco aliosq́ consule. In Mariani chronico ms, legitur* rebaptizatus.

b Arrianum dogma, *in alijs mss.*

Constantinus cùm bellum pararet in Persas, in [c] Acyrone villa publica, iuxta Nicomediam, moritur anno ætatis LXVI. post quem tres liberi eius ex Cæsaribus Augusti appellantur.

c Achyrone, *vel* Ancyrone, *alij,* Ancyra, apud Nicomediam, *Marcell. lib.* 20.

Romanorū XXXV. regnauit * CONSTANTINVS & CONSTANTIVS & CONSTANS annis XXIV. mensibus V. diebus XIII.

* *Sic & ceteri mss. Scaliger legit,* Constantius, Constātinus & Constans.

341. I. Ablabius Præfectus prætorio & multi nobilium occisi.

Sapor Rex Persarum, Mesopotamiâ vastatâ, duobus fermè mensibus Nisibin obsedit.

Dalmatius Cæsar, quem patruus Constantinus consortem regni filijs dereliquerat, factione Constantij patruelis, & tumultu militari interimitur.

Iacobus Nisibenus Episcopus agnoscitur: ad cuius preces sæpè vrbs discrimine liberata est.

342. II. Ex hoc loco impietas Arriana, Constantij Regis fulta præsidio, exsilijs, carceribus & varijs afflictionum modis primùm Athanasium,

G deinde

DOM. ROM.

deinde omnes non suæ partis Episcopos persecuta est.

CCLXXX. OLYMP.

343. III. Constantinus bellum fratri inferens iuxta Aquileiam * Alsæ occiditur.

* *Sic & alij mss. mira phrasi, cùm Alsa sit fluuius, non opidum.*

344. IV. Vario euentu aduersum Francos à Constante pugnatur.

Multæ Orientis vrbes terræ motu horribili conciderunt.

Audæus in * Syria-Cœle clarus habetur: à quo hæresis Audiana.

* *Sic & mss reliqui, & Pontacus. at Scaliger legit simpliciter,* in Syria. *Marianus autem,* in Cœle-Syria. *Apud Plinium l. 5. c. 12. & Melam l. 1. c. 11.* Cœle *inter 12. Syriæ regiones numeratur.* Cœle-Syriç *Ptolemæus, Strabo & sacræ litteræ non vno loco meminere.*

345. V. Franci à Constante perdomiti, & pax cum eis facta.

Hermogenes, Magister militiæ, Constantinopoli tractus à populo, ob Episcopum Paullum: quem Regis imperio & Arrianorum factione pellebat.

Antiochiæ Dominicum aureum dedicatur.

* Macedonius, artis plumariæ, in locum Paulli ab Arrianis Episcopus subrogatur: à quo nunc hæresis Macedoniana.

* *De eo legēdus omninò Baronius.*

Paullus crudelitate Præfecti Philippi (nam fautor Macedonij partium erat) & Arrianorum insidijs strangulatur.

MMCCCLX. 346. VI. Maximinus Treuerorum Episcopus clarus habetur: à quo Athanasius Alexandriæ Episcopus, cùm à Constantio quæreretur ad pœnam, honorificè susceptus est.

CCLXXXI. OLYMP.

347. VII. Sapor Rex Persarũ Christianos persequitur.

Neocæsarea in Ponto subuersa, excepta ecclesia & Episcopo, ceterisque qui ibidem reperti sunt.

Titia-

DOM. ROM.

348. VIII. Titianus, vir eloquens, Præfecturam prætorio apud Gallias administrat.

Athanasius ad Constantis litteras Alexandriam regreditur.

Dyrrachium terræ motu corruit, & tribus diebus ac noctibus Roma natauit, plurimæque Campaniæ vrbes vexatæ.

349. IX. Magnis Reipublicæ expensis, in [a] Seleucia Syriæ portus effectus.

a Erat enim ad Tigrim fl. sita, teste Plinio.

350. X. [b] Rursum Sapor tribus mensibus obsedit Nisibin.

Eusebius Emisenus, Arrianæ signifer factionis, multa & varia conscribit.

b Sic alij nostri codices mss. itemq́. Pōtacus & Scaliger. In ms. Amandino paragraphus iste hoc loco omissus, paullò infra ad numerum XI ante illa verba; Nam vt alia omittam, *à dormitante, vt arbitror, librario est collocatus.*

Solis facta defectio.

CCLXXXII. OLYMP.

351. XI. Bellum Persicum nocturnum, apud [*] Singaram; in quo haut dubiam victoriam militum stoliditate perdidimus. Neque verò vllū Constantio ex nouē grauissimis prælijs contra Persas grauius bellū fuit. Nam vt alia omittam, Nisibi obsessā, [c] Bizabde & Amida captæ sunt.

** Mesopotamiæ vrbs est.*

c Sic mss. alij, Pontacus item & Scaliger. In ms. Amandino Bizandecta, Mida captæ sunt. *Est autem* Amida *hodie Arabibus* Ameth, *siue* Emeth; *Turcis* Kara-emeth, *id est* nigra Amida, *vt notat Scaliger.* Bizabde *est Amm. Marc. illino* Bezabde.

a Baron, to. 3. Annal. legatur.

XL. [a] MAXIMVS post Macarium Hierosolymorū Episcopus moritur. Post quem Ecclesiam Arriani inuadunt, id est Cyrillus, Eutychius, rursum Cyrillus, [*] Hirenius, tertiò Cyrillus, Hilarius, quartò Cyrillus: quorum Cyrillus, cùm à Maximo fuisset presbyter ordinatus, post mortem eius, ita ei ab Acacio Episcopo Cæsariensi, & ceteris Arrianis episcopatus promitteretur, si ordinationē Maximi repudiasset, diaconus in Ecclesia ministrauit. Ob quam impietatem sacerdotij mercede pensatus, Heraclium, quem moriens Maximus in suum locum substituerat, varia fraude [a] sollicitans, de Episcopo

** Irenæus.*

a Ita mei mss. & Marianus. at Scaliger legit, sollicitatus.

DOM. ROM.

ſcopo in presbyterum regradauit.

352. XII. Romanæ Eccleſiæ XXXIV. ordinatur Epiſcopus * LIBERIVS : quo in exſilium ob fidem truſo, omnes clerici iurauerunt, vt nullum alium ſuſciperẽt. Verum cùm * Felix ab Arrianis fuiſſet in ſacerdotium ſubſtitutus, plurimi peierauerunt, & poſt annum cum Felice eiecti ſunt : quia Liberius tædio victus exſilij, & in * hæretica prauitate ſubſcribens, Romam quaſi victor intrauerat.

* De his omnibus cõſule Platinam, Onufrium, Baroniũ, Ciaconium & alios historia Pontificia ſcriptores.

353. * XIII. Magnentio apud Auguſtodunum arripiente imperium, Conſtans haud longè ab Hiſpania, in caſtro, cui Helenæ nomen eſt, interficitur, anno ætatis XXX. Quamobrem turbatâ R. P. * VETRANIO Murſæ, NEPOTIANVS Romæ Imperatores facti.

* Conſentit Socrates.

Alij, Helene, Mariano Helena, hodie Elna, vicus in faucibus Pyrenæis.

* Id eſt, Republica, vt in alijs mss.

Romæ populus, aduerſum Magnentianos rebellans, ab Heraclida Senatore proditur.

Nepotiani caput pilo per vrbem circumlatum, multæque proſcriptiones nobilium & cædes factæ.

Vetranioni apud Naiſſum à Conſtantio regium inſigne detractum.

354. XIV. Magnentius * Murſæ victus: in quo prælio Romanæ vires conciderunt.

* GALLVS Conſtantij patruelis Cæſar factus.

* Eſt in Pannonia inferiore. Sic & Zoſimus & Marianus ms.

* Baron. to. 3. an. 350. & 351. conſule.

CCLXXXIII. OLYMP.

355. XV. Gallus Iudæos, qui interfectis per noctem militibus arma ad rebellandum inuaſerant, oppreſſit, cæſis multis hominum millibus, vſque ad innoxiam ætatem; & ciuitatem eorum Diocæſaream, Tiberiadem & Dioſpolim, plurimaque opida igni tradidit.

Nonnulli nobilium Antiochiæ à Gallo interfecti.

Magnen-

DOM. ROM.

MMCCLXX. 356. XVI. Magnentius Lugduni in palatio propria se manu interficit, & DECENTIVS frater eius, quem ad tuendas Gallias Cæsarē miserat, apud Senonas laqueo vitam explet.

Gennadius [a] Foronensis Orator Romæ insignis habetur.

[b] Mineruius Burdigalensis Rhetor Romæ florentissimè docet.

357. XVII. Gallus Cæsar, sollicitatus à Constantio patrueli, cui in suspicionem ob egregiam indolem venerat, [*] Istriæ occiditur.

SILVANVS in Gallia res nouas molitus, XXVIII. die exstinctus est.

Victorinus Rhetor, & Donatus Grammaticus, præceptor meus, Romæ insignes habentur: è quibus Victorinus etiam statuam in foro Traiani meruit.

Paullinus & [*] Rodanius Galliarum Episcopi, in exsilium ob fidem trusi.

358. XVIII. Alcimus & Delphidius Rhetores in Aquitania florentissimè docent.

[a] Petrus Cæsaraugustæ Orator insignis docet.

Donatus, à quo supra Donatianos in Africa dici memorauimus, Carthagine pellitur. Quidam sectatores eius etiam Montenses vocant, eò quòd ecclesiam Romæ primùm in monte habere cœperint.

Eusebius Vercellensis Episcopus, & [*] Lucifer ac Dionysius, Caralitanæ & Mediolanensis Ecclesiæ Episcopi; Pancratius quoque Romanus presbyter, & Hilarius diaconus, distantibus inter se ab Arrianis & Constantio damnantur exsilijs.

a *Ita codex Amand. at in alijs mss. & apud Marianū*, Forensis, *id est*, Forosegusianus.

b *Fuit præceptor Ausonij.*

* *In vrbe maritima Istria Elanona, vt notat Scaliger.*

* *Sic & Zozomen. l. 4. c. 9. Sed in vita S. Athanasij & apud Marianum dicitur* Rodanus.

a *Hunc paragraphum ex alijs mss. adscripsimus. Deest enim in Amandino.*

* *Photij Bibliothecam consule.*

DOM. ROM.

CCLXXXIV. OLYMP.

359. XVIIII. IVLIANVS, frater Galli, Mediolani Cæsar appellatur.

a Greg. Turonensis l. 1. c. 38. disertè scribit Antonium transijsse anno nonodecimo Constantij iunioris. Sic enim legendum, non Constantini.

[a] Antonius monachus CV. anno ætatis in eremo moritur; solitus multis ad se venientibus de Paullo quodam Thebæo miræ beatitudinis viro referre complura: cuius nos exitum breui libello explicuimus.

Sulpicium Seuerum l. 2. lege.

Hilarius Episcopus Pictauiensis, factione Saturnini Arelatẽsis Episcopi, reliquorumque, qui cum eo erant, Arrianorum, ante triennium in Phrygiam pulsus, libros de nostra religione componit.

Vide Baron.

Reliquiæ Apostoli Timothei Constantinopolim inuectæ.

Sarmata, Amathas & Macarius discipuli Antonij insignes habentur.

LIBERIVS Episcopus Romanus in exsilium mittitur.

Magnæ Alamannorum copiæ, apud Argentoratum opidum Galliarum, à Cæsare Iuliano oppressæ.

360. XX. Saraceni, in monasterium beati Antonij inruentes, Sarmatam interficiunt.

Id 20. Constãtij anno factũ testatur Hieronymus lib. de Script. ecclesi. in vita S. Lucæ. Consentit itaq; cum nostro ms. codice Amandino.

Constantio Romam ingresso, Andreæ Apostoli & Lucæ Euangelistæ reliquiæ à Constantinopolitanis miro fauore susceptæ.

361. XXI. Nicomedia terræ motu funditus euersa, vicinis vrbibus ex parte vexatis.

Paullinus Treuerorum Episcopus in Phrygia exulans moritur.

Euanthius eruditissimus Grammaticorum Constantinopoli diem obit: in cuius locum ex Africa [a] Chrestus adsumitur.

a Sic & Marianus.

362. XXII. Synodus apud Ariminum & Seleuciam Isauriæ facta; in qua antiqua Patrum fides decem

Tomos Conciliorum, nuper Coloniæ editos, consule.

DOM. ROM.

cem primùm Legatorum, dehinc omnium proditione damnata est.

Honoratus, ex Præfecto prætorio Galliarum, primus Constantinopoli Præfectus Vrbis factus.

Gratianus, qui nunc Imperator est, nascitur.

Hilarius cùm apud Constantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias redit.

Macedonius Constantinopoli pellitur.

CCLXXXV. OLYMP.

363. XXIII. Omnes pænè toto orbe Ecclesiæ, sub nomine pacis & * Regis, Arrianorum consortio polluuntur.

** Sic mss. at Marianus legit,* religionis.

Constantinopoli ecclesiarum maxima dedicatur.

Meletius Sebastiæ Armeniorum Episcopus ab Acacio & Georgio Episcopis Arrianis Antiochiam transfertur; & post non grande temporis interuallum, cùm presbyteros, qui ab Eudoxio antecessore suo depositi fuerant, suscepisset, exsilij iustissimam caussam subita fidei mutatione delusit.

Baron. & alij legantur.

Gallia per Hilarium a Ariminensis perfidiæ dolos damnat.

a Sic & Marianus. Baron. consule.

364. XXIV. Constantius a Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamque moritur, anno ætatis XLV.

a Siue Mopsuestiæ, *vt Ammianus ait. Nam vna eademq; vrbs istis nominibus designatur, vt Ios. Scaliger obseruauit, etsi Plinius & Ptolemæus duas esse velint.*

Romanorum XXXVI. regnauit IVLIANVS anno vno, mensibus VIII.

365. a I. Iuliano ad idolorum cultum conuerso, blanda persecutio fuit, inliciens magis quàm impellens ad sacrificandum: in qua multi ex nostris voluntate propriâ corruerunt.

a In ms. Ortel. itemq; Scaligero est an. 363. In Lips. codice 364. at Pontaco 365.

Georgio per seditionem populi incenso, qui in locum Athanasij ab Arrianis fuerat or-

dinatus,

DOM. ROM.

dinatus, Athanasius Alexandriam reuertitur.

Eusebius & Lucifer de exsilio regrediũtur: è quibus Lucifer, [a] adscitis duobus alijs confessoribus, Paullinum Eustathij Episcopi presbyterum, qui se numquam hæreticorum communione polluerat, in parte catholica Antiochiæ Episcopum facit.

[a] Gorgonium dicit de Germanicia, & Cymacium de Gabala. Hæc vera codicis Amandini leguntur adscripta, vt & Bongarsiani, teste Scaligero. Vide Theodoret. hist. eccles. l. 3. c. 5.

MMCC LXXX. 366. II.

Proæresius Sophista Atheniensis, lege datâ, ne Christiani liberalium artium doctores essent, cùm sibi specialiter Iulianus concederet, vt [b] Christianus doceret, scholam sponte deseruit.

[b] Sic disertè codex Amand. nõ, Christianos, vt alij mss.

Æmilianus ob ararum subuersionem [c] Dorostori à Vicario incenditur.

[c] Mysiæ inferioris vrbs est.

Ecclesia Antiochiæ clausa, & grauissima imminentis persecutionis procella, Dei voluntate, sopita est. Nam Iulianus in Persas profectus nostrum post victoriam Dijs sanguinem vouerat: vbi à quodam simulato perfuga ad deserta perductus, cùm fame & siti [*] Apostata perdidisset exercitum, & inconsultiùs à suorum erraret agminibus, ab obuio fortè hostiũ equite, conto ilia perfossus, interijt, anno ætatis [a] XXXII. Post quem sequenti die IOVIANVS ex Primicerio domesticorum Imperator factus est.

[*] apostatã, in mss. & apud Marianum.

[a] Sic rectè codex Amãdinus. Disertè enim Ammianus, anno ætatis altero & tricesimo. Itaq; in alijs mss. mendosè legitur XL. De morte Iuliani fusè Baron. in Annal.

CCLXXXVI. OLYMP.

Romanorum XXXVII. regnauit IOVIANVS mensibus III.

367. [a] I.

[a] In mss. Orsel. itemq; Scaligero est an. 365. In Lips 366 At Pontaco 367.

[*] Iouianus, rerum necessitate compulsus, Nisibin & magnam Mesopotamiæ partem Sapori Persarum Regi tradidit.

Synodus Antiochiæ à Meletio & suis facta: in qua HOMOVSIO ANOMOEOQVE reiecto, medium inter hæc HOMOEOVSION Macedonianum dogma vindicauerunt.

[*] Baronium in Annal. & Pontacum suis loco lege.

Iouianus cruditate siue odore prunarum, quas

DOM. ROM.

* *In aliis mss.* XXXIII.

a *Sic mss. at Marianus legit,* è Pannonia Cibalensi. *Pontaco magis probatur,* Cibaliensi.

quas nimias adoleri iusserat, Dadastanæ moritur, anno ætatis * XXXIV. Post quem VALENTINIANVS, Tribunus Scutariorum è Pannonia a Cibalensis, apud Niceam Augustus appellatus, fratrem VALENTEM Constantinopoli in communionem regni adsumit.

Romanorum XXXVIII. regnauit VALENTINIANVS, & VALENS annis XIV. mens. V.

365. a I. Valentinianus egregius aliàs Imperator & Aureliano moribus similis, nisi quòd seueritatem eius nimiam & parcitatem, quidam crudelitatem & auaritiam interpretabantur.

a *In ms. Ortel. itemq; Scaligero est an.* 366. *In Lips.* 367. *at Pontaco* 368.

369. II. a Apollinaris Laodicenus Episcopus multimoda nostræ religionis scripta componit.

a *Hieron, lib. de Script. eccl.*

Terræ motu per totum orbem facto, mare litus egreditur, & Siciliæ multarumque insularum vrbes & innumerabiles populos oppressit.

PROCOPIVS, qui apud Constantinopolim tyrannidem inuaserat, apud Phrygiam Salutarem exstinctus est: & plurimi Procopianæ partis cæsi atque proscripti.

Romanæ Ecclesiæ XXXV. ordinatur Episcopus DAMASVS. Et post non multum temporis interuallum, Vrsinus à quibusdam episcopus constitutus, * Sicininum cum suis inuadit: quò Damasianæ partis populo confluente, crudelissimæ interfectiones diuersi sexus perpetratæ.

* *Sic rectè codex Amandinus, & l. 27. Ammianus:* in basilica Sicinini. *Erat autem vna ex decē Vrbis Romæ basilicis. Marianus & alij legunt* Sicinium *vel* Sicinnium.

370. III. Valens ab Eudoxio Arrianorum Episcopo baptizatus nostros persequitur.

GRATIANVS Valentiniani filius Ambianis Imperator factus.

DOM. ROM.

Tanta Constantinopoli est orta tempestas, vt miræ magnitudinis decidens grando nonnullos hominum interfecerit.

Apud Atrebatas [a] lana cœlo pluuiæ mixta defluxit.

a *Atrebates nostri hodieq; lana huius reliquias in cathedrali basilica religiosè adseruant, & Manna vocant.*

Hilarius Episcopus * Pictauis moritur. * Pictauijs.

CCLXXXVII. OLYMP.

371. IV. Nicæa, quæ sæpè antè corruerat, terræ motu funditùs euersa.

Libanius Antiochenus Rhetor insignis habetur.

Agon Constantinopoli à Valente redditus.

372. V. * Haithanaricus Rex Gothorum, in Christianos persecutione commotâ, plurimos interficit, & de proprijs sedibus in Romanum solum expellit. * *Ita mss. nostri.* Athanaricus *alijs.*

373. VI. Eusebius Vercellensis Episcopus moritur.

Constantinopoli Apostolorum Martyrium dedicatur.

Magna fames in Phrygia.

Lucifer Caralitanus Episcopus moritur, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum, & Philone Lybiæ, numquam se Arrianæ miscuit prauitati.

374. VII. * Maximinus Præfectus annonæ, maleficos ab Imperatore inuestigare iussus, plurimos nobilium Romæ occidit. * Maximus.

Valentinianus in Britannia, antequam tyrannidem inuaderet, oppressus.

Presbyter Sirmij iniquissimè decollatur, quòd

DOM. ROM.

quòd Octauianum ex Proconsule apud se latitantem prodere noluisset.

CCLXXXVIII. OLYMP.

375. VIII. Didymus Alexandrinus multa de nostro dogmate per notarios commentatur: qui post quintum natiuitatis suæ annum luminibus orbatus, elementorum quoque ignarus fuit.

* Illyrici Equitius Comes iniquissimis tributorum exactionibus antè prouincias, quas regebat, quàm à barbaris vastarentur, erasit.

** Sic codex Amandinus, & Marianus: sed alij mss. legũt, Probus Præfectus Illyrici.*

376. IX. Eunomius, discipulus Aetij, Constantinopoli agnoscitur; à quo hæresis Eunomiana.

Saxones cæsi [a] Deusone in regione Francorum.

[a] Ita codex Amãdinus & septem mss. Vaticani, itemq; Scaliger; vt nimirũ Deuso *sit opidum aut locus in Francorum Saxonumq; finibus, vltra Rhenum. Alij mei mss legunt* de Vsone. *Pontacus* ad Vsonem. *Marianus ms.* Saxones cæsi de Hassia in regione Francorum.

[b] Burgundionum LXXX. fermè millia, quod numquam antea, ad Rhenum descenderunt. *b Ammianus lib. 18.*

Clearchus Præfectus Vrbi Constantinopoli agnoscitur: à quo necessaria & diu exspectata votis aqua ciuitati inducitur.

Alexandriæ XX. ordinatur Episcopus PETRVS: qui post Valentis interitum tam facilis in recipiendis hæreticis fuit, vt nonnullis suspicionem acceptæ pecuniæ intulerit.

377. X. Melania nobilissima mulierum Romanarum, * Marcellini quondam Consulis filia, vnico Prætore tunc vrbano filio derelicto, Hierosolymam nauigauit: vbi tanto virtutum, præcipueque humilitatis miraculo fuit, vt Teclæ nomen acceperit. * Marcelli.

Post Auxentij feram mortem, Mediolani

DOM. ROM.

• Vide Baron.

Ambrosio Episcopo constituto, • omnis ad fidem rectam Italia conuertitur.

Aquileienses clerici quasi chorus beatorum habentur.

• Hic paragraphus deest in codice Amandino. Ex alijs tamen mss. adscribendum indicauimus, cum Scaligero.

• Theodulus miserabilis presbyter, dum aduersum conscientiam furoris sui sacrificia Deo offerre audet, in medijs precibus eliditur.

378. XI. Quia superiori anno Sarmatæ Pannonias vastauerant, ijdem Consules permansêre.

Valentinianus, subita sanguinis eruptione, quod Græcè apoplexis vocatur, Brigitione moritur. Post quem GRATIANVS, adsumto in imperium VALENTINIANO fratre, cum patruo Valente regnat.

Multi monachorum Nitriæ per Tribunos & milites cæsi.

Valens lege datâ vt monachi militarent, nolentes fustibus iussit interfici.

Theodosius, Theodosij postea Imperatoris pater, & plurimi nobilium occisi.

CCLXXXIX. OLYMP.

379. XII. Photinus in Galatia moritur: à quo Photinianorum dogma • Iudaicum.

• Sic omnes mss. quibus adstipulatur Marianus. Lege Vincentium Lerinensem c. 17. Notat autem Scaliger Photinum non Zmyrnæ aut Gallogræciæ Sirmiæ (vt quidam scribunt) sed Syrmij in Pannonia Episcopum, atque in Galatiam relegatum ob hæresim fuisse.

Basilius Cæsariensis Episcopus Cappadociæ clarus habetur.

Ala-

DOM. ROM.

Alamannorum XXX. circiter millia apud Argentariam opidum Galliarum ab exercitu Gratiani strata.

Florentinus, Bonosus & Rufinus insignes monachi habentur: è quibus Florentinus tam misericors in egentes fuit, vt vulgò Pater pauperum nominatus sit.

380. XIII. Gens * Hunnorum Gothos vastat: qui à Romanis sine armorum depositione suscepti, per auaritiam Maximi ducis, fame ad rebellandum coacti sunt.

* Socratem lib. 5. capp. 34. & 35. aliosq; lege.

* Ita mss. Amandinus. Alij, Hunonum.

Superatis in congressione Romanis, Gothi funduntur in * Thracia.

* Sic mei mss. & Pontacus. at Scaliger legit, Thraciam.

381. XIV. Valens de Antiochia exire compulsus, serâ pœnitentiâ nostros de exsilijs reuocat.

* Lacrymabile bellum in Thraciâ: in quo deserente equitum præsidio, Romanæ legiones à Gothis cinctæ, vsque ad internecionem cæsæ sunt. Ipse Imperator Valens cùm sagitta saucius fugeret, & ob dolorem nimium sæpè equo laberetur, ad cuiusdam villulæ casam deportatus est. Quò persequentibus barbaris, & incensa domo, sepultura quoque caruit.

* Huic paragrapho codex ms. Amandinus præfigit notam XV. non item ceteri mei mss. vt nec Pontacus nec Scaliger.

Ab Vrbe conditâ, vsque ad extremum huius operis annum, fiunt anni MCXXXI. hoc modo:

Sub Regibus anni [a] CCXL.

Sub Consulibus anni [b] CCCCLXIV.

a Sic & Cassiodorus veteris editus. & Idacius. Vide suprà Eusebium Olymp. 67.

b Sic codex Amandinus, & alij mei mss. legunt, circa Olymp. 67. hoc autem loco, CCCLXIV. sed perperam. Hieronymus, Præfatione in Aggæum, disertè annos quadringentos sexaginta quattuor à Bruti Consulatu numerat; & rectè.

DOM. ROM.

Sub Augustis & Cæsaribus anni c CCCC XXVII.

c Sic legendum suadet ratio calculi, & mss. codices aliquot, quibus vsus est Pontacus; etsi mss. nostri habeant, DXXVI.

d Colliguntur omnes anni vsque ad Consulatum Valentis e VI. & Valentiniani iunioris iterum Augusti,

e Sic mei mss.

d Reliqua vsque ad finem chronici huius exstant in omnibus meis mss. & apud Pontacum, itemque in optimo ac vetustissimo codice Bongarsiano, teste Scaligero.

A XV. Tiberij anno, & prædicatione Domini IESV CHRISTI, anni CCCLI.

f A II. anno Darij Regis Persarum, quo tempore Templum Hierosolymis instauratum est, anni DCCCXCIX.

f Vide suprà ad an. Christi 30.

Ab Olympiade prima, quâ ætate apud Hebræos Isaias prophetabat, anni MCLV.

A Salomone, & prima ædificatione Templi, anni MCCCCXL.

A captiuitate Troiæ, quo tempore Sampson apud Hebræos erat, anni MDLXI.

A Mose & Cecrope primo Rege Atticæ, anni a MDCCCCXXXV.

a Calculus annorum ab anno 35. Mosis seu 1. Cecropis producit hanc summam 1935. Quam quidem visum fuit hoc loco cum Pontaco collocare, etsi mss. nostri habeant MDCCCXC. In Bongarsiano autem codice exstant anni MDCCCCXC.

Ab Abraham, & regno Nini, & Semiramidis, anni MMCCCXCV.

b CONTINET c OMNIS CANON ab Abraham, vsque ad tempus suprascriptum annos MMCCCXCV.

c OMNIS

b Hic paragraphus exstat in ms. Amandino, non autem in ceteris meis mss. codicibus.

A Di-

DOM. ROM.

d A Diluuio autem, vsque ad Abraham supputantur anni DCCCCXLII.

d *Sic præter Marcellinum & Idacium Cassiodorus;* Ab Adam, *inquit*, vsque ad Diluuium, sicut ex chronicis Eusebij & Hieronymi collegimus, anni sunt MMCCXLII. *Sic itaque legendum supra ad annum Christi 30. cum Pontaco & Scaligero. Quo loco ad oram libri ex eisdem scribe* DCCCCXLII. *non autem* DCCCCII.

Et ab Adam, vsque ad Diluuium, anni MMCCXLII.

FIVNT AB ADAM, vsque ad XIV. Valentis annum, id est adusque Consulatũ eius VI. & Valentiniani iterum, omnes anni e MMMMMDLXXIX.

e *Sic & Marcellinus, Cassiodorus, itemq; Pontacus. Codex autem Bongarsianus legit* MMMMMDLXXXIX. *De his & alijs supputationibus seu subductionibus annorum consule Franciscum Haræum in Olympiadibus ac Fastis, Coloniæ an. 1602. editis.*

EXPLICIT HIERONYMI CHRONICON, ITEMQVE * VETVSTISSIMVS CODEX MS. MONASTERII SODALIVM BENEDICTINORVM S. AMANDI, IN PABVLA, APVD NERVIOS, DIOECESIS TORNACENSIS.

* *Est enim vncialibus seu capitalibus, vt vocant litteris integrè conscriptus: cuius generis libri mss. optimæ sunt notæ ac fidei.*



CHRONICON SIGEBERTI GEMBLACENSIS MONACHI.

Ad autographum, veteresque codices manuscriptos comparatum.

ACCESSIT

ANSELMI Gemblacensis Abbatis Chronicon, cum Auctarijs GEMBLACENSI, AFFLIGEMENSI, VALCELLENSI & AQVICINCTINO,

primùm typis nunc editum.

STVDIO


AVBERTI MIRÆI *Bruxell. Canonici & Bibliothecarij Antuerp.*





ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum Verdussen.
ANNO M. DC. VIII.

AVBERTVS MIRÆVS
LECTORI S. D.




AGNO nuper Ecclesiæ bono, EVSEBII & HIERONYMI CHRONICA, cum manuscriptis codicibus comparata, in publicum prodierunt. Excipit illa SIGEBERTI, Gemblacensis in Brabantia monachi Benedictini, CHRONICON: quod cum veteribus itidem libris calamo exaratis à me ex fide diligentiaque collatū, Ecclesiæ pariter iuuandæ studio, mi Lector, repræsento. Atque inter hos quidem [a] *Gemblacensis* codex, vt domesticus, sic & antiquissimus fuit; ipsius nimirum auctoris manu si non scriptus, descriptus saltem ex eius, quantum ex litteris pænè fugientibus conijcere licet, autographo. Secundas obtinet exemplar [b] *Aquicinctinum*, à Benedictino itidem cœnobij illius apud Duacum monacho, olim exaratū, ampliterque auctum: vt debemus illustri ac vetustæ D. Benedicti familiæ scriptionem à multis retrò seculis, itemque conseruationem omnis melioris doctrinæ. [c] Tertius codex fuit Cl. V. *Iusti LipsI* μακαρίτου, quem pro sua, erga nos beniuolentia vtendum libens tradidit. [d] Quartus *Abrahami Ortelij* Cosmographi regij, eoque vitâ functo, *Ioannis Liuinei*, hominis eruditissimi, & nostri quondam collegæ fuit: nunc à Patribus Soc. IESV Antuerpiæ adseruatur. Visi nobis & alij codices manuscripti varijs in bibliothecis, cùm priuatis tum publicis. Ceterùm semel id monuisse satis sit, quæ minori charactere excudenda curauimus, ea aut Gemblacensi in codice, vt diximus, domestico non reperiri, aut si quæ erant, recenti manu esse agglutinata: vt culpam præstare alienam Sigebertus haudquaquam teneatur. Qualia sunt, quæ à racematoribus plerumque indoctis adiecta, aut ex nugis ac quisquilijs *Galfridi Monumetensis* seu *Asaphensis* inspersa leguntur. Quo modo primùm typis Henrici Stephani Lutetiæ Parisiorum anno M.D.XIII. inquinatum hoc Sigeberti Chronicon exijt: quod & inscriptio ac prooemium ibidem ingenuè profitentur, his verbis: *Sigeberti Gemblacensis cœnobitæ Chronicon, ab anno 381. ad 1113. cum Insertionibus ex historiâ Galfridi, & Additionibus Roberti Abbatis Montis, centum & tres sequentes annos complectentibus, promouente egregio Patre D. G. Parno, Doctore Theologo, Confessore regio, nunc primum in lucem emissum, Parisijs per Henricum Stephanum, an. 1513.*

[a] Vide infra ad an. 1136. & 1148.
[b] Infra ad ann. 1193 1200.
[c] Infra ad ann. 1148 & 1163. & 1225.
[d] Infra ad ann. 1151 & 1163.

Ceterum Appendicem *Roberti* Abbatis Montis Naualis, in Normannia, studio prætermisi; cùm quòd mendis scateat, tum quòd manuscriptam videre nondum contigerit. Huius autem loco, ANSELMVM, Abbatem Gemblacensem hactenus non visum, cum *Auctarijs* in lucem adspectumque profero. Cuius, vtpote collegæ ac studiorum socij, iudicium quanti Sigebertus fecerit, argumento est quòd in Computu suo Ecclesiastico, seu libro De-cennali, hunc ipsum *Anselmum* (vt equidem existimo) vnicum loquentem ac disse-

differentem introduxerit. Is paucis post Sigeberti obitum mensibus Abbas Gemblaci creatus, eiusdem Chronicon continuauit, obijtque MCXXXVI.

Finem faciam, vnum si addidero, religioni mihi fuisse, oblitterare, si quæ fortè, vt occurrent, à *Sigeberto* dicta asperiùs aut imprudentiùs. In ea enim tempora ac loca, quæ turbatam maximè Rempublicam atque Ecclesiam senserunt, miser incidit: quo factum vt Pontificibus Romanis parum æquus, Imperatoribus, quos inter versabatur, plus nimiùm fauerit atque adhæserit. Porrò quæ *Sigeberto*, eadem esto gratia *Anselmo* Gemblacensi, & ceteris Auctariorum conditoribus; si fortè vspiam liberiùs, pro temporum ratione, locuti sint aut scripserint. Vale, mi Lector, & faue.

VARIORVM SCRIPTORVM DE SIGEBERTO TESTIMONIA.

Sigebertus ipse lib. De Scriptoribus Ecclesiast. cap. CLXXII.

SIGEBERTVS *Gemblacensis monachus multa scripsi opuscula, Metis positus in prima ætate,*
1. *in ecclesia sancti Vincentij ad instruendos pueros. Scripsi vitam* 1 Theoderici *Episcopi conditoris*
ecclesiæ & Abbatiæ: in qua etiam per digressionem laudem ipsius Vrbis heroico metro declamaui.
2. *Scripsi passionem* 2 sanctæ Luciæ, *quæ ibi requiescit, Alchaico metro. Quibusdam etiam reprehen-*
dentibus illam Sanctæ Luciæ prophetiam; Annuntiò vobis pacem Ecclesiæ Dei datam, Diocle-
tiano eiecto de regno suo, & Maximiano hodie mortuo; *respondi diligenter considerata temporum ra-*
tione, & rerum veritate. Scripsi nihilominus sermonem in laudem ipsius virginis, in quo translationes
ipsius à Sicilia in Corfinium ciuitatem Italiæ & à Corfinio in Metim vrbem Galliæ, ordinata temporum
3. *consequentia, digessi. Scripsi vitam* 3 Sigeberti *Regis conditoris ecclesiæ & Abbatiæ Sancti Martini extra*
4. *ciuitatem Metensem sitæ. Regressus ad monasterium Gemblacense scripsi passionem* 4 Thebæorum *patro-*
5. *norum nostrorum heroico carmine. Scripsi vitam* 5 S. Guiberti *Confessoris, fundatoris ecclesiæ nostræ Gem-*
blacensis, de qua excerpsi lectiones competenti ordine in eius depositione. Arte autem Musica Antiphonas &
6. *Responsoria de sanctis* Maclouo *&* Guiberto *mellificaui. Scripsi &* 6 Gesta *Abbatum Gemblacensium,*
7. 8. *Vitas Sanctorum* 7 Macloui *&* 8 Theodardi *vrbaniori stilo melioraui. Vitam quoque* 9 *sancti* Lantberti,
9. *cùm in primis vrbanè meliorassem, postea rogatu Henrici Archidiaconi & Decani ecclesiæ S. Lantberti, de-*
floraui comparationibus antiquorum, iuxta consequentiam rerum: quamuis priorem, vtpote simpliciem,
quidam magis amplectantur, & curiosiùs transcribant. Est enim sensu apertior, & verbis clarior. Rogatu
10. *etiam prædicti viri, validis Patrum argumentis* 10 *respondi* Epistolæ Hildebrandi Papæ, *quam scripsit*
11. *ad Hermannum Metensem Episcopum, in potestatis regiæ calumniam. Scripsi ad ipsum Henricum* 11 A-
Baron. 10. pologiam *contra eos qui calumniantur Missas coniugatorum sacerdotum. Ipso etiam rogante* 12 *respondi*
11. §40. & Epistolæ Paschalis Papæ, *qui Leodicensem ecclesiam, æquè vt Cameracensem, à Roberto Flandrensium Co-*
alibi con- *mite iubebat perditum iri. Nihilominus ipso poscente* 13 *respondi Treuerensibus,* De ieiunio quattuor tem-
fule. porum; *qui regulas cuiusdam Bernonis, secundum allegoriam vt sibi videtur, benè concinnatas, obseruant, &*
12. *à consuetudine Leodicensium discordant. Descripsi heroico metro* 14 Ecclesiasten: *quem opere Stromateos tri-*
13. *pliciter digessi, ad litteram, allegoricè, mythologicè. Imitatus Eusebium Pamphili, qui primus apud Græ-*
14. *cos Chronica à tempore Abrahæ digessit,* 15 *ipse quoque à loco intermissionis eius, vsque ad annum* MCXI,
15. *omnem consequentiam temporum & rerum gestarum, quanta potui stili temperantia ordinaui. Cum dili-*
genter Bedam de temporibus relegerem, & ab eo notam Dionysio cyclorum scriptori infligi viderem, quia
malè dispositis annis Dominicæ Passionis, in terminis Paschalibus contraire per omnia videtur Euange-
lio Ioannis, dignum mihi visum est, altiùs repetendo, omnem dimouere nubem erroris, & verum diligen-
tibus infundere lumen veritatis. Siquidem Marianus Scottus, vir suo æuo longe disertus, hoc idem ingressus
erat, & Chronicam suam texens à Natiuitate CHRISTI, *vsque ad statum sui temporis, hinc annos*
CHRISTI *iuxta fidem Euangelij, inde è regione iuxta Dionysium ordinauerat, vt diligentia Lectoris*
pateret, quantum ipse Dionysius à veritate Euangelij deuiaret. Ego autem considerans fautores Dionysij semel
imbibita non leuiter descire, ita cautelam ingenioli mei æqua lance libraui, vt medius horum incedens
omnes annos ab origine mundi decursos, vel in futurum decursuros, inscripta ratione iuxta Hebraicam ve-
ritatem, colligerem; scilicet per cyclos Lunares, qui nouemdecim annis, & per cyclos Solares, qui XXVIII.
annis clauduntur, & per alterum multiplicati magnum cyclum quingentorum triginta duorum annorum
conficiunt, [illegible] distinctis hinc inde annis Adæ. Epactis concurrentibus terminis Paschalibus, [illegible]

[illegible]

dominicis Pascha, eadem via incedens, qua Dionysius, sed non ijsdem vestigijs. Quod diligens lector facilè inueniet, si curiosus fuerit. Et quia decem magnis cyclis qui singuli quingentis XXXII. annis constant, opus omne distinxi, ipsum librum hoc titulo prænotaui, ut 16 Decennalis *vocetur. Prologum etiã, in morem* 16.
dialogi, anteposui, quem tribus tomellis diuisi, indicans sub persona interrogantis & respondentis intentionem & utilitatem ipsius operis, & ad quam partem Philosophiæ pertineat, scilicet ad Physicam. Subiunxi etiam utiles regulas inueniendi annos, & terminos & Indictiones secundùm dispositiones ipsius. Imitatus etiam Hieronymum & Gennadium scripsi ultimum hunc libellum de 17 De Illustribus viris, 17.
quantum notitia mea inuestigationis exquirere potui.

Ex libro De gestis Abbatum Gemblacensium, quem Sigebertus incohauit, eius verò discipulus continuauit vsque ad an. 1136.

SIGEBERTVS *morum probitate & scientia multiplicitate laudabilis, & gratus sui temporis sapientibus, non indiget nostris laudibus. Laudant eum opera eius. Cùm enim esset iuuenilis ætatis, tempore* Maschelini *siue* Tietmari *Abbatis, Metensibus notificatus, & in cœnobio sancti Vincentij martyris, cum* Fulcuino *Abbate, diu conuersatus, sapientiæ fons patens erat, non solùm monachis, sed & clericis ad se vndique confluentibus. Multis Metensium hodieq; dulcis est eius memoria, in quibus adhuc supersunt doctrinæ eius vestigia. Quæ vel quanta illic degens, rogatu eorum, scripta ediderit, ipse ostendit in libro Illustrium virorum, quem composuit. Nec solummodò Christianis, sed & Iudæis, in eadem vrbe commanentibus, erat carissimus: eò quòd Hebraicam veritatem à cæteris editionibus secernere erat peritus, & in his, quæ secundùm Hebraicam veritatem dicebant, Iudæorum erat consentiens adsertionibus. Post multum temporis, vix impetrata licentia, rediens ad cœnobium Gemblacense, multa contulit ad vsum & ornatum ecclesiæ, quæ adquisierat voluntaria eorum, quos instruxerat, liberalitate. Frequentabant autem eum maiores natu, excellentiores gradu, acutiores sensu, qui erant in vrbe Leodicensi; si quid quæstionis occurreret eis, ad hunc deferre, & cum eo conferre soliti. Horum præcipuus erat* Henricus *Archidiaconus & Decanus ecclesiæ sancti Lamberti, cuius rogatu scripsit ad Treuirenses librũ* De ieiunijs quattuor temporum, *& multa quæ commemorat in libro Illustrium virorum. In cœnobio Gemblacensi, * me, qui hæc descripsi, & multò meliores erudiuit, quorum multos ante se præmisit, paucos post se dimisit. Vt vir prudens cùm esset multæ grauitatis, non erat indiscretæ austeritatis, sed erat ad omnes, vt res poscebat, discretæ mediocritatis. Scripturarum maximè diuinarum lectio & meditatio eum occupabat: sed tamen cottidiana Missarum celebratio, & deuota ad Deum oratio semper eum præoccupabat. Longa confectus senectute, cùm decubuisset extrema ægritudine, nihil amittens insita sua prudentiæ, fratrumq; voluntas esset, vt cùm obiret, intra monasterium sepulturæ locum acciperet, at vir altioris consilij, malens in conspectu Dei humilis, quàm præsumtuosus inueniri, obnixè petijt in cœmiterio nostro fratribus omnibus consepeliri. Obijt ergò III. Nonas Octob. tempore Liethardi Abbatis.*

* Nota ætatem continuatoris.

Ioannes Trithemius, libro De Scriptoribus Ecclesiasticis.

SIGEBERTVS *monachus Gemblacensis, ordinis S. Benedicti, natione Gallicus, vir in diuinis scripturis à iuuentute sua studiosissimus, & multùm eruditus, atque in sæcularibus litteris nulli suo tempore in Leodiensium territorio secundus, carmine exercitatus & prosa, scripsit vtroque stilo multa volumina, quibus nomen suum transmisit ad posteros. Reprehenditur autem in eo, quòd Henrico Imperatori, Romanæ Ecclesiæ persecutori & rebelli adhærens, contra Hildebrandum Gregorium VII. Papam litteras & opuscula scripsit, quæ suum propositum non decebant. Quid verò scripserit in fine Illustrium virorum apertè declarauit. Cùm in cœnobio S. Vincentij Metensi ad instruendos pueros esset positus, scripsit heroico metro:*

Vitam S. Theoderici Episcopi	lib. 1.	Passionem S. Luciæ metricè	lib. 1.
De translatione eiusdem	lib. 1.	Vitam S. Sigeberti Regis	lib. 1.
Passionem Thebæorum	lib. 1.	Vitam S. Guiberti	lib. 1.
Gesta Abbatum Gemblacensium	lib. 1.	Vitam S. Maclouij	lib. 1.
Vitam S. Theodardi	lib. 1.	Contra Papam Gregorium	lib. 1.
Apologiam ad Imperatorem	lib. 1.	Contra epistolam Paschalis Papæ	lib. 1.
In Ecclesiasten heroico metro	lib. 1.	Historiarum post Eusebium	lib. 1.
Epistolarum ad diuersos	lib. 1.	De Illustribus viris	lib. 1.

Alia etiam post hæc edidit, quæ cum suprascriptis opusculis non signauit. Claruit temporibus Henrici Imperatoris tertij, Regis quarti, Anno Domini 1110. *Chronicam suam perduxit vsque ad annum* 1111.

Ioannes Molanus, in Bibliotheca ſacra ſeu Theologica, quæ apud me exſtat ms.

SIGEBERTVS *monachus, primus inter Gemblacenſes ætate & conuerſatione, ſcientia & religione*, S. Guiberti *monaſterij ſui fundatoris eleuationem ſollicitauit & vitam deſcripſit*, 23. *Maij à Surio editam: item vitam* S. Sigeberti *Regis, ad Kal. Febr. tomo VII. Surij. Stilum item emendauit in vita* SS. Maclouij & Theodardi, *ibidem. Edidit* Chronicon *ab anno* 381 *vſque* 1112. *Pariſijs* 1513. *Francofurti* 1566. *excuſum, ſed quibuſdam interiectis. Imitatus Hieronymum, ſcripſit librum* De viris illuſtribus, *Coloniæ* 1580. *editum. Obijt* 1112.

Antonius Poſſeuinus, in Apparatu ſacro.

SIGEBERTVS *monachus Gemblacenſis, ordinis S. Benedicti, qui eodem ferè tempore, quo Honorius, vixit, continuata ſerie Gennadium eſt proſecutus. Nam neque Iſidorum, nec Honorium legiſſe aut cognouiſſe videtur. Is igitur Sigebertus attingens etiam, quos alij non attigerant, complexus eſt omnes, vſque ad annum quo vixit, millesimum centeſimum decimum. At quoniam Henrico Quarto Imp. perſecutori Eccleſiæ adhærens, ſcripſit aduerſus Gregorium VII. & Paſchalem II. Romanos Pontifices, ideò quæ contra illum, cùm alij, tum præcipuè Card. Bellarminus attulerunt (hic nempe, vbi agit de Romanis Pontificibus) ea legenda ſunt, & inde confutandus eſt. Nam & ideò in Romano Indice liber Sigeberti contra Gregorium Pont. Max. & contra Epiſtolam Paſchalis Papæ prohibitus eſt. Sed Sigebertum & Marianum Scottum* Ioannem Papam feminam *in ſuis Chronicis poſuiſſe,* * *falſum eſt. Licèt autem in impreſſis Mariano Scotto & Sigeberto inueniatur* Ioannes femina, *inter nomina Pontificum Maximorum; tamen in antiquiſſimis manuſcriptis non inuenitur: & ſatis conſtat corruptos fuiſſe auctores illos. Exſtat adhuc in monaſterio Gemblacenſi, vbi fuit monachus Sigebertus, antiquiſſimum exemplar manuſcriptum, quod putatur ipſius Sigeberti autographum; in quo nulla eſt, mentio* Ioannis feminæ, *quod manuſcriptum teſtatus eſt ſe vidiſſe Ioannes Molanus Doctor Louanienſis. In antiquis item exemplaribus Mariani Scotti non haberi* Ioannem feminam, *teſtatur ille, qui Metropolim Alberti Crantzij anno* 1574. *Coloniæ edidit.*

* Vide infra ad an. 854.

Habes hîc, mi Lector, magnorum virorum de SIGEBERTO iudicia ac teſtimonia, quà religionem, quà doctrinam ſpectant. Vides nomen ac decus cùm ſuo æuo, tum apud poſteros tuliſſe: quod tamen turpiter maculauit, cùm præpoſtero nimis aduerſas Romanis Pontificibus partes fauore eſt proſecutus; adeò vt nonnulla ſcripſerit, quæ damnatæ inter notæ ſcripta cenſentur. De quibus Indicem librorum prohibitorum, à Pio V. & Clemente VIII. Pontificibus Maximis editum, itemque Baronium in Annalibus, tomo præſertim XI. conſule.

Ceterùm præter edita SIGEBERTI opera, à Ioanne Molano recenſita, exſtant manuſcripta Gemblaci inſuper varia. In his I. *Paſſio S. Luciæ*, metricè deſcripta, itemque *Sermo* in laudem eiuſdem virginis. II. *Geſta Abbatum Gemblacenſium*, quæ Sigeberti diſcipulus continuauit, ad annum vſque Chriſti MCXXXVI. quo Anſelmus Abbas & chronographus Gemblacenſis obiit. III. Libri duo, alter ſimplici ſtilo, floridiore alter, *De vita & paſſione S. Lamberti, Epiſcopi Leodicenſis*, itemque liber *De tranſlatione eiuſdem*. IV. Liber *De ieiunio quattuor temporum, ad Leodicenſes*: de quo libro, vtpote nondum viſo, iudicium non pronuntio. V. *Eccleſiaſtes heroicis verſibus fuſiſſimè deſcriptus*. VI. *Liber Decennalis*, vt ipſe Sigebertus nuncupat, ſiue vt Trithemius, *Computus Eccleſiaſticus*, vnà cum *Dialogo* præfixo; cuius hic eſt titulus: *Dialogus* SIGEBERTI, *ſub perſona Anſelmi quæſtionantis, & ipſius ſoluentis,*

de

de errore Dionysij super annos Domini. ANSELMVS. *Cùm temporum scriptores diuersi, quamuis diuersè, annos mundi collectos, vsque ad natiuitatem Christi perduxerint, satis superque miror, cur nullus eorum primum mundi annum apertè designauerit, sed nec annum Dominicæ natiuitatis vel passionis, certâ temporis proprietate denotauerit.* SIGEBERTVS. *De annis nati vel passi* CHRISTI, &c.

Primæ partis seu tomelli hoc est initium.

Anni Adam.	CCR	Epactæ	Termini paschales	Dies paschales	Cycli lunares	
I.	VII.	I.	II. Non. April. IV.	VI. Id. Apr.	IX.	I. Adam & Eua formantur.
II.	I.	XII.	IX. Kal April. VII.	II. Kal. Apr.	X.	II.

Ceterùm ANSELMVS, quem hîc loquentem introducit Sigebertus, fuit, vt arbitror, is ipse, cuius Chronicon nunc damus, quique Sigeberto collega ac studiorum socius, demum post eiusdem obitum, Abbas VIII. Gemblacensis exstitit.

Ioannes Maria Brasichellensis, ord. Prædicatorum, sacri palatij Apostolici Magister, tomo I. Indicis librorum expurgandorum, Romæ an. 1608. edito.

Post inscriptionem operis appone:

R*Educito in memoriam, Lector, Sigebertum hunc fuisse schismaticum, Henrici IV. fautorem, Romanis Pontificibus infensum, præsertim S. Gregorio VII. & Paschali II. Vnde in Romano Indice prohibetur Sigeberti liber contra Papam Gregorium, & contra Epistolam Paschalis Papæ. Quocirca hæc eius chronographia cautè legenda: nam in gratiam Germanorũ Imperatorum, & in odium Romanorum Pontificum, multa interdum mentitur: cuius errores in Annalibus Ecclesiasticis Baronij passim reuincuntur. Ipse, in Catalogo virorum illustrium, sua scripta percensens, impudenter profitetur se aduersus Gregoriũ VII. & Paschalẽ II. scripsisse.*

Anno 854. tolle omnia ad marginem & in textu de Ioanne Papa femina, & rescribe: *Has quinque lineas, quibus Ioannæ Papissæ fit mentio, non esse scriptas à Sigeberto, ex autographo ipsius codice ms. (qui habetur in monasterio Gemblacensi, vbi Sigebertus monachi exercuit institutum, quemque se vidisse testantur Molanus, & alij) manifestissimè liquet, vbi tota hæc stropha de Ioanna Papissa abest. Et quidem Vincentius Bellouacensis, Speculi hist. lib. 25. cap. 36. & Guilielmus Nangiacus in Chronicis, qui Sigebertum, in historia præsertim horum temporum, de verbo ad verbum bonâ fide scripserunt, Ioannæ Papissæ ne per somnium meminerũt. Putant autem ab Henrico Stephano seniore, qui primus Sigeberti chronicon excudit Parisijs anno Domini 1513. ex Matthæo Palmerio Florentino hunc centonem Sigeberto perperam assutum. Vide Onufrium in Additionibus ad Platinam, Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice cap. 24. Coccium Sabellicum tomo I. Thesauri lib. 7. art. 18. At vanissimam de Ioanna Papissa fabulam innumeri refutarunt, præsertim Onufrius, Genebrardus, Bellarminus Baronius, & Florimundus Ræmundus.*

Anno

Anno 1074. in textu legitur Nouo exemplo, & vt visum est, incōsiderato, &c. *Adscribe margini: Cautè lege: nam schismaticus Sigebertus calumniam struit in Gregorium VII. Sciebat sanctissimus Pontifex Missam concubinarij & Simoniaci sacerdotis veram esse, sed, in pœnam criminum, vetuit iustissimè laicos eiusmodi sacerdotis Missæ interesse, vt erubescētes resipiscerēt. Vide Baron. tomo XI. Annal. anno Domini 1074.*

Anno 1076 in textu legitur: Gregorius Papa totus in Henricum, &c. *Adscribe margini: Quid calumniosè garrit schismaticus in sanctum Pontificem, qui erga Henricum & optimi patris, & præclari pastoris, & prouidentissimi medici omnes partes exhibuit? Quocirca quæ de Henrico & Hildebrando Sigebertus hîc, & anno Domini 1077. perscribit, cautè omnia legenda, nec fides illis adhibenda est nisi cum alijs probis, & orthodoxis scriptoribus consentanea reperiantur. Vide Baronium tomo XI. Annal. Ecclesiasticor.*

Anno 1080. in textu legitur, Hildebrandus Papa, &c. *Adfige margini: Mentitur Sigebertus, & schismatico spiritu Gregorio falsas reuelationes affingit.*

Anno 1085, in textu legitur: Hildebrandus Papa, &c. *Tolle notam marginis,* Hildebrandus pœnitet, *& substitue: Quàm falsa, atque mendacia sint ista, quæ Sigebertus de pœnitentia Gregorij VII. confingit, ex Othone Frisingensi, & auctore vitæ S. Anselmi Lucensis, & optimis quibusque testimonijs luculentissimè ostenditur in Annalibus Ecclesiasticis Baronij tomo XI. anno* CHRISTI 1085.

Anno 1088. tolle glossam, schisma Ecclesiæ, *& rescribe: Subdolè hic schismaticus Sigebertus gemit electionem Vrbani II. Nam fuisse sanctam & legitimam, ex Petro Diacono, Bertholdo, & omnibus probatis auctoribus illorum temporū, & consensu orbis catholici, habetur exploratissimum.*

DE ANSELMO GEMBLACENSI ABBATE.

Ex libro De gestis Abbatum Gemblacensium, de quo iam dixi.

ANSELMVS *monachus Gemblacensis, cùm iam esset maturus ætate & moribus. Francis, quamuis à cœnobio Gemblacensi longè remotis, innotuit fama prudentiæ, & primi eum habuerunt magistrum, & quasi secundum Abbatem Altouillarenses, postque eos Latiniacenses. Inter quos longo tempore commoratus, & quasi speculum honestatis factus, non solùm minus capacibus proderat, sed & illos, qui alios instruere idonei essent, profusiùs instruebat, per quos vsque hodie sapientiæ radix, quam eis inseruit, fructificans perseuerat. Tunc temporis multi fratrum nostrorum, non solùm in Francia, sed in alijs etiam prouincijs magistri, & quasi secundi Abbates erant in multis cœnobijs, eò quòd in scripturis humanis vel diuinis exercitati, multum fructum sapientiæ relinquebant, quibuscumque locis fuissent adhibiti. Ceterum* ANSELMVS *tandem reuersus ad cœnobium Gemblacense, de die in diem studebat in melius proficere sub Liethardo Abbate. Bibliothecæ assiduus scrutator erat, & vbi vtilitas exposcebat, eam emendando & augendo meliorabat. Quandocumque à lectione vel oratione vacabat, fratribus iunioribus aliquid humanæ vel diuinæ paginæ asserebat, non tantummodò in seipso viuere, sed & in eis post obitum suum volens viuere. Datus Abbas, suscepio oneri & honori totum se impendebat, & persona eius & prudentia, his qui eum nouerunt, honorabilis erat. Fratres autem, quos solertiores nouerat, sibi adiungebat, & eis ecclesiastica officia committebat, & per eos agebat, quod per se agere non valebat. Denique monasterium, claustrum, refectorium, dormitorium, Capitulum, & omnes claustralis curiæ officinas, & omnes exteriores curias per eos ædificijs honestauit, & agrorum qui in vicinia erant, coëmtione multiplicauit. Tandem senectute confectus, vicesimo tertio anno suæ prælationis, VIII. Kal. Martij, vita decessit, & ante S. Crucis altare sepulturæ locum accepit.*

INCI-

INCIPIT CHRONICA DOMNI SIGEBERTI Gemblacensis monachi.

* Ita mss. omnes. Sic & Hieronymus & Gregorius Turonensis alibi.



DICTVRI aliquid, iuuante Deo, de contemporalitate regnorum, primùm pauca dicamus de origine singularum gentium: quatenus sequi poterimus vestigia maiorum, directi per semitas historiarum. Ponemus igitur in prima linea regnum Romanorũ. In secunda, Persarũ. In tertia, Francorum. In quarta, Vuandalorum. In quinta, Anglorum. In sexta, Langobardorum. In septima, Vuisigothorum. In octaua, Ostrogothorum. In nona, Hunorum.

De regno *Romanorum* non aliud dicendum puto, nisi quod Propheta Daniel interpretatus est de quarto regno, quòd sicut ferrum comminuit, domat & conterit omnia: sic ab origine sui tududerit, domuerit, & contriuerit omnia pænè mundi regna. Nouissimo verò tempore, regnum illud, quòd in tibijs suis ferreis diutissimè & firmissimè, sine aliqua lassitudine steterat, tandem ferro suæ fortitudinis commixto cum testa humanæ imbecillitatis, ex alto dominationis suæ gradu, cùm fragore terribili labare cœperit. Hoc regnum primi Persæ impulerunt, qui semper cum Romanis pænè ex æquo se habuerunt: modò verò, vacillante R.P. statu, eos vltrò impetere non timuerunt, & insuper eos suis finibus mutilare potuerunt, quando Iuliano apostata cæso, & exercitu miserabiliter subiugato, nimis fortunati facti sunt, ex eorum infortunio. Ita regnum illud, quod tanto tempore omnes pænè mundi gentes prædæ & dominationi habuit, modò Dei omnipotentiâ miscente ei duplum in poculo, quo ceteris miscuit, cunctis pænè gentibus prædæ & ludibrio patuit: & qui olim cum alijs gentibus pro sola gloria certabant, modò saluti suæ vix satis consulere poterant. Nam quæcumque gentes, aut minuẽdæ domi multitudinis caussâ, aut amore exerendæ suæ feritatis, à patria sua exulabant, Romanum imperium incessebant, & de eius latissimo corpore, velut partes quasdam sibi exscindebant, & in eis sibi regnandi locum statuebant. Hoc in sequentibus clarè apparebit.

Porrò regni *Persarum* originem altiùs repetere modò non videtur vtile, quia quæ huius regni fuerit antiquitas, quanta & quam potens huius antiquitatis nobilitas, satis recolet lector per antiquorũ historias. Hoc tantùm notabo, quia sæpe abusi victoria de Romanis, nunc autem recens cæso Iuliano, & exercitu Romanorum profligato, & finibus suis Romano imperio mutilato, & sic pro suo libitu pacis fœdere in XXIX. annos composito, felicitatem suam non temperanter ferebant; & Sapore Rege eorum insolentiùs agente, Christianis & Romanis omnimodis infesti erant.

Originem gentis nostræ, regni scilicet *Francorum*, notificemus alijs, ex relatu fideli maiorum. Post illud famosum, & cunctis seculis & gentibus notum Troianæ ciuitatis excidium, victoribus Græcis cedentes reliquiæ Troianorum, pars eorum cum Ænea ad fundandum Romanum imperium ad Italiam perrexit: pars vna, scilicet XII. millia, duce Antenore, in finitimas Pannoniæ partes secus Mæotidas paludes peruenit, ibique ciuitatem ædificauerunt, quam ob sui memoriam Sicambriam vocauerunt: in qua multis annis habitauerunt, & in magnam partem coaluerunt, & crebris incursibus Romanum solum incessentes, vsque ad Gallias ferocitatis suæ vestigia dilatauerunt. Hos adeò Romanis infestos Constans Cæsar, filius Magni Constantini bello oppressit, & tandem Romano imperio subiectos, aliquantulum à sua feritate mansuefieri coëgit. Post aliquot annos, rebellantibus Alanis contra Valentinianum Imperatorem, cùm eos non posset Imperator penitus debellare, eò quòd eos intransibiles Mæotidis paludes tutarentur, proposuit Valentinianus, quòd si qua gens has paludes intrare, & rebelles Alanos posset conterere, decem annis eos à tributis liberos redderet. Hac pactione Troiani illecti, & fortitudine & prudentia sua confisi, duce Priamo, Mæotidas paludes, Romanis inuias, ingressi, Alanorum gentem exterminauerunt, & ita Valentiniano satisfecerunt. Valentinianus eorum virtute delectatus, eos, qui prius vocati erant Troiani, deinde Antenoridæ, postea etiam Sicambri, Francos Attica lingua appellauit, quod in Latina lingua interpretatur feroces. Alij Francos cognominatos dicunt à quodam eorum Rege Francione, qui in bello fortissimus, dum cum multis gentibus dimicasset, in Europam iter direxit, & inter Danubium & Rhenum consedit, ibique progenies eius coaluit, nulliusque iugum vsque ad id temporis suscipere voluit. Vndecumque ergò denominati sunt Franci, quantum altiùs colligere potuerunt historiographi, hic Priamus regnabat super eos tempore prioris Valentiniani. Nam ex ipso Regis nomine recolentes nobilitatem illius Priami, sub quo euersa est Troia, inde gloriabantur gentis suæ manasse primordia. Exacto decennio, cùm exactores repeterent tributa à Francis, Franci pro superiori victoria insolescentes, & de viribus suis præsumentes, non solùm tributa negare, sed etiam Romanis præsumunt rebellare. Romani collecto exercitu, super Francos irruunt, & vsque ad internecionem proterunt.

In editis exemplaribus hoc loco, vt & alibi, fabulæ narrātur ex Galfrido.

** degeneri.*

Britanni siue *Brittones*, à quibus cognominatur Britannia Oceani insula, qui eam incoluerunt à tempore C. Iulij Cæsaris, vsque ad annum Domini CCCCXIII. sub imperio Romano * deguerūt. Hi tēpore Marci Antonini Veri, instantiā Lucij Britanniarum Regis, per legatos Eleutherij Papæ mysteria Christianitatis susceperunt, in qua aliqui eorum vsque martyrij coronam prouecti sunt. Qui cùm crebris & penè continuis Pictorum incursionibus fatigarentur, & ipsi ad resistendum inimicis imbelles inhabilesque haberentur, consilio Regis sui Vertiginij, gentem Anglorum à finibus Saxoniæ inuitant, eosque contra omneis hostium assultus defensores sibi parant,

rant. Angli cùm aliquamdiu ſtrenuè & fortiter eos tutati fuiſſent, tandem dominandi cupiditate illecti, & ad hoc imbecillitate eorum adducti, quos defenſandos ſuſceperant, illos ſibi ſubijcere deliberant. Tam violenta iniuſtitia indigenæ Britanni alienigenis Anglis ſubiugati, in ius & nomen Anglorum quaſi victi conceſſerunt, & numquam de ſub iugo eorum ſe excutere potuerunt.

Vuandali quoque de Scythia oriundi, à Gothis victi alienas terras inuadere cœperunt, qui ſuas retinere non potuerunt. Hos circa Danubium commorantes, rurſum poſt multum tempus Giberich, Gothorum Rex, bello victos inde exturbauit, & ad hoc perpulit, vt quas quoquo modo habere videbantur, relictis ſedibus, Romano imperio ſe ſubderent, & à Conſtantino Magno locum habitandi ſibi dari ſuppliciter peterent; quod & impetrauerunt & Pannonias ab eo ſibi delegatas, per ſexaginta annos pacificè inhabitauerunt. Vnde anno Arcadij XIII. & Honorij euocati, inſtinctu Stiliconis rebellionem contra rempublicam meditantis, infuderunt ſe per Gallias, iunctis ſibi Alanis, caſque aliquamdiu miſerrimè dilacerauerunt. Etiam inde eos expellebant Gothi, non quidem proſpicientes Galliarum quieti, ſed vacuè facientes patriam ſuæ rapacitati. Vuandali Hiſpanias aggreſſi, nunc Hiſpanias, nunc Gallias multo tempore depopulati ſunt; ſed nec ibi à Gothis tuti eſſe potuerunt. Quippe quia Gothi nimis Italiam inquietabant, Honorius deliberato cum ſuis conſilio, Hiſpanias & Gallias, quas ſibi à Vuandalis alijſque gentibus præreptas dolebat, Gothis rata confirmatione donauit. Cùm ergo Gothi à finibus ſibi deputatis Vuandalos, alioſque hoſtes effugare maturarent, & Vuandali vndique concluſi timore Gothorum æſtuarent, peccatis populi facientibus, inopina & grata eis occurrit felicitatis oportunitas. Nam inter Bonifacium & Aëtium Romanos duces per inuidiam ortâ ſimultate, Bonifacius factus inferior, cùm dolorem ſuæ iniuriæ nollet vlciſci, niſi damno & periculo reipublicæ, ad Hiſpanias tranſiuit, & Vuandalos ad occupandam Lybiam, & Africam inuitauit. Quò cùm peruolaſſent, ibi regnum ſuum multo tempore confirmauerunt, & diuina & humana, ſiue aliquo reſpectu humanitatis vel diuinitatis, perturbauerunt.

* *In mss. ferè legitur Ætius cum diphthongo. Alij malunt legi* Aetius.

Vuinilorum, qui poſtea patriâ linguâ *Langobardi*, à longis barbis vocati ſunt, certam quidem originem legimus: ſed certum originis eorum tempus non inuenimus. Nam Reges regnaſſe ſuper eos legimus, quorum etiam nomina didicimus, ſed annos regni eorum per tempora diſtinctos non inuenimus. Hi in Scandinauia Scythiæ inſula degentes, cùm ita multiplicati eſſent, vt eos terra ſua capere non poſſet, egreſſione tertiæ partis minuere multitudinem conſilium habuerunt, & quinam exire deberent miſſâ ſorte quæſiuerunt. Ergo tertia pars Vuinilorum, prout eos miſſa ſors elegerat, ducibus Agion & Ibor, de Scandinauia inſula egreſsi, de loco in locum ibant, incerti & vagabundi: & à multis ſæpè bellis impetiti, viriliter, quia pro anima res erat illis, ſalutem & libertatem ſuam defendebant. Porrò Agion & Ibor

mortuis, regnauit primus ſuper eos Agelmundus XXXIII. annis, qui dum ageret ſe iuſtò ſecuriùs, à Bulgaribus, cum multis ſuorum, eſt extinctus. Lamiſſio regnauit ſecundus, & poſt eum XL. annis regnauit Lethu, tertius, Ildehoch quartus, Gedeoc quintus, eo tempore quo Odoacer regnabat in Italia. Sextus Langobardorum Rex fuit Elaffo, ſeptimus Tato, octauus Vualtarith, nonus Audoin, qui Langobardos in Pannoniam duxit, decimus Alboin, qui transductis in Italiam Langobardis, regnum eorum ibi firmiſſimè ſtabiliuit.

In mss. Gemblacenſi & Aquicinctino codicibus, interdũ Oſtrogothæ *&* Vuiſigothæ; *alias* Oſtrogothi *&* Vuiſigothi *vocantur.*

At *Gothorum*, qui apud antiquos Getæ dicti ſunt, quique poſtea diuiſi, duo ex ſe regna, id eſt, Oſtrogotharum & Vuiſigotharum fecerunt, talem originem fuiſſe cognouimus ex hiſtoria Iordanis. Iſti Scantiam Scythiæ inſulam, primò incoluerunt, cuius poſſeſsione non contenti, cum Rege eorum Berich inde exierunt, & vicinas Scythiæ inſulas & terras peragrantes, vicinas gentes bellis laceſſebant, & terrore nominis ſui finitimas gentes ſibi ſubigebant. Pòſt ſub Filimere quinto Rege ſuo, ad vlteriora Scythiæ progreſsi, ad citeriores vſque ripas Danubij, terras Thraciæ, Daciæ, Mœſiæque diu longè lateque ſunt peruagati. Ibi per multa tempora, imò per multa ſæcula, in gentem magnam coaluerunt, & multas gentes victorijs ſuis applicantes, nómen & fortitudinem ſuam amplificauerunt, viribus vigentes, ingenio callentes, philoſophiæ quoque diſciplinis eruditi natiuam barbariem exuentes, humanitate & honeſtate alijs barbaricis gentibus præminebant. Tempore autem Decij Imperatoris, tranſito Danubio cum Gniua Rege ſuo, grauiter incubabant Romano imperio. Qui à Decio impetiti bello, exercitu Romanorum protrito, ipſum Decium peremerunt, cum filio Decio. Hac felicitate elati, & ſæpè poſtea in congreſſu Romanis ducibus ſuperiores effecti, toti orbi Romano erant terrori. Iſti adhuc trans Danubium conſtituti, tempore Valentis Imperatoris, cœperunt ciuili bello inter ſe collidi. Athalaricus dux vnius partis, cùm præualuiſſet Fritigerno duci alterius partis; Fritigernus à Valente auxilium petit, Chriſtianum ſe fieri promittit. Valens auxilium mittit, eoſque in ſectam Arianorum, Arianus ipſe induci fecit. Anno XIII. Valentis, Huni, qui & ipſi in Scythia potenter debacchabantur atque ferociter, nacti oportunitatem ex inteſtina Gothorum ſimultate, fines eorum ex improuiſo inuadunt, eoſque bello victos aut ſibi ſubiugant, aut captiuitate excruciant, aut patria eliminant. Ita Gothi, qui multas gentes ſubdiderant ſuo ſeruitio, Hunorum ſubduntur dominio, & nimis eorum pótentiam adaugent, dum omnes qui Gothis ſeruiebant, per Gothos Hunorum principatui parent. Taliter Huni in omni pænè Scythia, principatu & fortitudine cunctis præminebant. Gothi victi, partim ſe Danubio tranſito ingeſſerunt finibus Romani imperij, & à Valente petierunt terram ad inhabitandum ſibi dari. Quâ re impetratâ, cùm aliquamdiu ſe continuiſſent ab omni armorum inſolentia, tandem Romanorum auaritia coacti, & rei familiaris inopia, in ipſo imperij ſui ſinu, grauia concitauerunt prælia. Quibus Valens Imperator occurrens, bello victus ab eis, & igni crematus, iuſto

iusto Dei iudicio, reipublicæ nimiam intulit incommoditatem, hostibus verò auxit elationem. Hi ergò Gothi, qui Romano imperio incubabant, Vuisigothas se, id est Occidentales Gothos nominabant, & permultos occidentales Romanorum fines, vsque ad ipsas vlteriores Hispanias infestabant, vbi etiam postmodùm in regnum coaluerunt. Porrò Gothi, qui in patrio solo trans Danubium, sub Hunorum dominio remanere passi sunt, regulos quidem suæ gentis habuerunt, & sese Ostrogothas, id est, Orientales Gothos appellauerunt: qui & ipsi postea per Theodericum Regem suum à Zenone Imperatore, Italiæ regnum dono acceptum, per multos annos tenuerunt. Ita Gothi, quasi duobus capitis sui cornibus Orientem & Occidentem ventilantes acerrimè, duo ex se regna creauère, scilicet Vuisigotharum in Hispania, & Ostrogotharum in Italia.

De regno *Hunorum*, quod in omni pænè Scythia tenebat principatum, ipsa gentis barbaries me silere faceret, nisi illud famosum Galliarum, & Italiæ excidium me loqui cogeret, quando per Attilam eorũ Regem iudicium Dei se longè lateque effudit, quem quasi gladium limatum, & exacutum de vagina indignationis suæ, super peccatrices gentes Deus distrinxit. De eorum ergò origine, quæ in antiquorum leguntur historijs, aperiam paucis. Filimer Gothorum Rex, Gadarici magni filius, qui post egressum Scantiæ insulæ, iam quinto loco tenuit principatum Getarum, & terras Scythiæ cum sua gente introijt, repperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas Gothico sermone Alirunnas dicunt, easque habens suspectas, de medio sui proturbauit, longeque ab exercitu suo fugatas, in solitudine coëgit errare. Quas siluestres homines, quos nonnulli Faunos Ficarios vocant, per desertum vagantes dum vidissent, & earum complexibus se in coitũ miscuissent, genus hoc ferocissimum ediderunt. Quod fuit primum inter paludes Meotidas, minatum, tetrum atque exile quasi hominum genus; nec alia voce notum, nisi quod humani sermonis imaginem adsignabat, & quos bello forsitan minimè superabant, vultus sui terrore nimium pauorem ingerentes, terribilitate fugabant: eò quòd erat eis species pauendæ nigredinis, & velut quædam (si dici fas est) deformis offa, non facies, habensque magis puncta, quàm lumina. quorum animi fiduciam toruus prodit adspectus. Qui etiam in pignora sua primo die nata deseuiunt. Nam maribus ferro genas secant, vt antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam. Hinc imberbes senescunt, & sine venustate ephebi sunt: quia facies ferro sulcata, tempestiuam pilorum gratiam cicatrice absumit. Exigui quidem forma, sed arguti, motibus expediti, & ad equitandũ promtissimi, scapulis latis, & ad arcus sagittasq; parati, ceruicibus firmis, & superbia semper erecti. Hi verò sub hominum figura, viuunt belluinâ sæuitiâ. Tali ergò stirpe procreati Huni, cunctis vicinis gentibus erant horrori & formidini. Horum potentiam auxit victoria de Gothis, manentibus trans ripas Mæotidis fluminis, qui in Scythia pollebant gloria singularis potentiæ & fortitudinis. Quam victoriã hoc modo Huni adepti sunt. Venatores Hunorum

In mss. passim, simplici n.

ſequentes veſtigia ceruæ, Mæotidas paludes tranſeuntis, quas imperuias hactenus eſſe putabant, Scythicam regionem diligenter explorant, explorata omnia Hunis nuntiant, ad tranſeundum eos animant. Horum ducatu paludibus tranſitis, velut quidam turbo, ſubitò incubuerunt gentibus Scythicis, eaſque omnes ſubiugauerunt ſibi, ipſoſque Gothos ceteris imperitantes, aut præeminentes, expulerunt ſedibus ſuis. Hoc felicitatis ſucceſſu Huni inter ceteras Scythiæ gentes elati, per victoriam de Gothis, per annos ferè LXXX. laborauerunt ad concuſſionem & ruinam mundi. Ab hac ergò eorum victoria vſque ad mortem Attilæ, regnum eorum in hoc annotabimus opere.

Extra has & aliæ gentes fuerunt, quæ Romanum imperium dilacerauerunt, id eſt, Gepides, Alani, Turci, Bulgares, & aliæ plures, quæ omnes ab Aquilonis plaga exierunt; vt ſuper hoc fortaſſe videatur dictũ per Prophetam : *Ab Aquilone pandetur malum ſuper vniuerſam terram.*

381. Ordiamur ergò telã narrationis noſtræ ab anno Domini CCCLXXXI. Quo anno poſt mortem Valentis, Valentinianus minor, & Gratianus filij maioris Valentiniani, incipientes ſimul regnare, regnauerunt annis VI. Ab hoc anno Sapor, qui diu imperauerat Perſis, imperauit annis XXVIII. Ab hoc anno Britanni ſub imperio Romano fuerunt annis XXXIII. Ab hoc anno Vuandali cum Rege ſuo Medigiſilo, per Gallias crudeliter debacchati ſunt annis XXXIII. Super Francos in Sicambria commorantes, regnabat Priamus*. Alij ſcribunt eum perijſſe in bello, quo (vt diximus) Franci nimis attriti ſunt, ab exercitu prioris Valentiniani, & de Sicambria exire compulſi. Fritigernus, qui ſuper Vuiſigothos aliquamdiu regnauerat, ab hoc anno III. annis regnauit. Oſtrogothis in patrio ſolo ſub Hunorum dominio remorantibus præerat Vuinitharius, eiſque ab hoc anno vſque ad mortem Attilæ, per annos plùs minùs LXXX. præfuerunt reguli gentis ſuæ. Balamber Hunis imperabat, qui, & poſt eum Mundzuch pater Attilæ, Octar & Rugila fratres eius, Bleda & Attila frater eius, ab hoc anno vſque ad mortem Martiani Imperatoris regnauerunt, annis plùs minùs LXXX.

* *In quibuſdam mss. additur*, ab hoc anno annis quinque.

ANNO

ANNO ab Adam IV.millesimo,CCCXXXI. secundũ Dionysium, anno verò Domini CCCLXXXI. secundùm Dionysium, Olympiadis CCLXXXIX. anno IIII. post mortem impij Valentis, imperant Gratianus & Valentinianus,Sapor,Priamus,Britanni, Modigisilus,Fritigernus,Vuinitharius,Balamber.

Rom.	Persarũ.	Franc.	Britan.	Wand.	Wisig.	Ostrog.	Hunorum.	
I.	I.	I.	I.	I.	I.	I.	I.	ANNO CHRISTI, 381.

Theodosius à Gratiano magister militum ordinatus,incredibili celeritates & mira felicitate,deuictis multis barbaris gentibus,lassam rempublicam in Orientis partibus reparauit.

Clarebant eo tempore Damasus Romæ,XIII. Papatus annum agens; Didymus Alexandrinus, qui à quarto ætatis anno lumine captus , quamuis esset elementorũ ignarus, tamen in litterarum scientia etiã Philosophis erat mirabilis; Hieronymus totus diuinæ scripturæ incumbens; Gregorius Nyssenus,Gregorius Nazianzenus,Martinus Turonensis Episcopus, Ambrosius Mediolanensis,Rufinus Aquileiensis presbyter; in Ægypto Pachomius Abbas,Meletius Antiochenus Episcopus,per hoc clarior,quòd Theodosius in somnis prçuidit,se ab eo indui chlamyde imperiali,& diademate coronari.

II.	II.	II.	II.	II.	II.	II.	II.	382.

Gratianus valdè religioni fauet , & per omnia reipublicæ promtus, Theodosium consortem imperij facit. Paulla inter nobiles Romanorum matronas prænobilis, abrenuntiat mundo. Psalterium , quod secundùm LXX.interpretes in omnibus Ecclesijs cantabatur, Hieronymus correxit. Quo iterum vitiato,psalterium nouum composuit, quod & à LXX. interpretum editione non multùm discordaret, & cum Hebraico multùm concordaret. Quod vt omnibus clarum fieret, ipsum psalterium distinxit per asteriscos,id est stellam ✳,& per obelos,id est,virgam iacentem —, docens ea quæ continentur sub asterisco ✳ vsque ad duo puncta: in Hebræo haberi,& à LXX.prætermissa esse:ea verò quæ continentur sub obelo — vsque ad duo puncta:in Hebræo non haberi,sed à LXX.addita esse, *iuxta Theodotionis dumtaxat translationem.* Hoc psalterium Damasus Papa,rogatu Hieronymi in Gallicanis Ecclesijs cantari instituit, & propter hoc Gallicanum vocatur; Romanis psalterium secundùm LXX. retinentibus sibi, propter quod Romanum vocatur. Hæc duo psalteria cùm non sufficerent ad proponenda testimonia de Christo contra Iudæos, qui non recipiunt, nisi ea quæ habentur in Hebræo, addidit & tertium, quod vocatur Hebraicum; pro eo quòd,rogatu Sophronij viri sapientis,transtulit illud de Hebraica veritate in Latinum,verbo ad verbum. Quod psalterium, & alia Hieronymi opuscula idem Sophronius de Latino in Græcum transtulit.

Hæc verba sunt in ms. Gemblacẽsi cultro rasa.

Theo-

ANNO CHRISTI. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

Theophilus Alexandriæ Episcopus cyclum de obseruatione Paschæ, per centum annos digestum, quem laterculum vocauit, ab hoc anno incohauit: hoc est, à primo consulatu Theodosij. Damasus Papa, rogatu Hieronymi, instituit dicere in Ecclesia in fine psalmorum: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, Sicut erat. *Instituit etiam in Ecclesia psalmos nocte, dieque cantari. Vt autem chori in duas partes diuisi, ipsos psalmos alternatim cantarent, iam tempore Constantij Imperatoris, in Ecclesia Antiochena instituerant primi Flauianus & Diodorus, viri probatæ vitæ & doctrinæ, quod inde ad terminos totius orbis vsque peruenit.*

Conf. Baron. an. Christi 380. in princ.

III. III. III. III. III. III. III. III.

383. Maximus in Britannia per tyrannidem imperium arripit. Post Fritigernum secundus apud Vuisigothas regnat Athanaricus anno vno, qui confœderatus Theodosio, & ab eo Constantinopolim inuitatus, mox XV. die, ex quo venerat, ibidem obijt. *Basilius Cæsariensis, qui gemina philosophia & sanctitate claruerat; cui Deus apparens, ad precem eius, eum docuit, * vt proprijs verbis sanctum sacrificium consecraret; cui reuelatum est, quod Mercurius miles & martyr Iulianum Imperatorem peremerit; qui iuuenem, qui ob amorem virginis sibi per diabolum conciliatæ, negauerat Christum, Christo reconciliauit, palàm altercans cum diabolo; qui impetrauit à Deo, vt sanctus Effrem Syrus Græcè loqueretur; qui peccata peccatricis scripta & signata orando oblitterauit: his & multis alijs clarus, dum medicus Hebræus imminere sibi mortem per tactum venæ, reuera pronuntiaret, mortem orando in crastinum distulit, & ita medicum cum suis, ad Christum conuertens feliciter moritur. Damasus Papa inuidiosè de adulterio accusatus, purgatur à LXIV. Episcopis, accusatores verò eius de Ecclesia expelluntur. Apollinaris Laodiceæ Episcopus, conuersus in hæresim sui nominis, à Damaso Papa damnatur, quia dicebat, quod Christus natus solam carnem non animam suscepit, aut si suscepit, non rationalem, sed tantùm viuificalem animam suscepit, sed potentia deitatis susceptæ carni pro anima fuerit, & ipsa caro non de Maria suscepta sit, sed caro & verbum vnius substantiæ fuerint.*

* Consule Baron. & alios.

IV. IV. IV. IV. IV. IV. IV. IV.

384. *Damasus Papa decreuit, ne quid contra Episcopos præsumant Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiscopi. Chore enim Græcè, villa vel regio Latinè.* Maximus Pictos & Scottos, Britanniam incursantes superat. Vuisigothi sub Theodosio sine Rege fuerunt annis XIII. Vuinitharius Rex Ostrogothorum pro libertate contra Hunos rebellat in Gothia. Ambrosius Episcopus libros De Spiritu sancto ad Gratianum Imperatorem scribit. Corpus Pauli Constantinopolitani Episcopi, sub Constantino in exilio ab hæreticis suffocati, Constantinopolim refertur cum gloria à Theodosio Imperatore.

In

R. P. F. B. VV. VV. O. H. ANNO CHRISTI.

V. V. V. V. V. I. V. V. 385.

In Gallia sanctus Romanus Blauiensis obijt. Theodosius Arcadium filiũ suũ, Augustum facit. Iustina mater Valentiniani Ariana, in Ambrosium & omnem sacram Ecclesiam Catholicam, execrabili odio desæuit. Francis post Priamum Priami filius Marcomirus, & Sunno filius Antenoris principantur annis *XXXVI. Quorũ ducatu Frãci Sicambria egressi, consedêre secus Rhenũ, in opidis Germaniæ. Vuinitharius Hunos in bello superat.

* *Ita codex Gemblacensis. Alij XXXIV.*

VI. VI. I. VI. VI. II. VI. VI. 386.

Maximus in Gallias transit, & Gratianum Imperatorem Lugduni perimit: fratrem verò eius Valentinianũ, simulato pacis fœdere per triennium Italia expellit. Theodosius solus annis XI. imperat. Balamber Rex Hunorum Vuinitharium in bello perimit; post quem secundus apud Ostrogothas regnauit Hunimundus, annis duobus. Secunda synodus vniuersalis CL. Patrum Constantinopolim congregatur, iubente Theodosio & annitente Damaso Papa: quæ Macedonium, negantem Spiritum sanctum Deum esse, condemnans, consubstantialem Patri & Filio Spiritum sanctum esse docuit, dans symboli formam, quam tota Latinorum & Græcorum confessio in Ecclesia ad Missas, solemnibus diebus, decantat. Hîc decretum est, vt Constantinopolis, tamquam nouæ Romæ, Episcopus, post Romanum Pontificem habeat priuilegium. Priscillianus in Hispania Episcopus, condens hæresim sui nominis, Ecclesiam perturbat. Hic personas sanctę Trinitatis confundebat, dicens eumdem esse Patrem, quem Filium, & Spiritum sanctum; carnium escas pro immundis habebat; coniuges viros à nolentibus feminis, feminas à nolentibus viris separabat; opificium omnis carnis non Deo bono & vero, sed malis angelis adsignabat; animas eiusdem naturæ & substantiæ, cuius est Deus, esse dicebat, & eas ad agonem quemdam spontaneum, non tamen in terris exercendum, per septem cælos, & per quosdam principatus gradatim descendere, & in malignum principem incurrere, à quo mundum istum factum esse dicebat, atque ab hoc principe per diuersa carnis corpora seminari; homines verò fatalibus stellis colligatos, corpusque nostrum secundùm XII. cæli signa compositum esse dicebat, constituẽs Arietem in capite, Taurũ in ceruice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, Leonem in manibus, Virginem in ventre, Libram in vmbilico, Scorpium in coxis, Sagittarium in virili, Aquarium in vesica, Capricornum in tibijs, Pisces in plantis. Super his auditus in concilijs Episcoporum, Romam petit, ibique (à sanctis Damaso & Ambrosio repudiatus, in Gallijs quoque in synodo Burdegalensi à sancto Martino alijsque) hęreticus iudicatus, vbi se damnandum intellexit, Imperatorem Maximum appellat: à quo auditus, & Episcopatu pulsus, Treueris ab Euodio Præfecto perimitur, cum

Hæc parenthesi conclusa, in codice Gemblacensi, manu recenti sunt adscripta.

ANNO CHRISTI. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

multis suis sequacibus, edicente Imperatore, vt huius sectæ complices in Hispania perimerentur. Itachius & Vrsatius Episcopi accusatores Priscilliani communione Ecclesię priuantur ab Episcopis, nefas esse dicentibus, cuiuscumque modi hominem Episcoporum accusatione necari, Maximo Imperatore & aliquibus Episcopis Itachium & Vrsatium defendentibus: & hac de caussa sanctus Martinus à Maximo molestatur, quia nolebat communicare Itachianis, vix tamen obtinuit, vt Priscillianistę non occiderentur. Paulla Romę præponẽs Bethlehem, ibi cum filia Eustochio ancillatur Christo, & sanctè viuendo multas ad æmulationem sanctitatis incitat.

387. I. VII. II. VII. VII. III. I. VII.

* Siricius Romanæ Ecclesiæ XXXVII. præsidet. Hic constituit hęreticum pœnitentem, per impositionem manus sacerdotalis ab Ecclesia esse recipiendum. hic Manichęos Romæ inuentos exsiliauit. Ambrosius Episcopus ritum antiphonas in Ecclesia canendi primus ad Latinos transtulit à Græcis: apud quos hic ritus iamdudum inoleuerat, ex instituto Ignatij Antiocheni Episcopi, & Apostolorum discipuli, qui per visionem in cælum raptus, vidit & audiuit, quomodò Angeli per antiphonarum reciprocationem, hymnos sanctę Trinitati canebant. Franci Quintinum & Heraclium Romanorum duces, cum omnibus pænè suis, iuxta Treuerim delent. In Ægypto Ioannes Anachoreta sanctitate, & prophetiæ spiritu claret.

* *Quotus ordine hic fuerit Pontifex, vide apud Platinam, Onuphriũ, Baroniũ, & alios historiæ Pontificiæ scriptores. Nam innumeris Pontificũ annotãdis mss. Sigeberti exemplaria non consentiũt. Ipse Gemblacensis codex, in numeris, audaci cuiuspiam manu est vitiatus. Atque hoc loco semel monuisse suffecerit, ipsummet Sigebertum infrà ad an. 995. agnoscere, se in annis temporibus, & numeris Pontificum annotandis, vtpote in rebus non visis, dissonantia scribere.*

388. II. VIII. III. VIII. VIII. IV. II. VIII.

Corpora Geruasij & Prothasij martyrum, Mediolani ab Ambrosio reperta sunt. Ostrogothis regnat Horismud annis duobus.

389. III. IX. IV. IX. IX. V. I. VIIII.

Valentinianus Imperator Maximum fugiens, Constantinopolim venit, & à Theodosio paternè suscipitur. Augustinus cùm esset Manichæus, per Ambrosium ad rectam fidem conuertitur, & relictis scholis baptizatur.

CCC.XC. IV. X. V. X. X. VI. II. X.

390. Maximus tyrannus ab Ambrosio excommunicatus, quia corrigi noluit, à Theodosio Aquileiæ in bello perimitur; & Valẽtinianus imperio restituitur. Ostrogothi sine Rege fuerunt annis XL.

391. V. XI. VI. XI. XI. VII. I. XI.

Theodosius Imperator immane facinus, quod commisit, quando Thessalonicæ VII. millia ciuium fecit occidi, in vltionem iudicum in seditione occisorũ, imitabili publicæ pœnitentiæ exemplo diluit, ab Ambrosio Ecclesia ex-

R. P. F. B. VV. VV. O. H. ANNO CHRISTI.

exclusus, & humili satisfactione reconciliatus. Gregorius Episcopus Nazianzenus obijt. Ambrosius, post Hilarium Pictauensem, hymnos in ecclesia canendos primus composuit. Claudianus gentilis poëta Romæ claret.

VI. XII. VII. XII. XII. VIII. II. XII. 392.

Caput Ioannis Baptistæ à Theodosio Imperatore Constantinopolim translatum est: quod cùm Valens Imperator olim illuc voluisset transferre, vehiculum, in quo sanctum caput ferebatur, nullo modo moueri potuit.

VII. XIII. VIII. XIII. XIII. IX. III. XIII. 393.

Terribile in cælo signum, columnæ per omnia simile, apparuit. In Hispania Prudentius Lyricus poëta claret.

VIII. XIIII. IX. XIV. XIV. X. IV. XIV. 394.

Hieronymus librum illustrium virorũ hîc finit: Gennadius abhinc incipit. Alexandriæ iussu Theodosij tẽpla idolorũ à Theophilo Episcopo destruũtur; & euerso famoso Serapis fano, martyreiũ ibi cõsecratur, & in eo ossa Ioãnis Baptistæ reconduntur; quæ hoc modo Alexandriam translata fuerunt.

Apostata Iuliano imperante, & contra Christum furente, pagani ossa Ioannis Baptistæ, in vrbe Samaria sepulti, effracto sepulcro extrahentes, dispergebant per agros, eaque rursus collecta igni cremabant, & sanctos cineres pulueri immixtos, per aëra dispergebant. Sed quidam monachi ex Hierosolymis immixti furentibus paganis, quotquot potuerunt ossa collegerunt, & ad Abbatem suum Philippum Hierusalem detulerunt, Philippus ea Athanasio Episcopo Alexandriæ misit. Sanctus Patricius Scottus in Hibernia cum suis sororibus venditur, vbi cùm esset Regis porcarius, angeli sæpè alloquio fruitur.

IX. XV. X. XV. XV. XI. V. XV. 395.

Arsenius Romæ claret, qui vsque ad XL. ætatis annum in aula Imperatorum gloriosè militans, ex Senatore fit monachus, & per annos LV. in eremo, sanctitatis exemplo, omnibus mirabilis enituit.

Hieronymo scripturas sacras veteris testamenti de Hebraica veritate in Latinam linguam vertente, editio LXX. interpretum, quæ tenebatur à cunctis & Græcis & Latinis, cœpit in secundis haberi: quod contra inueteratum Ecclesiæ vsum fieri quamuis sancti & docti viri ægrè ferrent, præualuit tamen auctoritas Hebraicæ veritatis, postquam patuit, quantùm ab ea discreparent LXX. interpretes.

X. XVI. XI. XVI. XVI. XII. VI. XVI. 396.

Hoc tempore in castello Iudææ Emaus, natus est puer perfectus, ab vmbilico & sursum diuisus, ita vt haberet duo pectora, & duo capita, & vnusquisque proprios

 sensus;

ANNO CHRISTI. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

sensus; & vnus edebat & bibebat, & alter non edebat; vnus dormiebat, & alter vigilabat; nonnumquam insimul dormiebant, insimul ludebant ad alterutrum, & flebat vterque, & percutiebant se inuicem. Porrò vixerunt annis fermè duobus, & vnus quidem mortuus est, alter verò superuixit diebus quattuor. Valentinianus Imperator nimia austeritate * Arbogastis Magistri militum, ad vitæ tædium perductus, laqueo vitam finiuit. Eugenius auxilio Arbogastis tyrannizat. Corpora Abacuc & Micheæ prophetarum reuelantur. Didymus * ab oculis, anno ætatis LXXXV. Alexandriæ obijt.

* Arnogastis. *Conf. Baron. anno 392.* *alia ms.*

397. XI. XVII. XII. XVII. XVII. XIII. VII. XVII.

Theodosius Eugenium & Arbogastem in bello perimit, & ipse non multò pòst obijt. Post quem filij eius Arcadius & Honorius imperant annis XIII. Corpora Nazarij & Celsi martyrum Mediolani ab Ambrosio reperta & leuata sunt.

398. I. XVIII. XIII. XVIII. XVIII. XIV. VIII. XVIII.

Constantinopolis iram Dei formidans, igne super nubem terribiliter fulgente, ad pœnitentiam conuersa, euasit. Rufinus Magister militiæ Orientalis rebellans, à Stilicone Magistro militiæ Occidentalis perimitur. Gildo Comes Africæ rebellans, consueta stipendia Romanis subtraxit: quem non multò pòst Stilico interficiens, Africam ad ius pristinū redegit. Vuisigothi rupto cum Romanis fœdere, Alaricum super se Regem creant, qui regnauit annis XV.

399. II. XIX. XIIII. XIX. XIX. I. IX. XIX.

Anastasius Romanæ Ecclesiæ XXXVIII. præsidet. Sanctus Martinus secundùm quosdam obijt *hoc anno.* Florebant in Ecclesia hoc tempore sancti & docti viri, Ioannes Chrysostomus Constantinopolis Episcopus, sanctitate quidem & scientia clarus, sed in facundia sua seuerior & liberior iustò; Donatus Epiri Episcopus, qui ingentem dracone, exspuens in ore eius, interfecit, quem octo iuga boum vix trahere potuerunt ad cremandum; in Hispania Orosius historiographus; in Aquitania Seuerus, qui vitam Martini & alia multa scripsit, qui in senecta à Pelagianis seductus, silentium vsque ad mortem tenuit, tacendo corrigens, quod loquendo peccauit; in Gallia Seuerinus Agrippinensis, Seruatius quoque X. Tungrensiū Episcopus, Domini nostri Iesu Christi consanguineus, non solùm ex eo, quòd voluntatem Dei patris faciebat, sed etiam secundùm carnem. Qui natus quidem in Perside, filius fuit Emmiu, cui pater fuit Eliud, frater Elizabeth, quæ peperit Ioannem Baptistam. Mater verò Eliud *& Elisabeth*, Esmeria, soror fuit Annæ, quæ genuit Mariam matrem Domini.

Confer Mol. in Natal. Sāctorū Belgij, & Baronium in Notis ad Martyrol. Rom. 13. Maj.

Roma-

III. XX. XV. XX. XX. II. X. XX. CCCC.

Romanorum prouincias, hinc Vuisigothi, inde Huni grauiter incursant. 400.
Romæ celebrato gladiatorio ludo, Telematius monachus, increpans populum attentiùs spectaculo inhiantem, à populo lapidatur. Vnde offensus Honorius Imperator gladiatorium ludum edicto suo in perpetuū remouit.

IV. XXI. XVI. XXI. XXI. III. XI. XXI. 401.

Imperatores zelum patris sui Theodosij secuti, iubent in toto orbe Romano templa idolorum destrui. Hieronymus & Rufinus presbyter Aquileiensis, ortâ inter se simultate pro quæstionibus scripturarum, libros inuectiuarum, satis quidem luculento, sed nimis mordaci sermone, in alterutrum conscribunt.

V. XXII. XVII. XXII XXII. IV. XII. XXII. 402.

Sanctus Martinus ætatis anno LXXXI. Episcopatus verò XXVI. obijt hoc anno, secundùm Prosperum, qui scribit eum obijsse anno V. Arcadij & Honorij: imò secundùm Seuerum, qui scribit in vita eius, eum pòst mortem Priscilliani, XVI. annos vixisse.

VI. XXIII. XVIII. XXIII. XXIII. V. XIII. XXIII. 403.

Ambrosius Mediolanensis obijt, cuius vitam Paullinus Nolanus Episcopus, ad Augustinum Episcopum describit. Hic Paullinus Nolæ postmodùm Episcopus, cùm esset innumerabilium prædiorū dominus, admirabili exemplo, venditis omnibus, religionem elegit expeditus: cui Terasia, ex coniuge soror facta, æquatur beatæ vitæ testimonio & merito. Hic se Episcopum pro captiuo filio pauperis viduæ in seruitutem barbari addixit; sed diuinitus proditus, quis esset, multos captiuos libertati restituit. Hoc tempore in Italia Sisinnius, Martyrius & Alexander à gentilibus martyrizantur. Quorum corpora cùm Mediolanum deferrentur, cæcus per eos illuminatur, dicens se illuc per visum directum esse ab Ambrosio Episcopo, dicente se in horum martyrum consortio deputatum esse. Stilico pacem fratrum Imperatorum interturbare volens, Alaricum Regem Gothorum fecit ordinari Magistrum militum.

VII. XXIV. XIX. XXIIII. XXIV. VI. XIV. XXIV. 404.

Innocentius Romanæ Ecclesiæ XXXVIIII. præsidet. Hic decreuit pacis osculum ad Missas dari, sabbato ieiunium celebrari, oleo ad vsus infirmorum ab Episcopo consecrato licere vti, non solùm presbyteris, sed omnibus etiam Christianis, in suam suorumque necessitatem vngendo. In Britannia Pelagius execrabili doctrina Ecclesiam Christi maculare nititur, dicens hominem sine gratia Dei posse saluari suis meritis; vnumquemque ad iustitiam

Consule Platinam, Baroniū, & alios.

ANNO CHRISTI. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

propria voluntate regi; infantes sine peccato originali nasci, sed tam insontes esse, quàm insons fuit Adam ante præuaricationem; nec ideò baptizandos esse, vt à peccato soluantur, sed vt per adoptionem in regnum Dei admittantur, qui etsi non baptizentur, esse tamē eis extra regnū Dei, æternam & beatā vitam; Adam solùm suo peccato læsum esse, eumq́. mortuū esse nō ex culpæ merito, sed ex conditione naturæ, qui moriturus fuisset, etiamsi nō peccasset. Dicebat etiam irritas esse orationes, quæ fiunt ab Ecclesia, siue pro infidelibus, siue pro fidelibus. Hunc, & Cælestium, & Iulianum complices eius Innocentius Papa damnauit. Hieronymus quoque, Augustinus & alij, eos vt fidei hostes, armis veritatis impugnabant. Orientales etiam grauiter exagitat mota de Deo quæstio, vtrùm Deus sit corpus, & humanum schema habeat, an sit incorporeus, & ab humano schemate omninò alienus: simplicioribus Deum corporeum, & sub humano schemate esse astruentibus, alijs hoc destruentibus.

405. VIII. XXV. XX. XXV. XXV. VII. XV. XXV.

* *Ita mss.* Romæ * Alexis Romanorum nobilissimi vita mirabilis declarata est; qui prima nuptiarū noctе sponsam relinquens, pro Christo peregrinatus est per XVII. annos, & tandem apud Edissam Syriæ vrbem, imagine sanctæ genitricis Mariæ eum diuulgante, inde quoque fugit, & ad portum Romanum non spontè appulsus à patre suo vt pauper excipitur. Ibique nulli cognitus XVII. annos agens, tenore vitæ suæ in charta descripto obijt, & diuina voce manifestatus, totā Romam stupore & gaudio affecit. Ioan. Chrysostomus Eudoxiam vxorem Arcadij Imperatoris, multosque sacerdotum infestos habens, Episcopatu pellitur & exsiliatur. Sed populo pro hoc tumultuante, reuocatur. secundò exsiliatur, sed terræ motu regiam vrbem grauiter concutiente, à ciuibus reuocatur. Pachomius Abbas CX. annum agens, in virtutibus consummatur.

406. IX. XXVI. XXI. XXVI. XXVI. VIII. XVI. XXVI.

Arcadius Imperator ossa Samuelis prophetæ à Iudæa Constantinopolim transtulit, tam hilariter occurrentibus populis, ac si eum viuentem cernerent. Paulla Bethlehem obit, cuius vitam Hieronymus scribit. Augustinus in Ecclesia philosophatur, cuius librorum, tractatuum, & epistolarum numerus plusquam ad CIↃ. XXX. extenditur, multis numero non comprehensis.

407. X. XXVII. XXII. XXVII. XXVII. IX. XVII. XXVII.

Ragadasus Scytha, cum ducentis millibus Gothorum, à Scythia veniens, Italiam inuadit. Ex hoc murmur multùm blasphemantium infremit in Christum, & Christianitatis tempora culpantes, felicitatem gentilium attollunt: inter quos præcipuè Symmachus orator furebat, qui etiam scriptis episto-

R. P. F. B. VV. VV. O. H. ANNO CHRISTI.

epistolis suis agebat de idololatria, & de repetenda ara Victoriæ. Quorum latrantium ora, obiecto veritatis osse, obstruxerunt Augustinus libro De ciuitate Dei, & Orosius historia sua. Prudentius quoque poëta, luculento metrici operis libello, basphemias Symmachi refellit.

XI. XXVIII. XXIII. XXVIII. XXVIII. X. XVIII. XXVIII. 408.

Multis vrbibus vastatis Ragadaisus, conclusus à Romanis, interit cum omnibus suis. Sdigerdis imperat Persis annis XXXIV. Augustinus apud * Ypponem Africæ, & Hieronymus apud Bethlehem Iudæ, per epistolas inter se vsque ad simultatem disceptant de quibusdam scripturæ capitulis; maximè de eo quod dicit Paullus, se Petro in faciem restitisse, quia reprehēsibilis erat: de quo Hieronymus scripserat, quia Paullus Petrum non reuerà, sed simulatè reprehenderit. Augustinus dicebat, quòd eum reuerà, non simulatè reprehenderit.

* Ita mss. Malunt al. ij Hipponem.

XII. I. XXIV. XXIX. XXIX. XI. XIX. XXIX. 409.

Ioannes Chrysostomus, vrgentibus inimicis, Episcopatu abdicatus, ab Arcadio exsilio relegatur, ibique non multò pòst moritur. Innocentius Papa, & Occidentales Episcopi, pro Ioannis præiudicio, ab Orientalium se communione suspendunt. Iram Dei, pro morte Ioannis, nimia grandinis tempestas Constantinopoli incumbens, & mors Eudoxiæ Augustæ subsecuta, intentat.

XIII. II XXV. XXX. XXX. XII. XX. XXX. CCCC.X.

Arcadius Orientalis Imperator, timens filio suo octenni puero Theodosio, eique tutorem Sdigerdem Persarum Regem testamento designans, mortem obijt. Sdigerdis tutelam pueri benignè suscepit, & pacem firmissimam cum Romanis facit, mediante Marutha Mesopotamiæ Episcopo. Is Maruthas & apud Persas, & apud Romanos omnimodis clarissimus habebatur. Vticæ terra VII. diebus mugitum dedit. Stilico regnum Honorij affectans filio suo Eucherio, R.P. perniciosus efficitur, barbaras gentes ipse alias regno immittens, alias consensu suo fouens. Vnde modo solito grauiùs earum, & maximè Vuandalorum rabies per Gallias exarsit. Honorius post mortem Arcadij, cùm fratruele suo Theodosio regnat annis XIV. 410.

I. III. XXVI. XXXI. XXXI. XIII. XXI. XXXI. 411.

Atticus Constantinopolites Episcopus claret. Vuandali, duce Crosco, Gallias peruagati, multas vrbes, & Ecclesias subuertunt. Croscus tandem à Mariano Præside Arelate captus, & per victas vrbes ignominiosè retractus, ad mortem tormentatur. Sub hoc turbine inter multos martyrizantur Sedunenses Florentinus & Hilarius, Desiderius Lingonensis, cum Vincentio Archidiacono, Antidius * Besontionensis Episcopus. De hoc Antidio legitur, quòd

* Ita mss. Iuxta scriptores veteres legendū Vesontionensis.

ANNO CHRISTI. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

quòd aliquando III. feria post Palmas transiens pontem Duuij fluminis, vidit agmen dæmonum, gesta sua principi suo referentium, & inter eos, æthiopem in manu sandalium præferentem, ad indicium, quòd Romanum Præsulem, cuius hoc erat, per VII. annos impugnatum, tandem ad lapsum traxerit; qui vocans ad se æthiopem, & in virtute Dei & sanctæ crucis super eum ascendens, eo vectante, Romam venit feria V. hora celebrandi officij: & dæmone pro foribus exspectante, Papæ rem retulit, negantem per sandalium ad pœnitentiam mouit, & Missâ vice eius celebratâ, & parte chrismatis à se consecrati assumtâ, dæmone reuectante, ad Ecclesiam suam redijt, sabbato sancto, hora celebrandi officij. *Romæ femina giganteæ magnitudinis, de parentibus mediocris staturæ nata, multis stupori erat.*

Vide Platinam, Baron. & alios.

412. II. IV. XXVII. XXXII. XXXII. XIIII. XXII. XXXII.

Alaricus Rex Vuisigothorum per Italiam debacchatus, mandat Honorio Imperatori, vt aut secum bello congrediatur, aut Gothis in regno suo locum ad habitandum largiatur. Honorius Gallias furori gentium vndique expositas, eis concessit.

413. III. V. XXVIII. XXXIII. XXXIII. XV. XXIII. XXXIII.

Vuandali Gallias, quas per tot annos lacerauerant, relinquentes timore Gothorum, cum Alanis & Sueuis Hispanias occupant, ibique ferè XXX. annis habitauerunt. Alaricus facto fœdere cum Honorio, cùm ad Gallias sibi datas tenderet, Stilico ipso die paschæ ex improuiso super eum irruit; & primo impetu victor, posteà à Gothis turpiter vincitur. Honorius cognito Stiliconem esse tantorum malorum incentorem, & vitæ suæ insidiatorem, eum cum filio eius Eucherio occidit. Alaricus rupto fœdere Italiã repetit, ipsam Romam capit, in ea multa loca incendit, multos affligit, à sanguine tamen & cæde temperat, & ad Sanctorum limina confugientibus indulget; tertia die sponte Roma egreditur, ad Siciliam nauigare contendens, naufragium patitur, & non multò post apud Consentiam vrbem subita morte defungitur. Capta est autem Roma VIII. Kalendas Septembr. anno CIↃ. CLXIV. conditionis suæ. *His diebus apud Africam, in Vticensi litore dens gigantis inuentus est, tam ingens, vt si minutatim in modulos nostrorum dentium concideretur, centum dentes inde fieri possent.* Interim Vuandalis iterum Gallias incursantibus, congressi Franci Modigisilum Regem, cùm XX. millibus Vuandalorum, exstinguunt: & suprema fortè internecio Vuandalorum fuisset, nisi reliquis eorum Rex Alanorũ Resplendial subsidio venisset. Britannorũ vires hac tempestate, nimijs hostiũ irruptionibus, nimis erãt attenuatæ, & quia à Romanis vndique bello laborantibus, nihil subsidij habere poterant, subtrahunt se ab eorum dominatione, & per annos circiter LXVII. multùm multis calamitatibus laborauerunt. Vuandalis post Modigisilum, Modigisili filius Gundericus regnauit in Hispanijs, annis XVI. Vuisigothorum tertius regna-

R. P. F. B. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

regnauit Athanulfus, annis III. *Franci sæpè Gallias incessentes, diripiunt primò, & secunda irruptione incendunt vrbem Treuerim, quam condidit Treber filius Nini Assyriorum Regis, profugus à facie nouercæ suæ Semiramidis, & à suo nomine Treberim denominauit.*

IV. VI. XXIX. I. I. I. XXIIII. XXXIV. 414.

Athanulfus Romam redit, quod reliquum erat abradit: inter ceteros Placidiam quoque sororem Honorij Imperatoris captiuam abducit, eamque sibi vxorem ducit. Honorius Imperator, quia in Deo sperauit affectu optimæ religionis, liberauit eum Deus à multis in se vndique insurgentibus tyrannis. Siquidem in Britannijs Gratianus, in Gallijs Constantinus, & Constans filius eius, ex monacho Cæsar factus, item post eos in Gallijs Gerontius, & Maximus, Sallustius, Iouinus, Sebastianus; in Africa Heraclianus; Romæ Tertullus & Attalus ille, quem Gothi captâ Româ Imperatorem ludicrò creatum, vno die imperiali schemate procedere, crastino autem seruili schemate sibi ministrare fecerunt; hic, inquam, non iam ludicrò, sed seriò imperare affectans: hi omnes, vt tyrannidem inuaserunt, diuersis locis, diuersis temporibus, à militibus Honorij capti aut exstincti, perierunt.

V. VII. XXX. II. II. II. XXV. XXXV. 415.

Maximus Taurinensis Episcopus claret, qui in homilijs componendis, & in Ecclesia declamandis studuit eleganter. Hispaniæ Vuandalorum ferro, fame, pestilentia, morsibus bestiarum grauiter laborant. Valentia Galliarum ciuitas à Gothis capta est. Prædestinatorum hæresis hoc tempore cœpit serpere: qui ideò Prædestinati vocantur, quia de prædestinatione, & diuina gratia disputantes, asserebant, quòd nec piè viuentibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint; nec impijs obsit, quòd improbè viuant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio, & bonos à bonis auocabat, & malos ad mala prouocabat. Hæc hæresis ex libris Augustini malè intellectis initium sumsisse dicitur.

VI. VIII. XXXI. III. III. III. XXVI. XXXVI. 416.

Honorius Imperator, sopitis in Africa hæreticis, pacem reddit Ecclesijs. Peremto à suis Athanulfo Vuisigothorum Rege, Sigericus regnat anno vno. Iudæus quidam cùm quæstus caussâ sæpè in multis hæreticorum Ecclesijs baptizatus fuisset, venit etiam ad Ecclesiam orthodoxorum, sub eadem intentione baptizandus, & cùm baptizari deberet, aqua fontis subitò disparuit, & iterum atque iterum aquâ allatâ, & fonte repleto, iterum atque iterum aqua disparens, virtutem Dei & Iudæi perfidiam ostendit.

VII. IX. XXXII. IV. IV. IV. XXVII. XXXVII. 417.

Zosimus Romanæ Ecclesiæ XL. præsidet. Hic decreuit cereum

ANNO CHR.	R.	P.	F.	B.	VV.	VV.	O.	H.

sabbato sancto Paschæ per Ecclesias benedici. Peremto à Vuisigothis Sigerico, regnat Vuallia annis XXII. Quidam Occidentales, vltimo anno cycli decennouennalis, pro embolismo communem annum tenentes, ac per hoc in pascha celebrando aberrantes, diuino miraculo ad veritatem reuocantur. In vna enim Italiæ ecclesia, vbi annuatim sabbato sancto paschæ, hora baptizandi solebat aqua diuinitus manare, & statim ex sese redire, nullo deductorio penitus apparente; nunc temperiùs iustò, id est VIII. Kal. April. pascha celebrantes, aqua non emanans exspectatione totius diei ac noctis fefellit; legitimo autem die paschæ, hora baptizandi, aqua solitò emanans, X. Kal. Maij pascha debere celebrari ostendit. Corpora sanctorum Stephani protomartyris, Nicodemi, Gamalielis & Abibon Luciano presbytero reuelata sunt: & corpus quidem protomartyris Stephani Ioannes Episcopus à Caphargamala Hierusalem transtulit, quod post aliquot annos inde leuatum est à Iuliana matrona, quæ corpus Alexandri viri sui, sepulti iuxta corpus protomartyris, leuare volens, pro corpore viri sui, corpus protomartyris leuauit, & multa miraculorum gloria illustratum Constantinopolim detulit.

Ita mss.

418.	VIII.	X.	XXXIII.	V.	V.	I.	XXVIII.	XXXVIII.

Orosius presbyter, rediens ab Hieronymo, ad quem missus fuerat ab Augustino, pro discenda quæstione de origine animæ, reliquias protomartyris Stephani ad Africam detulit, cum historia inuentionis eius, quam gratiâ miraculorum prosequente, vbique Deus mirificauit. Vnde plura Augustinus, multò plura scripsit Euodius. Honorius pacto fœdere cum Gothis, Aquitaniam tradidit eis. Vuallia Placidiam ab Atanulfo captam reddit Honorio fratri: Honorius eam dat vxorem Constantio Comiti, ex quo Placidia Valentinianum genuit, qui post Honorium regnauit.

Vide Baronium in Notis ad Rom. Martyrolog. 3. Aug.

419.	IX.	XI.	XXXIIII.	VI.	VI.	II.	XXIX.	XXXIX.

Sunnone & Marcomiro Francorum ducibus defunctis, Franci in commune deliberant, vt & ipsi, sicut aliæ gentes, vnum Regem habeant, & filium Marcomiri ducis Faramundū sibi Regem ordinant, qui regnauit annis XI.

CCCC.XX	X.	XII.	I.	VII.	VII.	III.	XXX.	XL.

420. Bonefacius Romanæ Ecclesiæ * XLI. præsidet. Contra hunc Bonefacium ordinato Eulalio, & pro hoc dissidente Ecclesiâ, ambo iussu Honorij Augusti Vrbe egrediuntur, & sic reprobato Eulalio, iussu Augusti Bonefacius, quia prior ordinatus fuerat, Sedi Apostolicæ restituitur. Hic decreuit, vt nulla mulier aut monacha pallam sacratam altaris contingeret, aut lauaret, aut incensum poneret: & vt seruus, vel obnoxius curiæ, aut cuiuslibet rei, non fiat clericus.

** In mss. XL. & sic deinceps.*

Hiero-

R. P. F. B. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

XI. XIII. II. VIII. VIII. IIII. XXXI. XLI. 421.

Hieronymus per LVI. annos libris suis confectis, ita corpore præ laboribus defecto, vt lecto surgere nequiret, nisi apprehenso manibus fune, qui ad hoc de trabe pendebat, obijt apud Bethlehem anno ætatis suæ LXXXVIIII.

Sic in mss. Gembl. & Lips. In Aquic. & Ortel. LXXXVIII.

XII. XIV. III. IX. IX. V. XXXII. XLII. 422.

Franci vti cœperunt legibus, & legem Salicam dictauerunt per IV. gentis suæ proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus, Vsogast, Bosogast, Salagast, Vuidigast, in villis Germaniæ Salehaim, Bodohaim, Vuindohaim. Hi IV. proceres per tres mallos caussarum origines conuenientes sollicitè tractantes, de singulis discutiendo, sicut lex Salica declarat, iudicare decreuerunt. Vuandali, Alani, Sueui, regiones Hispaniarum ad habitandum inter se trifariam compartiti, & in tribus regnis diuisi, colliduntur inter se intestino bello. *Ita mss.*

XIII. XV. IIII. X. X. VI. XXXIII. XLIII. 423.

Honorius Constantium, virum sororis suæ Placidiæ, in imperium adsciscit: qui VIII. imperij mense obijt. Britannis subiectionem Romano imperio repromittentibus, subsidium mittit Honorius, & Hispanis Vuandalorum bello laborantibus; sed id frustra fuit.

XIIII. XVI. V. XI. XI. VII. XXXIIII. XLIIII. 424.

Honorius tricennalibus suis, de pompa capti Maximi tyranni, Rauennæ celebratis, obijt. Theodosius vtrique regno imperat annis III. Vuallia Rex Vuisigothorum Vuandalos in Hispanijs prosecutus, debellat.

I. XVII. VI. XII. XII. VIII. XXXV. XLV. 425.

Ioannes Hunos regno immittit, & eorum auxilio ad tyrannidem intendit. Vuandali Mauritaniã inuadunt. *Hoc tempore Theonistus Episcopus ab hæreticis pulsus est ab vrbe sua Philippis, cum discipulis suis, Albano, Vrso, Thabrabam, Tubrabam: ex quibus* * *Albanus apud Moguntiam Galliæ, reliqui verò in diuersis Italiæ locis pro Christo martyrizantur.*

** Consule Baronium in Notis ad Martyrol. Rom. 21. Iunij.*

II. XVIII. VII. XIII. XIII. IX. XXXVI. XLVI. 426.

Cælestinus Romanæ Ecclesiæ XLII. præsidet. Hic constituit, vt psalmi Dauid CL. ante sacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus, quod antè non fiebat, nisi tantùm epistola Paulli & sanctum Euangelium recitabatur. Ex hoc instituto excerpti de psalmis introitus, gradualia, offertoria ante sacrificium, communiones inter communicandum, cum modulatione ad

ANNO CHR. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

Missam in Ecclesia Romana cantari cœperunt. Theodosius per Ardaburiũ, ductu angeli, Ioannem tyrannum opprimit. Romæ inter Aëtium & Bonefacium rei militaris gratiâ orta inuidia, R.P. parturit dispendia.

427. III. XIX. VIII. XIV. XIV. X. XXXVII. XLVII.

Theodosius Valentinianum Placidiæ amitæ suæ ex Constantio filium Imperatorem facit, eumque cum Placidia matre Romam ad imperandum mittit; & regnauerunt simul annis XXIV. Carthago permissa est muro circumdari. Cassianus de Ecclesiâ Constantinopolitana, à Ioanne Chrysostomo eiectus, & in Massilia Galliæ presbyter ordinatus, multa scripsit. Inter quæ etiam compertas in Ægypto vitas Patrum, doctrinasque & regulas, datis ad plurimos libris, exponit.

428. I. XX. IX. XV. XV. XI. XXXVIII. XLVIII.

In Bithynia Timotheus quidam continentiæ & religionis imagine multis illudens, eos in errorem suæ hæresis induxit, dicens Christum verum quidem Deum, & verum hominem de virgine Maria natum fuisse; sed mentiens, dicendo, quòd diuina natura conuersa sit in humanam naturam. Romani Hunos à Pannonia fugant, quam per L. annos tenuerant.

429. II. XXI. X. XVI. XVI. XII. XXXIX. XLIX.

Bonefacius Africam cui præerat sollicitat ad rebellionem. Gundericus Rex Vuandalorum captâ Hispali, cùm impiè elatus, manus in ecclesiâ ipsius ciuitatis extendisset, mox Dei iudicio à dæmone correptus, interijt. Cui Gensericus frater in regno succedens, regnauit annis XLVIII. Hic, vt fertur, de fide Catholica in Arianam sectam apostatauit.

CCCC. XXX. III. XXI. XI. XVII. I. XIII. XL. L.

430. Clodius, filius Faramundi, Rex crinitus, regnat super Francos annis * XX. Ex hoc Franci crinitos Reges habere cœperunt. Vualamer Ostrogothorum regnum suscipiens, regnauit annis XXXI. Huius frater fuit Thuidemer, de quo ortus est Theodericus Rex Italiæ. *Augustinus in Episcopatu Hipponensi Heraclium sibi substitui fecit.*

Sic in mss. Gembl. & Lipsl. In Aquic. & Ort. xviij.

431. IV. XXIII. I. XVIII. II. XIV. I. LI.

Clodius Toringiam inuadit, & in Dispargo castello Toringorum aliquamdiu habitauit.

432. V. XXIV. II. XIX. III. XV. II. LII.

Cælestinus Papa ad Scottos in Christum credentes, Palladium primum mittit Episcopum. Post quem ad eosdem ab eodem Cælestino missus est S. Patricius, genere Britto, filius Conches sororis S. Martini Turonensis, qui in baptismo quidem dictus est Suchat, à S. Germano Magonius, à Cælesti-

no.

R. P. F. B. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

no verò Patricius, à quo Archiepiscopus Scottorum ordinatus, per LX. annos signis, sanctitate, doctrina excellens, totam insulam Hiberniam conuertit ad Christum. Nestorius Constantinopolis Episcopus factus, fit auctor hæresis, separantis in Christo hominem à Deo, dicens purum hominem, non Deum, de Maria natum, & à Iudæis crucifixum. Vuandalos, qui olim timore Athaulfi excesserant à Gallijs, Vuallia Rex Gothorum expellere parat etiam ab Hispanijs.

VI. XXV. III. XX. IV. XVI. III. LIII. 433.

Tertia synodus vniuersalis, Ephesina prima, CC. Episcoporum, iussu Theodosij Iunioris Augusti, edita est; quæ Nestorium, duas personas in Christo asserentem, iusto anathemate condemnauit, ostendens manere [†] in *ita ms.*
duas naturas vnam Domini nostri Iesu Christi personam. In Hispanijs XX. millia fermè militum contra Vuandalos pugnantium cæsa. Gensericus odia Gothorum veritus, & simul à Bonefacio inuitatus, cum Vuandalis, & omnibus eorum familijs ad Africam transfretauit, eamque inuadens & dilacerans, multã multo tempore calamitatem Romanis intulit. In Gallia cùm Suptar Rex Hunorum Burgundiones nimis opprimeret, illi in Deo Christianorum spem suam ponentes, se baptizari petierunt. & statim Hunis congressi, pauci multa millia eorum peremerunt, & sic rabiem ipsorum refrenauerunt.

VII. XXVI. IV. XXI. V. XVII. IV. LIV. 434.

Sixtus Romanæ Ecclesiæ XLIII. præsidet. Romani in Africa Vuandalis congressi superantur. Bonefacius conflictu cum Aëtio habito, victor quidem, sed moriturus abscedit.

VIII. XXVII. V. XXII. VI. XVIII. V. LV. 435.

Germanus Antisiodorensis, Lupus Trecassinus, Eucherius Lugdunensis, Hilarius Arelatensis Episcopi in Galliis clarent. Aëtius conferens se ad Rugilã Regem Hunorum; eius auxilio regreditur ad Romanum solum. Sixtus Papa à Basso criminatur, & iussu Valentiniani Imperatoris Romæ congregatã synodo, corã LVI. Episcopis synodico iudicio purgatur: Bassus verò damnatus proscribitur, & non multò pòst à Deo percussus, ipsius Sixti manibus honorificè sepelitur.

IX. XXVIII. VI. XXIII. VII. XIX. VI. LVI. 436.

Aëtius in gratiam recipitur. Rugila Rex Hunorum, fœderatus Romanorum, moritur, eique Bleda succedit.

X. XXIX. VII. XXIV. VIII. XX. VII. I. 437.

Galliã citeriore à Battone Principe in rebellionem commotã, conspi-

ANNO CHR. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

* Ita mss. Gembl. Alij Bagaudam. Conf. infrà ad annum 442.

rauêre in * Baugaudam omnia pænè Gallorum seruitia. Cyrillus Alexandrinus Episcopus ab hoc anno orditus, cyclum de ratione paschæ per XCV. annos summa breuitate collegit, intra quem omnes paschalis obseruationis varietates comprehendi notauit.

438. XI. XXX. VIII. XXV. IX. XXI. VIII. II.

Apud Persas Christianitas hoc tempore dilatata est. nam Maruthas Episcopus legatione ad eos functus, filium Sdigerdis Regis orando à dæmonio liberauit: per quod maior quidem gloria accreuit; at contra ab inimicis Dei grauior in Christianos persecutio exarsit.

* Ita mss. omnes, excepto Lipsiano, qui scribit Arcadij.

Eudoxia Augusta, vxor * Theodosij, Hierosolymam ex voto properauit, & inde reliquias protomartyris Stephani, & duas catenas, quas Angelus de manibus Petri Apostoli disiecit, Dei nutu attulit: eisque adiunctâ catenâ, qua etiam Romæ Petrus vinctus fuit, triadem fecit, & inde cum consilio Romani Præsulis solemnitatem S. Petri, quæ dicitur Ad vincula, Romæ instituit, Kal. Aug. ideò maximè vt populũ reuocaret à gentili superstitionis pompa, quòd adhuc solemnizabat in hac die ciuitas, ex ritu gentili, pro victoria Octauiano Augusto de Antonio & Cleopatra collata in Kal. Augusti. Diabolus Iudæos in specie pseudoprophetæ, Mosen se esse mentientis, seduxit, & promittens se in terram repromissionis eos reducturum, ad mare transfretandum adduxit: ibique eorum multos multis modis perire fecit. Quæ res multis eorum hoc periculo erutis, credendi in Christum caussa fuit.

439. XII. XXXI. IX. XXVI. X. XXII. IX. III.

Vualia Rex Gothorum, Vuandalos odio insectans, etiam in Africa eos persequi disponit, sed morte præuentus obijt, eique in regnum Theodericus successit, & * XV. annis regnauit.

* Ita Gembl codex. Alij XIV.

CCCC.XL XIII. XXXII. X. XXVII. XI. I. X. IIII.

440. Vuandali inuasam Africam deuastant omnimodis. Sub hoc turbine tribulationis, sanctus Augustinus migrauit ad Dominum, XIII. mense obsidionis suæ vrbis, anno ætatis suæ LXXIII. clericatus vel Episcopatus XL. qui tanta scripsit, vt nullus libros eius omni tempore vitæ suæ non solùm scribere, sed nec legere quidem valeat.

441. XIV. XXXIII. XI. XXVIII. XII. II. XI. V.

Leo Romanæ Ecclesiæ XLIV. præsidet. Hic in homilijs declamandis multùm valuit. Hic in Canone Missæ addidit, Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. * *Hic quoties rogabatur ab aliquibus, vt eis aliquorum Apostolorum, vel martyrum reliquias daret, consuescit ad corpora vel memorias Apostolorum vel martyrum, quorum reliquiæ petebantur, Missas celebrare in honore ipsorum, & sic brandeum altaris, quo consecratum corpus Domini inuoluerat, particulatim diuidebat;*

* Consule Platinam, Baronium & alios.

R. P. F. B. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

bat, & pro reliquijs Apostolorum vel martyrum dabat. Vnde si ab aliquibus dubitabatur, cultello pannos illos pungens, sanguinem eliciebat; sic palàm cunctis faciens, quòd in consecratione mysteriorum Christi, sanguis Apostolorum vel martyrum, qui pro illo effusus est, intret per diuinam virtutem in pannos illos: & ideò meritò illos dari pro reliquijs Sanctorum, in quorum honore consecrati sunt.

Bellum contra Burgundiones memorabile exarsit; quo tota pænè gens, cum Rege suo per Aëtium victa concidit. Corpora Prisci, aliorumque cum eo apud Antisiodorum passorum, Germano Episcopo diuinitus reuelantur.

XV. XXXIIII. XII. XXIX. XIII. III. XII. VI. 442.

Defuncto Sdigerde, Gauraranes filius eius Persis imperat annis XXXVIII. In Gallijs, Principibus seditionis attritis, & Battone capto; quiescit * Bagaudarum commotio.

* *Ita mss.*

XVI. I. XIII. XXX. XIV. IV. XIII. VII. 443.

Gauraranes fœdus cum Romanis à patre initum, dissoluit, & prouincias Romanorum incursat. Portione Africæ concessâ ad habitandum Genserico à Romanis, conuenit inter Vuandalos & Romanos, pax magis necessaria, quàm vtilis.

XVII. II. XIV. XXXI. XV. V. XIV. VIII. 444.

Corpus Ioannis Chrysostomi in exilio defuncti, tandem Constantinopolim refertur, instantiâ Procli Episcopi, & iussu Theodosij Imperatoris, cum lacrymis orantis, vt veniam daret Arcadio patri suo, & Eudoxiæ matri, qui eum exsiliauerant: & per hoc finita est dissensio, quæ adhuc erat in Ecclesia, pro eiusdem Ioannis damnatione. Constantinopoli per IV. menses terræ motu terrâ fluctuante, quidam coram omnibus orantibus sublatus in aëra à diuina virtute, admonitus est à diuina voce, vt factis litanijs canerent omnes, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis, nihil aliud apponentes, quo facto cessauit terræ motus. Romani duce Litorio cum Vuisigothis pugnant miserabiliter.

XVIII. III. XV. XXXII. XVI. VI. XV. IX. 445.

Clodius Rex Francorum, missis exploratoribus, de Dispargo castello, vsque ad vrbem Cameracum, transijt Rhenū, & protrito multo Romanorum populo, citra Rhenum vsque Ligerim fl. habitantium, * Carboniam siluam ingressus, vrbem Tornacum obtinuit; & inde vsque ad vrbem Cameracum properauit. Vbi pauco tempore residens, Romanos, si quos ibi inuenit, peremit; & exinde ad * Summam fluuium perueniens, omnia occupauit. Theodericus Rex Vuisigothorum Hispanias occupat.

* *Ita mss. omnes. Greg. Turonensis & alij vocant* Carbonariam.

* *Ita mss. vulga* Somona *dicitur.*

Gau-

ANNO CHR.	R.	P.	F.	B.	VV.	VV.	O.	H.
446.	XIX.	IV.	XVI.	XXXIII.	XVII.	VII.	XVI.	X.

Gauraranes in Perside persecutionem in Christianos excitauit, quam per XXX. annos grauiter exercuit. Porrò Theodosius quamuis sæpè feliciter Persas vicisset, pacem tamen amplecti voluit, vt persecutio cessaret à Christianis. Gensericus dolo Carthaginem cepit, & omnem Africam sibi subiiciens, lacrymabili clade potentiã Romani regni deiecit. Hic nihil pensi, neque sancti habens, & infestus cunctis, maximè nobilitati & religioni, omnia diuina & humana exinaniuit, Episcopum & omnem clerum Ecclesiæ Carthaginensis expulit, loca sancta aut suorum habitacula fecit, aut Arianis contradidit, & Catholicos vbique persequi iussit. Germanus Antisiodorensis & Lupus * Trecassenus, petentibus Britannis, in Britanniam diriguntur, vt hæresim Pelagianam, quæ ibi ante aliquot annos pullulauerat, confutarent, & rectam fidem Ecclesiastica auctoritate solidarent. Interim hostibus ex more insulam incursantibus, animans omneis ad resistendum Germanus, & ipse dux eorum factus, iam in procinctu positis hostibus, elato clamore, Alleluia incipiens, & suis secum clamantibus, idem hostes vertit in fugam, & incruentam obtinens victoriam, ab imminenti periculo eripuit patriam. Britanni, qui per tot annos expositi fuerant prædæ & hostium ludibrio, Anglos inuitant. A Germania Angli Britanniam veniunt, eamque ab hostibus tutam faciunt esse: non multò pòst eam sibi vindicant. Ambrosiũ Aurelianum sibi Britanni Regem statuunt, eiusque ductu per annos XLV. vario belli euentu, contra Anglos confligunt.

Ita mss.

Vide Hist. Angl. Bedæ.

447.	XX.	V.	XVII.	I.	XVIII.	VIII.	XVII.	XI.

Bledæ Hunorum Regi, cum fratre Attila peruaganti Orientale imperium, dat Theodosius pro recessu VI. millia librarum, pollicitus ei annuum mille *librarum tributum. *Apud Ephesum VII. fratres à Decio Imperatore pro Christo tormentati, in spelunca se clauserunt, & factâ oratione ibi obdormierunt, & post annos suæ dormitionis circiter CXCII. ore speluncæ, quod in suo tempore Decius obstruxerat, patefacto, diuinitus à somno surgunt, & assertâ fide nostræ resurrectionis coram Theodosio Imperatore, de qua multùm dubitabatur, iterum dormiunt in Christo.*

Consule Baron.

448.	XXI.	VI.	XVIII.	II.	XIX.	IX.	XVIII.	XII.

* Merouecus filius Clodij super Francos regnat annis X. à quo nimis vtili Rege Franci cognominati sunt Merouingi.

Ita mss. omnes.

449.	XXII.	VII.	I.	III.	XX.	X.	XIX.	XIII.

Bleda Rex Hunorum fraude fratris Attilæ perimitur, eique succedens ipse Attila, totus in excidium orbis animo fertur. * Remigius Remensis nascitur, prænuntiatus ex nomine per Montanum monachum: quo nato idem Montanus, quia cæcus erat, de lacte Ciliniæ matris eius, oculos suos liniens, illu-

Baron. ad an. 541. & in Notis ad Martyr. 1. & 21. Oct.

R. P. F. B. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

illuminatus est. Germanus Antisiodorensis, cum Seuero Treuerensi Episcopo, iterum ad Britanniam missus, renascentem Pelagianam hæresim confutat.

XXIII. VIII. II. IV. XXI. XI. XX. I. CCCC.L. 450.

Noua iterùm Orienti consurgit ruina, quia LXX. non minùs ciuitates deprædatione Hunorum vastantur. Germanus Antisiodorensis in Italiam profectus, Rauennæ moritur. Corpus eius cum multa miraculorum gloria Antisiodorum refertur.

XXIV. IX. III. V. XXII. XII. XXI. II. 451.

Theodosius Imp. obijt, cui succedens Martianus imperat annis * VII. cum quo Valentinianus annis V. In Africa exardescentibus Vuandalis, ita vt libros diuinos exurerent, & de sacris pallis ac vestibus vestes sibi facerent, Valerianus Episcopus octogenarius, nolens diuina sacramenta profanis tradere, à Rege Genserico omni vrbe & domo exclusus, reliquū vitæ vsque ad mortem, nudus sub nudo aëre exegit. Placidia mater Valentiniani Romæ defuncta est.

*Ita Gem. codex. Alij V.

I. X. IV. VI. XXIII. XIII. XXII. III. 452.

Instantia Leonis Papæ, iubente Martiano Imperatore, congregata & habita est quarta vniuersalis synodus IↃ. CXXX. Episcoporum apud Chalcedonem: in qua Eutychen Constantinopolitanum Abbatem, pronuntiantem Verbi Dei & carnis vnam esse naturam, eiusque defensorem Dioscorum Alexandrinum quondam Episcopum, vna Patrum sententia præiudicauit. Nestorium etiam Constantinopolitanum quondam Episcopum, olim in Ephesina synodo damnatum, iterum anathematizans, cum reliquis hæreticis damnauit; prædicans eadem synodus Christum Deum sic de virgine natum, vt in eo, & diuinæ & humanæ naturæ substantiam esse fateamur. Hic decretum est, vt mater Domini Maria non solùm Christotocos, sed etiam Theotocos credatur & appelletur, propter blasphemias Nestorij, mentientis eam non Deum, sed purum hominem genuisse. Terræ motus pænè assidui, & signa plurima in cælo ostenduntur. Vespere ab Aquilone cælum efficitur rubens, vt ignis, intermixtis per igneum ruborem clarioribus lychnis, in hastarum speciem deformatis, luna obfuscatur, cometes apparet, & multa alia, quæ non esse otiosa, ostendit instans rerum consequentia.

II. XI. V. VII. XXIV. XIIII. XXIII. IV. 453.

Attila Hunorum Rex, Vualameris Ostrogothorum Regis, & Ardarici Gepidarum Regis, & multarum Aquilonarium gentium, sibi subiectarum, auxilio fultus, à Pannonijs egressus, Occidentale imperium inuadit, cum quingentis millibus armatorum. Et primò per totas Gallias, tanta per eos

ANNO CHR. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

Dei efferbuit indignatio; vt nullam omninò ciuitatem, castellum vel opidum, aliqua à furore eorum potuerit tutari munitio. Postremò * Aureliam vrbem eis obsidentibus, ad subsidium Galliarum aduolauit patricius Romanorum Aëtius, fultus & ipse Theoderici Vuisigothorum Regis, & Meroueci Francorum Regis, aliarumque gentium copijs militaribus. Conserto prælio in campis Catalaunicis, pugnatum est vsque ad diremtionem noctis. Aëtius superior quidem recessit, Attilam tamen non vsque ad internecionē deleuit. Cæsa sunt ibi CLXXX. millia pugnatorum: inter quos etiam cecidit Theodericus Rex Vuisigothorum. Attila resumtâ spe, ex Aëtij discessu repatriauit, maturè rediturus suppleto exercitu.

* Ita mss.

Thurismodus filius Theoderici regnum Vuisigothorum suscepit, annisq. III. regnauit. Nicasius Remensis Episcopus cum Eutropia sorore ab Hunis martyrizatur. Auctor Metensis Episcopus captiuatur, sed Hunis cæcitate percussis, cum captiuis suæ vrbis relaxatur. Hoc excidium Gallijs impendere, *Seruatius Tungrensis Episcopus, longè antè in spiritu præuiderat, & Romæ à Petro Apostolo hoc iudicium Dei ineuitabile fore didicerat, ideoque relictâ Tungrensi vrbe, quæ euertenda erat, ad Traiectum sedem Episcopalem transposuit. Pullulante intra Gallias Arianâ hæresi, quæ inæquales credens esse personas sanctæ Trinitatis, dicebat Filium minorem esse Patre, Spiritum verò sanctum minorem Patre & Filio: Dominus errantes corrigit, ostendens plano miraculo, Deum in tribus personis, vnius & æqualis esse substantiæ, nec debere ab indignis de diuinitate tractari. Nam Vasatensi vrbe ab Hunorum obsidione liberatâ, per diuinum auxilium, cùm Episcopus pro gratiarum actione Missam populo celebraret, respiciens sursum, vidit desuper altare, quasi de camera templi, cadere æqualiter tres guttas æqualis magnitudinis, crystallo clariores; quæ simul defluentes, & in vnum coniunctæ, quasi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt: quam cùm in medio crucis aureæ & gemmatæ posuissent, aliæ gemmæ ceciderunt; seorsum verò posita infirmis dabat sanitatem; adorantibus verò imaginem sanctæ crucis augebat deuotionem, quia pijs & mundis clara, impijs & immundis obscura videbatur.

* Cōsule Baron. in Annal. & in Notis ad Martyrol. 13. Maij.

Consule Greg. Turonensem & Liziardum.

*Omnibus bellis famosius fuit bellum, quod candidatus sanctarum vndecim virginum exercitus bellauit, duce sanctâ virgine Vrsula: quæ filia vnica * Nothi nobilissimi & ditissimi Britannorum Principis, cùm nondum nubilis à filio cuiusdam ferissimi tyranni ad nuptias expeteretur; & patrem suum super hoc anxiari videret, qui Deum metuebat, si filiam Deo iam deuotam nubere cogeret; & tyrannum timebat, si filiam ei denegaret: diuinitus inspirata, nutanti patri suasit, vt tyranno assentiretur, eâ tamen illi propositâ conditione, vt ipse, & tyrannus decem virgines genere, forma, & ætate electas sibi traderent, & tam sibi, quàm singulis illarum mille virgines subscriberent, & comparatis ad numerum ipsarum vndecim trieribus, inducias triennij sibi darent, ad exercitium virginitatis suæ: nouo vsa consilio, vt aut difficultate propositæ conditionis animum eius à se auerteret, aut hac oportunitate omnes coæuas*

Dionothi Omnia cōfer, quæ habet Baron. in Notis ad Martyrol. Rom. Octob. die 21. & in Annalibus.

coæuas

R.	P.	F.	B.	VV.	VV.	O.	H.	ANNO CHR.

*coaeuas suas secum Deo dicaret. Et ex hoc conditâ virginibus trieribus, & sumtibus comparatis, per triennium belli praeludia cunctis mirantibus, tandem sub vno die, agente vento, ad portum Galliae, qui Tiela dicitur, & inde Coloniam appulsae sunt, ibique ex angeli monitu Romam tendentes, ad vrbem * Basiliam nauibus, à Basilia Romam vsque pedibus profecta, eodem eundi tenore, Coloniam sunt reuersae, ab Hunis vndique obsessam, à quibus cuncta martyrizatae, nouo & mirabili modo triumpharunt, & Coloniam sanguine & sepultura sua clariorem reddiderunt.* *Ita mss.

III.	II.	VI.	VIII.	XXV.	I.	XXIIII.	V.	454.

Attila Italiam aggressus, omnes paenè eius ciuitates aut diruit, aut diripuit, aut incendit. Ad eum Leo Papa venit, & non solùm salutem, sed etiam, vt rediret, obtinuit. Rex Attila requisitus à suis, cur ei tam fuisset placabilis, respondit se non eum esse reueritum, sed senem quemdam venerabilem, euaginato gladio sibi mortem minitantem, nisi eius in omnibus expleret voluntatem.

IIII.	XIII.	VII.	IX.	XXVI.	II.	XXV.	VI.	455.

Attila Vuisigothos debellare aggressus, à Thurismodo victus, rediit inglorius. Martiano Imperatori apparens Dominus in somnis, arcum Attilae fractum esse ostendit. nec id vanum fuit. Eâdem quippe nocte Attila, in nuptijs suis crapulatus, erumpente per apoplexiam sanguine de naribus, in lecto est suffocatus. * Hernac filius eius post eum regnat. Valentinianus Imperator Aëtium patricium interficit. *Ita mss. hic. Alibi Hellac.

V.	XIV.	VIII.	X.	XXVII.	III.	XXVI.	I.	456.

Thurismodus Rex Vuisigothorum à fratribus suis Friterico & Theoderico iugulatur. Theodericus frater eius in regnum ei succedens, regnauit annis XIII. Filij Attilae, dum contendunt de regno, subiectae Hunis gentes ab Hunorum se excutiunt iugo. Consilio Maximi tyrannidem meditantis, Valentinianus Imp. à Transila milite Aëtij perimitur.

VI.	XV.	IX.	XI.	XXVIII.	I.	XXVII.	II.	457.

Genouefa virgo Parisiensis multa sanctitate claret per Gallias. Maximus tyrannidem arripit: Eudoxiam, relictam Valentiniani, vi rapit. Illa Gensericum ex Africa inuitat, vt se à Maximo eripiat. Gensericus Romam capit, omnia diripit, vt tamen ab igne, caede, & supplicijs hominum abstineret, Leo Papa ab eo obtinuit. Maximus tyrannus à populo membratim discerpitur. Per XIV. dies Româ despoliatâ, Gensericus Eudoxiam cum duabus filiabus & multo populo captiuat, & Campaniae vrbes omni vastationis genere exterminat. Inter haec Paullinus Nolanus, dum pro captiuo filio viduae se vicarium in seruitutem barbari subijcit, omnes captiuos suae vrbis recipit. Auitus à Romanis Imperator constituitur. Theodericus Rex Vuisigothorum

ANNO CHR. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

rum Sueuos in Hispania vicit, & regno eorum destructo, regnum suum eò vsque extendit. His Martiani temporibus Ioannem Baptistam caput suum duobus monachis reuelasse quidam scribunt. Ardarico Regi Gepidarum, qui primus à seruitio Hunorum resiluit, Hellac filius Attilæ bellum indixit; cum quo Ardaricus conflixit, eoque cum XXX. millibus Hunorum peremto, Hunos grauiter afflixit. Sicque receptâ libertate gentis suæ, & terris eorum inuasis, ceteris gentibus exemplum dedit repetendæ libertatis. Mortuo Martiano succedens Leo regnauit XVII. Hic super synodo Chalcedonẽsi singulorum Patrum singulas sententias requisiuit, & quia omnium vnam esse cognouit, eam fideliter tenuit. Hic cum Vualamere Ostrogothorum Rege fœdus pepigit, & Theodericum fratruelem eius, puerum octennem, obsidem accepit. Huc vsque Prosper Chronica sua perduxit.

Prosperi Aquitanici Chronicon cum mss. codicibus contulit, & Notis illustratum Arn. Pontacus, Vasatensis Episcopus, nuper euulgauit cum Eusebij Chronico.

458. I. XVI. X. XII. XXIX. II. XXVIII. III.

** Ita mss. hic, alibi sine adspiratione.*

* Merouecho Francorum Rege mortuo, Hildericus filius eius regnauit annis XXVI. Hernac filius Attilæ Hunorum Rex Ostrogothos, quasi refugas dominationis suæ, bello repetens, super Vualamerem irruit, à quo victi Huni, in vltimas Scythiæ partes fugere sunt compulsi. Mortuo Auito, Maiorianus imperat annis IV. Simeon, qui *XL. annis inclusus* in columna stetit, mira sanctitate Antiochiæ claruit: qui inter cetera monebat, ne quis per Dei aut Sancti alicuius nomen, imò per nomen Simeonis iuraret, promittens impunitatem in se peieranti se à Deo postulaturum.

Consule Baronium & alios de eo scribentes.

459. II. XVII. I. XIII. XXX. III. XXIX. IV.

Ostrogothi duce Theudemere Sueuos bello vincunt, & Hunimundum Regem eorum capiunt, sed eum liberum remittunt.

CCCC. LX. III. XVIII. II. XIV. XXXI. IV. XXX. IV.

460. Romani Biorgum Alanorum Regem cum exercitu suo in Venetia extinguunt. Dintzich filius Attilæ, Hunorum Rex, Ostrogothos iterum bello prouocat, à quibus Huni ita sunt deuicti, vt eis postea semper Ostrogothi fuerint terrori.

461. IV. XIX. III. XV. XXXII. V. XXXI. VI.

Occiso Maioriano, Seuerus imperat annis IV. Hildericum insolenter & luxuriosè se agentem, Franci regno deturbant: qui datâ aurei medietate amico suo Vuidiomaro, quod esset signum reuocationis suæ, si aliquando intercederet reconciliatio, apud Basinum Regem Thuringorum latuit annis VIII. Franci verò Ægidium ducem Romanorum Regem sibi præficiunt. Hunimundus Rex Sueuorum fultus Schyrorum auxilio, Ostrogothos aggredi-

R. P. F. B. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

greditur, in quo bello Rex Vualamer perimitur, cui ſuccedens frater eius Theudemer regnat annis XI. Huni regno ſuo diminuto, cum ex gentium ſubiectarum diſceſſione, tum ex pugnandi infelicitate, regnauerunt quidem, ſed non in priori fortitudine, donec longo pôſt tempore à Carolo Magno victi, cum ipſo ſuo nomine diſperiêre. His ab hinc filij Attilæ, & poſt eos Zeliobes regnauerunt annis * L. Apud Toloſam vrbem Galliæ, ex eius medio tota die ſanguis largiſſimo fluxit riuo; quod Gothi pro portento ſuæ perditionis acceperunt.

** Ita Gembl. ſed in Aquic. & Crt.* LVIII. *In Lipſ.* LIX.

V. XX. IV. XVI. XXXIII. VI. I. I. 462.

Hilarius Romanæ Eccleſiæ XLV. præſidet. Hoc iubente, Victorius cyclum magni anni conſcribit. Theudemer Sueuos & Schyros, in vltionem fratris occiſi vſque ad internecionem debellat.

VI. XXI. V. XVII. XXXIV. VII. II. II. 463.

Pictor quidam, cùm Saluatorem, ſecundùm ſimilitudinem Iouis, pingere voluiſſet, aruit manus eius. Quem culpam confeſſum ſanauit Gennadius Epiſcopus Conſtantinopoleos. Theudemer glaciali via tranſito Danubio, etiam ibi Sueuos proterit.

VII. XXII. VI. XVIII. XXXV. VIII. III. III. 464.

Heliſeus propheta, qui duplici Heliæ ſpiritu plenus, multis in vita claruit virtutibus; & mortuus mortuum hominem ſupra corpus ſuum caſu iactatum, ſolo corporis ſui attactu reſuſcitauit; & multo tempore in Samaria, vbi ſepultus eſt, multis claruerat miraculis; vt præter cetera etiam dæmones ibi frementes variarum ferarum vocibus, ab inuaſis fugarentur corporibus, Alexandriam transfertur. Theudemer filium ſuum Theodoricum à Leone Aug. ſibi remitti gratatur.

VIII. XXIII. VII. XIX. XXXVI. IX. IV. IV. 465.

Annus præſens, qui eſt à tranſitu ſancti Martini LXIV. reuerentiſsimi corporis eius tranſlatione inſignitur. Cum enim eâ prærogatiuâ, qua viuens, etiam mortuus, incomparabili ſignorum fulguraret claritate, beatus Perpetuus Turonicæ ciuitatis Antiſtes, pro priori ædiculâ, templum multæ ambitionis, adeò vt centum & viginti columnarum mira diſpoſitione ſubnixum totum concameraret, ſuper eum ædificauit, corpuſque ſanctum à ſepulcro eleuatum, IV. Nonas Iulij; annuo videlicet conſecrationis eius in Epiſcopum die, in loco in quo nunc veneratur, angelico fretus auxilio tranſtulit, ipſumque templum eodem nihilominus die poſtmodùm dedicauit. Vnde fit, vt ſub vno die triplici occurrente feſtiuitate, ordinatione ſcilicet Epiſcopatus, tranſlatione corporis, dedicatione baſilicæ ſuæ; IV. Nonas Iulij, annuatim beatus Martinus ſolenniſsimu totius comprouincialis populi frequentetur deuotione. Locus autem, in quo ſacratiſsimum corpus eius quieſcit, ab vrbe Turonica, Occidentem verſus, breui interiacente

ANNO CHR. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

campi planitie disparatus, castrum nouum vocatur; vbi in prædicto templo sub ciborio, auro, argento, gemmisque vestito, decenter collocatum, tanta miraculorum illustratur magnificentia, vt toto Christianitatis orbe Apostolicam gloriam obtineat.

Seuero mortuo, Antemius imperat annis IV. Theodericus adolescens *annorum XVIII.* transito Danubio, super Sarmatas irruit, & Regem eorum Babaz perimit, & cum bellicis manubijs victor ad patrem redit.

466. IX. XXIV. VIII. XX. XXXVII. X. V. V.

Seruandus tyrannidem meditans ab Antemio perimitur.

467. X. XXV. IX. XXI. XXXVIII. XI. VI. VI.

Simplicius Romanæ Ecclesiæ XLVI. præsidet. Hic damnauit Petrum Alexandrinum Episcopum, Eutychianæ hæresis accusatum. Romanus tyrannidem meditans, ab Antemio perimitur. Gensericus Rex Italiam aggressus, nauali bello à Romanis vincitur.

468. XI. XXVI. X. XXII. XXXIX. XII. VII. VII.

Antemio & genero suo Ricimere patricio Romæ contendentibus de imperio, interim Olibrio ad imperandum à Leone Augusto transmisso, Ricimer Antemium perimit. Mamertus Episcopus Viennensis claruit, qui Litanias ante Ascensionem instituit, hac de caussa, quòd terræ motus in vrbe Vienna ecclesias domosque euertebat, & feritas luporum, aliarumque siluaticarum bestiarum, toto anno per vrbem vagantium, homines deuorabat. Adhoc palatium Regis, die sancto Paschæ, cælesti igne consumtum, ad cladem multum addebat terroris. Qui Litaniarum ritus, à Viennensi Ecclesia in omnes Galliarum Ecclesias decucurrit.

469. XII. XXVII. XI. XXIII. XL. XIII. VIII. VIII.

Olibrio imperij sui mense VII. mortuo, Lucerius imperat. Ægidius cùm Francos opprimeret grauiùs iustò, perpendens Vuidiomarus Francos pœnitere super eiecto Hilderico, reuocat eum clàm misso diuisi aurei signo, egitq; vt eiecto Ægidio, ille restitueretur in regno. Basina vxor Basini Regis Thuringorum, relicto viro suo, ad Hildericum venit: quam ille vxorem duxit, & ex ea Ludouicum genuit. Theoderico Vuisigothorum Rege à fratribus suis iugulato, Eoricus regnauit annis XIX.

CCCC. LXX.

470. XIII. XXVIII. XII. XXIIII. XLI. I. IX. IX.

Nepos patricius, Lucerio expulso, & Episcopo Salonis eo ordinato, imperium arripuit. Eoricus Rex Vuisigothorum Gallias occupare nisus, Riothimum Regem Brittonū ad defensionem Galliarum Romanis auxilio venientem, bello contriuit.

Eori-

R. P. F. B. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

XIV. XXIX. XIII. XXV. XLII. II. X. X. 471.

Eoricus Burgundiones victos sibi subegit. Aruernos etiam, Arelatum, & Massiliam Galliarum vrbes inuasit, ad occupandas prouincias Romanorum animatus consilio Genserici; qui versutè agebat, vt Orientem Ostrogothi, Occidentem vastarent Vuisigothi, vt occupatis aliàs Imperatoribus, ipse in Africa regnaret securus. *Remigius Remorum fit Episcopus. Saracenis AEgyptum incursantibus, hoc tempore negotiatores Venetiæ, corpus sancti Marci Euangelistæ ab Alexandria transtulerunt ad Venetiam.*

XV. XXX. XIIII. XXVI. XLIII. III. XI. XI. 472.

Orestes patricius Nepotem regno expulit. Theudemer Rex Ostrogothorum moritur, & Theodericus filius eius regno substituitur.

XVI. XXXI. XV. XXVII. XLIIII. IV. I. XII. 473.

Leone Imp. mortuo, Zenon imperat annis XVIII. Orestes Augustulum filium suum regnare constituit; & fœdus cum Genserico Rege facit. Interim Odoacer cum multa multarum gentium multitudine ab extremis Pannoniæ finibus Italiam petit, qui per Noreiam iter faciens, beati Seuerini, cuius nomen tunc ibi celebrabatur, benedictionem petijt, & ab eo ventura sibi didicit. Odoacer, Oreste victo, apud Papiam obsesso, capto & occiso, Italiam subdit iuri proprio.

I. XXXII. XVI. XXVIII. XLV. V. II. XIII. 474.

Augustulus imperium deponit, quod Odoacer arripiens, XIV. annis, nullo inquietante, obtinuit. Zenon Imp. Theodericum Ostrogothorum Regem Consulem ordinarium facit; quæ post imperialem dignitatem prima est dignitas; & equestrem statuam auream ante regiam illi collocat.

II. XXXIII. XVII. XXIX. XLVI. VI. III. XIV. 475.

Franci post Vuandalos & Alanos, post Gothos & Hunos incessunt Gallias, non tantùm vt eas habeant direptioni, sed vt sibi sint perpetuæ habitationi: qui captâ Coloniâ Agrippinâ, fugato de bello duce Ægidio, multos Romanorum occidunt.

III. XXXIV. XVIII. XXX. XLVIII. VII. IV. XV. 476.

Franci Treuerim ciuitatem super Mosellam capiunt. Hæresis Acephalorum exorta est, impugnantium tria capitula synodi Chalcedonēsis, sine nomine auctoris ob quod Acephali, id est, sine capite vocati sunt.

IIII. XXXV. XIX. XXXI. XLVII. VIII. V. XVI. 477.

Gensericus Rex Vuandalorum successione regnandi inter filios suos ordinatâ,

ANNO CHR. R. P. F. B. VV. VV. O. H.

dinatâ, vt fratri morienti frater superstes sine controuersia filiorum succederet, moritur. Cui succedens Honoricus filius eius regnauit annis * IX. Hildericus Rex Francorum Aurelianis vrbem deuastat.

* Ita Gembl. codex. Aly viij.

478. V. XXXVI. XX. XXXII. I. IX. VI. XVII.

Eugenius Carthaginensis Episcopus, & omnis clerus eius, contra Arianam Vuandalorum hæresim fortiter pro Christo agonizant.

479. VI. XXXVII. XXI. XXXIII. II. X. VII. XVIII.

Odoacer Rex Italiæ Feletheum Regem Rugarum bello oppressum exstinguit. Huic Feletheo, & vxori eius Gisæ sanctus Seuerinus hęc ventura prędixerat; quia eos à malis compescere non poterat. In Africa Honoricus Rex Vuandalorum, multos orthodoxos diuersi ordinis, diuersæ ætatis, vsque ad IV. millia, IↃ.CCCCLXXVI. in exsilium trusos, diuersis in locis, diuersis temporibus, diuersis pœnis, ad mortem excruciauit.

Exterminatis Rugis, Langobardi Rugilant, id est * Rugorum patriam inuadunt: quibus tunc temporis quintus Rex Gudeoch principabatur. Quia ergò Langobardorum mentionem fecimus, illorum tempora propter ignoratam historicæ narrationis distinctionem nondum attigimus: iam nunc narrationem eorum ordiamur, & paullatim ad plenam & distinctam eorum historiam ascendere nitamur. Horum, vt diximus, post Ibor & Agion, primus fuit Rex Agelmundus, secundus Lamissio, sic dictus, quòd à lama, id est, voragine, fuit extractus. Nam mater eius septem vno partu enixa, cùm eos in piscinam proiecisset, & Rex Agelmundus iter faciens eos hasta reuolueret, is hastam eius firmiter tenuit, & ab eo nutritus, eò virtutis processit, vt in regno ei successerit, & necem eius in Bulgares vltus sit. Lethu tertius, Hildeoch quartus, Gudeoch fuit quintus. Ex quo ergo in Rugilant profecti sunt, vsque ad annos XL. talis fuit rerum gestarum horum consequentia. Sub Gudeoch & filio eius Classone sexto Rege, in Rugilant habitauêre. Sub Tattone septimo Rege in campis Asfeld habitauêre. Vbi tertio anno Rodulfo Herulorum Rege à Tattone peremto, & regno Herulorum destructo, Langobardorum creuit potentia. Tattonem Vuacho peremit: & ipse octauus regnauit, filiumque suum Vualthari successorem regni reliquit.

* Mss. inter dũ habent Rugorũ nonnumquam Rugarũ.

Aliàs, Ildehoch, Gedeoc, & Elasso.

CCCC. LXXX. VII. XXXVIII. XXII. I. XXXIV. III. XI. VIII. XIX.

480, Persis imperat Cuades annis * XLII. Audouachrius Dux Saxonum nauali hostico Andegauis populatur. Carthagine Liberatus Abbas cum fratribus sex à Rege Honorico, carcere, catenis, igni & vectibus martyrizantur.

* Ita Gembl. codex. Aly XLI

481. VIII. I. XXIII. II. XXXV. IV. XII. IX. XX.

Ægidius dux in Gallijs moritur: Siagrius filius eius substituitur. Audouachrius

R. P. F. Lang. B. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

uachrius Andegauis & alias vrbes sibi subigens, obsides accipit. * Hildericus Rex Andegauis incendit, & Paullum Comitem vrbis perimit. Hildericus Rex & Audouachrius confœderati, Alemannos sibi subiugant. Famis tempore in Burgundia senator Hecditius IV.M. pauperes sustentans, cælestis promissionis vocem audiuit.

Mss. scribunt nunc Hildricus, *alibi* Hildericus.

IX. II. XXIV. III. XXXVI. V. XIII. X. XXI. 482.

Felix Romanæ Ecclesiæ XLVII. præsidet. Hic Acatium Episcopum Constantinopolitanum damnauit, assentientem Petro Alexandrino damnato.

X. III. XXV. IV. XXXVII. VI. XIV. XI. XXII. 483.

In Africa Honoricus Rex Vuandalorum, in Ecclesiam Dei grauiùs solitò efferatus, omnes Africæ Episcopos quasi ad synodum conuocat, & fugatis & exsiliatis CCCCXLIV. Episcopis Catholicis, Ecclesias clausit, aut Arianis dedit, plebemque varijs supplicijs afflixit. Letum verò Episcopum incendio concremauit. Eugenium quoque Carthaginis Episcopum, cum clericis suis, plusquam quingentis, cruciatos multis modis exsiliauit.

XI. IIII. XXVI. V. XXXVIII. VII. XV. XII. XXIII. 484.

Hilderico Rege mortuo, Ludovvicus filius eius regnat annis triginta. Hic duxit vxorem Rothildem filiam Chilperici Regis Burgundionum, quem Gundebaudus Rex frater eius peremerat, vxoremque eius, matrem scilicet Rothildis, ligato ad collum saxo, aquis immerserat. *Theodorus Episcopus Tornacensis moritur: succedit Eleutherius.*

XII. V. I. VI. XXXIX. VIII. XVI. XIII. XXIV. 485.

Honoricus Rex Vuandalorum, iudicio Dei percussus, scatens vermibus miserabiliter exspirat: post quem Gunthamundus annis IX. regnat.

XIII. VI. II. VII. XL. I. XVII. XIIII. XXV. 486.

Clarent in Gallijs Remigius Remensis, & Principius frater eius, Suessionum Episcopus, & Vedastus pòst Episcopus Atrebatensis; in Africa Fulgentius Episcopus Ruspensis, in Italia Germanus Capuanus, & Epiphanius Ticinensis.

XIIII. VII. III. VIII. XLI. II. XVIII. XV. XXVI. 487.

Gelasius Romanæ Ecclesiæ XLVIII. præsidet. Hic Manichæos Romæ inuentos, in exsilium deportari fecit, & codices eorum incendit. Hic tractatus & hymnos composuit: hic inter cetera, Sacramentorum præfationes & orationes cauto & limato sermone fecit.

Zenon Imperator regnum Italiæ donat Theoderico Ostrogothorum Regi. Hic Theodericus Trapsilam Gepidarum Regem, & Busam Bulgarum

E Regem

ANNO CHR. R. P. F. L. B. VV. VV. O. H.

Regem bello victus exstinguit. Gunthamundus ab exsilio reuocat Eugenium Episcopum.

488. XV. VIII. IV. IX. XLII. III. XIX. XVI. XXVII.

* Ita Gembla. codex. In aliis XXI. In Gemb. solo, Amesia.

Eorico Vuisigothorum Rege mortuo, regnat post eum filius eius Alaricus annis * XXII. Theodericus cùm XVI. annis Ostrogothorum regnum tenuisset, à Mæsia egressus, Italiam petijt, & Odoacrem Italiæ Regem bis sibi congressum, bis in fugam vertit, & Papiæ inclusum obsedit triennio.

489. XVI. IX. V. X. XLIII. IV. I. XVII. XXVIII.

Barnabas Apostolus, qui apud Salaminam Cypri à Bar-Iesu mago, & à Iudæis, pro Christo igne crematus est, corpus suum, quod à Ioanne Marco consobrino suo in crypta occultatum adhuc latebat, reuelatione sua inueniri fecit; cum quo etiam Euangelium Matthæi, ipsius manibus Matthæi Hebraicè scriptum, quod erat simul reconditum, inuenitur. Quod Euangelium ipse Barnabas, ex doctrina Apostolorum secum semper ferre solebat, & vbicumque inueniebat infirmos, ponebat illud super eos, & tam fide Barnabæ, quàm merito Matthæi omnes sanabantur. Ludovvicus Rex Francorum Suessionis Siagrio duci Romanorum congreditur. Siagrius Tolosam ad Alaricum fugit; à quo Ludovvico reposcenti remissus perimitur. Ludovvicus quidquid Galliarum sub iure erat Romanorum, ad ius Francorum transfert.

CCCC. XC. XVII. X. VI. XI. XLIV. V. II. XVIII. XXIX.

490. Auitus Viennensis Episcopus claruit, qui Gallias ab Ariana hæresi defendit. Hic metricè De cōditione mundi libros composuit. Solennis Carnotensis Episcopus claret: qui in prædicando Francis Christum non segniter institit. In Minio Hispaniæ pisces capti sunt, in quorum squamis videbatur inscripta era præsentis anni. Idatius Lemicæ Hispaniarum vrbis Episcopus, Chronica sua, à primo Theodosij consulatu incohata, hucusque perduxit. Gennadius Episcopus librum suum De illustribus viris hucusque perduxit.

491. XVIII. XI. VII. XII. XLV. VI. III. XIX. XXX.

Vide Baronium in Notis ad Martyrol. Rom 17. Martij.

Anastasius Romanæ Ecclesiæ XLIX. præsidet. Huic Acatium damnatum reuocare volenti, multi Romanorum non communicabant. Britanni non valentes ampliùs ferre virtutem Anglorum, vt victi concessêre in ius & nomen eorum. Et primus de gente Anglorum Elli, & secundus Celin, alter alteri mortuo succedendo, regnauerunt apud eos, per annos LXX. Sanctus Patricius, secundus Hiberniæ Archiepiscopus, anno ætatis suæ CXXII. in Christo quieuit. Odoacer à Theoderico in fide susceptus, ab

eo.

eo perimitur, & Theodericus Italia potitur, & deposito priuato habitu, induitur regali schemate, & regnauit in Italia annis XXXVI.

XIX. XII. VIII. XIII. I. VII. IV. I. XXXI. 492.

Zenone Imp. mortuo, Anastasius imperat annis XXV. vel, vt quidam volunt, XXVII. Gunthamũdus Rex in Africa Ecclesias Catholicorum à patruo suo Hunerico, vel auo Gengerico clausas, aperuit, & omnes Dei sacerdotes, petente Eugenio Carthaginensi Episcopo, ab exsilio reuocauit. *Acatius, Episcopus Constantinopolitanus, diuino nutu percutitur.*

I. XIII. IX. XIV. II. VIII. V. II. XXXII. 493.

Symmachus Romanæ Ecclesiæ L. præsidet, ordinato contra eum per contentionem Laurentio: quæ res graue dissidium Ecclesiæ diu, vsque ad ipsa protraxit homicidia; donec tandem hanc altercationẽ compressit Theoderici Regis, quamuis Ariani, potentia: hoc æquitatis iudicio obtinente, vt Symmachus Papa esset, quia prior ordinatus fuerat, eique pars maxima faueret. Pro cuius dissensionis culpa, animam Paschasij diaconi, qui pertinaciùs Laurentio fauerat, aliàs magnæ sanctitatis viri, Germanus Capuanus Episcopus inuenit in thermis in igne purgatorio positam. Hic Symmachus constituit omni dominico die, vel natalitio martyrum, Gloria in excelsis Deo, ad Missas cantari: quem hymnũ Telesphorus VII. à Petro Papa, nocte tantùm Natalis Domini ad Missas, à se in ipsa nocte institutas, cantari instituit, & in eo, ad Angelorum verba, quæ sequuntur, adiecit. *Ita mss.*

II. XIV. X. XV. III. IX. VI. III. XXXIII. 494.

Gunthamundo Vuandalorum Rege defuncto, Trasamundus frater eius, regnauit post eum, annis XXVI.

III. XV. XI. XVI. IV. I. VII. IV. XXXIV. 495.

Ludovvicus Rex Turingiam sibi subiugat. Theodericus Rex omnes vicinarum gentium Reges & Principes, aut amicitia, aut affinitate sibi conciliat, & pacificè agens, in locis celeberrimis regalia habitacula ædificat. *Ms. Turingiam: nunc sine, nunc cum adspiratione scribũt.*

*Florebant hoc tempore Launomarus Carnotensis, fundator cœnobij Curbionensis, & Maximus Aurelianensis, fundator cœnobij Miriacensis; cuius discipuli fuerunt * Carilefus, & Auitus Abbates.* **Mss. duplici ff.*

IV. XVI. XII. XVII. V. II. VIII. V. XXXV. 496.

Ludovvicus regnum Francorum vsque Sequanam dilatat. Aliqui Romanorum, subornatis falsis testibus, incriminantes Symmachum Papam, latenter Laurentium in papatum subintroduxerunt: pro quo schismate dirimendo Rex Theodericus Episcopum Petrum, contra canones, visitatorem sedis Apostolicæ instituit. *Baronius legatur.*

ANNO CHR. R. P. F. L. B. VV. VV. O. H.

Regem bello victus exstinguit. Gunthamundus ab exsilio reuocat Eugenium Episcopum.

488. XV. VIII. IV. IX. XLII. III. XIX. XVI. XXVII.

Eorico Vuisigothorum Rege mortuo, regnat post eum filius eius Alaricus annis * XXII. Theodericus cùm XVI. annis Ostrogothorum regnum tenuisset, à Mœsia egressus, Italiam petijt, & Odoacrem Italiæ Regem bis sibi congressum, bis in fugam vertit, & Papiæ inclusum obsedit triennio.

* Ita Gembla. codex. In alijs XXI. In Gemb. solo, Amesia.

489. XVI. IX. V. X. XLIII. IV. I. XVII. XXVIII.

Barnabas Apostolus, qui apud Salaminam Cypri à Bar-Iesu mago, & à Iudæis, pro Christo igne crematus est, corpus suum, quod à Ioanne Marco consobrino suo in crypta occultatum adhuc latebat, reuelatione sua inueniri fecit; cum quo etiam Euangelium Matthæi, ipsius manibus Matthæi Hebraicè scriptum, quod erat simul reconditum, inuenitur. Quod Euangelium ipse Barnabas, ex doctrina Apostolorum secum semper ferre solebat, & vbicumque inueniebat infirmos, ponebat illud super eos, & tam fide Barnabæ, quàm merito Matthæi omnes sanabantur. Ludovvicus Rex Francorum Suessionis Siagrio duci Romanorum congreditur. Siagrius Tolosam ad Alaricum fugit; à quo Ludovvico reposcenti remissus perimitur. Ludovvicus quidquid Galliarum sub iure erat Romanorum, ad ius Francorum transfert.

CCCC. XC. XVII. X. VI. XI. XLIV. V. II. XVIII. XXIX.

490. Auitus Viennensis Episcopus claruit, qui Gallias ab Ariana hæresi defendit. Hic metricè De cõditione mundi libros composuit. Solennis Carnotensis Episcopus claret: qui in prædicando Francis Christum non segniter institit. In Minio Hispaniæ pisces capti sunt, in quorum squamis videbatur inscripta era præsentis anni. Idatius Lemicæ Hispaniarum vrbis Episcopus, Chronica sua, à primo Theodosij consulatu incohata, hucusque perduxit. Gennadius Episcopus librum suum De illustribus viris hucusque perduxit.

491. XVIII. XI. VII. XII. XLV. VI. III. XIX. XXX.

Anastasius Romanæ Ecclesiæ XLIX. præsidet. Huic Acatium damnatum reuocare volenti, multi Romanorum non communicabant. Britanni non valentes ampliùs ferre virtutem Anglorum, vt victi concessère in ius & nomen eorum. Et primus de gente Anglorum Elli, & secundus Celin, alter alteri mortuo succedendo, regnauerunt apud eos, per annos LXX. Sanctus Patricius, secundus Hiberniæ Archiepiscopus, anno ætatis suæ CXXII. in Christo quieuit. Odoacer à Theoderico in fide susceptus, ab eo

Vide Baronium in Notis ad Martyrol. Rom. 17. Martij.

R. P. F. L. Angl. B. VV. VV. O. H. ANNO. CHR.

eo perimitur, & Theodericus Italia potitur, & deposito priuato habitu, induitur regali schemate, & regnauit in Italia annis XXXVI.

XIX. XII. VIII. XIII. I. VII. IV. I. XXXI. 492.

Zenone Imp. mortuo, Anastasius imperat annis XXV. vel, vt quidam volunt, XXVII. Gunthamũdus Rex in Africa Ecclesias Catholicorum à patruo suo Hunerico, vel auo Gengerico clausas, aperuit, & omnes Dei sacerdotes, petente Eugenio Carthaginensi Episcopo, ab exsilio reuccauit. *Acatius, Episcopus ConstContinopolitanus, diuino nutu percutitur.*

I. XIII. IX. XIV. II. VIII. V. II. XXXII. 493.

Symmachus Romanæ Ecclesiæ L. præsidet, ordinato contra eum per *ita mss.*
contentionem Laurentio: quæ res graue dissidium Ecclesiæ diu, vsque ad ipsa protraxit homicidia; donec tandem hanc altercationẽ compressit Theoderici Regis, quamuis Ariani, potentia: hoc æquitatis iudicio obtinente, vt Symmachus Papa esset, quia prior ordinatus fuerat, eique pars maxima faueret. Pro cuius dissensionis culpa, animam Paschasij diaconi, qui pertinaciùs Laurentio fauerat, aliàs magnæ sanctitatis viri, Germanus Capuanus Episcopus inuenit in thermis in igne purgatorio positam. Hic Symmachus constituit omni dominico die, vel natalitio martyrum, Gloria in excelsis Deo, ad Missas cantari: quem hymnũ Telesphorus VII. à Petro Papa, nocte tantùm Natalis Domini ad Missas, à se in ipsa nocte institutas, cantari instituit, & in eo, ad Angelorum verba, quæ sequuntur, adiecit.

II. XIV. X. XV. III. IX. VI. III. XXXIII. 494.

Gunthamundo Vuandalorum Rege defuncto, Trasamundus frater eius, regnauit post eum, annis XXVI.

III. XV. XI. XVI. IV. I. VII. IV. XXXIV. 495.

Ludovvicus Rex Turingiam sibi subiugat. Theodericus Rex omnes vicinarum gentium Reges & Principes, aut amicitia, aut affinitate sibi conciliat, & pacificè agens, in locis celeberrimis regalia habitacula ædificat. *Mss. Turingiam; nunc sine, nunc cum adspiratione scribunt.*

*Florebant hoc tempore Launomarus Carnotensis, fundator cœnobij Curbionensis, & Maximus Aurelianensis, fundator cœnobij Miriacensis; cuius discipuli fuerunt * Carilefus, & Auitus Abbates.* **Mss duplici ff.*

IV. XVI. XII. XVII. V. II. VIII. V. XXXV. 496.

Ludovvicus regnum Francorum vsque Sequanam dilatat. Aliqui Romanorum, subornatis falsis testibus, incriminantes Symmachum Papam, latenter Laurentium in papatum subintroduxerunt: pro quo schismate dirimendo Rex Theodericus Episcopum Petrum, contra canones, visitatorem sedis Apostolicæ instituit. *Baronius legatur.*

E 2 Ludo-

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV. VV. O. H.

497. V. XVII. XIII. XVIII. VI. III. IX. VI. XXXVI.

Ludovvicus regnum Francorum vsque Ligerim amplificat. Symmachus Papa in concilio CXV. Episcoporum se purgat de obiecto crimine, & damnatis Petro & Laurentio, ipse quidem sedi suæ restituitur: contentio autem vsque ad cædes & homicidia intra & extra Ecclesiam diu protrahitur.

Idem. legatur.

498. VI. XVIII. XIV. XIX. VII. IV. X. VII. XXXVII.

Ludovvicus Rex castrum * Meledunum capit. Trasamundus Rex Vuandalorum, in Africa clausis Catholicorum Ecclesijs, CCXX. Episcopos exsiliauit: contra quos Symmachus Papa manum suæ liberalitatis beneuolè exeruit. Hac persecutione Fulgentius Episcopus sanctitate, sapientia & scientia, stilo & facundia præclarus, multa ab Arianis pro vera fide perpessus, diutino in Sardiniam exsilio maceratur. * Rothildis, Regina orthodoxa, Ludovvicum Regem à gentilitatis errore auocare conabatur, sed frustra conari videbatur.

** Ita mss. I. Cæsari Melodunum.*

** Ita mss. vulgò Clotildis.*

499. VII. XIX. XV. XX. VIII. V. XI. VIII. XXXVIII.

Ludovvicus Rex Alemannis bello congreditur, ibique laborante exercitu, voto suscipiendi Christianismi se obligare cogitur, sicque peremto Alemannorum Rege, & Alemanniâ sub tributum redactâ, baptizatus à Remigio Episcopo Remorum, exemplo & edicto suo perduxit ad fidem Christi populum Francorum.

D. VIII. XX. XVI. XXI. IX. VI. XII. IX. XXXIX.

500. Collatis à Ludovvico Rege multis prædijs Ecclesiæ Remensi, Remigius multâ eorum parte datâ Ecclesiæ Laudunensi, sedem Episcopatus ibi esse constituit: primumque illic Episcopum Genebaudum constituit, & eumdem in fornicatione cum sua quondam vxore prolapsum, sed septennali pœnitentia purgatum, & de reclusione diuino iussu eductum, sedi suæ restituit.

501. IX. XXI. XVII. XXII. X. VII. XIII. X. XL.

Ludovvicus Rex, Gundebaudo Regi Burgundionum congressus, eo victo Burgundiam redegit sub tributo.

502. X. XXII. XVIII. XXIII. XI. VIII. XIV. XI. XLI.

Symmachus patricius Rempublicam illustrat, & cum eo gener eius Boëtius vir consularis, conspicuus in vtraque lingua, eruditione omnium liberalium artium, quas pænè omnes * à Græco in Latinum transtulit & exposuit.

** Ita mss.*

503. XI. XXIII. XIX. XXIV. XII. IX. XV. XII. XLII.

In Africa Olympius quidam, dum in balneis sanctam Trinitatem blasphemaret, ignito iaculo cælitus veniente, visibiliter combustus est.

Vide Damasc. De imag. Orat. 3.

Con-

R. P. F. L. A. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

XII. XXIV. XX. XXV. XIII. X. XVI. XIII. XLIII. 504.

Constantinopoli dum Deuterus Arianus Episcopus Barbam quemdam baptizaret, & malè distinguens Trinitatem diceret, Baptizo te, Barba, in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, aqua disparuit.

XIII. XXV. XXI. XXVI. XIV. XI. XVII. XIV. XLIV. 505.

Alamundarus Rex Saracenorum ab Orthodoxis baptizatus, cùm eum vellent Eutychiani seducere, refellit eos hac fabulosa inductione, dicens quòd litteras acceperit, Michaëlem Archangelum mortuum esse, illisque respondetibus hoc impossibile esse, quòd angeli sint impassibilis naturæ: Quomodò ergo, inquit, secundùm vos nudus crucifixus est Christus, nisi duarum naturarum esset, quandoquidem nec angelus mortuus est?

XIV. XXVI. XXII. XXVII. XV. XII. XVIII. XV. XLV. 506.

Ludovvicus & Alaricus Reges confœderantur. Quintilianus Rutenensis Episcopus, & Maxentius Pictauensis Abbas clarent in Gallia.

XV. XXVII. XXIII. XXVIII. XVI. XIII. XIX. XVI. XLVI. 507.

Vitalianus, instinctu populi, insurgit in Imperatorem Anastasium, propter Eutychianam hæresin Deo & hominibus exosum.

XVI. XXVIII. XXIV. XXIX. XVII. XIV. XX. XVII. XLVII. 508.

Hormisda Romanæ Ecclesiæ LI. præsidet. Hic clerum composuit, & psalmis erudiuit. *Hic respectu Apostolicæ humanitatis, Græcos conuictu hæreticorum maculatos, absoluit per suos nuntios. Alaricus Rex Ludovvico Regi insidias molitus, fœdus violat.

Ita mss.

XVII. XXIX. XXV. XXX. XVIII. XV. XXI. XVIII. XLVIII. 509.

Ludovvicus Rex, signis diuini auxilij animatur ad bellandum: Turonis quippe transiens, equum suum sancto Martino misit, quem centum solidis redemtum, recipere non potuit, missis alijs centum solidis recepit, credens illum bonum esse in auxilio, qui tam carus erat in negotio. Insuper accepto victoriæ præsagio à clericis, cantantibus, Præcinxisti me virtute ad bellum, Alarico Vuisigothorum Regi congreditur, eoque peremto, quidquid Galliarum Vuisigothi possidebant, ad partes Francorum transtulit: & inuadens Tolosam, sedem regni Gothorū, vsque ad Pyrenæos montes regnum Francorum dilatauit. Fertur etiam, muros * Ecolismæ vrbis ante faciem eius corruisse. Amalricus filius Alarici fugiens in Hispaniā, regnat ibi annis XVI. Sigismundus, mortuo patre suo Gundebaudo, regnat in Burgundia. *Gibrianus Scotus cum fratribus & sororibus in Gallia peregrinatus, vrbem Remensem & vita & morte sua illustrat.* Faustus S. Benedicti discipulus, & ab eo

Ita mss. codices. Gregorio Turonensi est Engolisma.

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV. VV. O. H.

cum Mauro in Gallias hoc anno transmissus, scribit in vita illius Mauri, S. Benedictum claruisse temporibus Iustini senioris, & Hilderici Vuandalorum Regis: addens, quòd eo tempore Rex Theodericus Symmachum patricium, & Ioannem Papam occiderit. Scribit quoque eumdem Benedictum, hoc eodem anno, quo Maurus ad Gallias tendebat, obijsse, XII. Kal. April. hora diei quasi tertia, quod eo anno in Sabbato Paschæ proueniens, primum Pascha fuisse demonstrat. Se quoque dicit in Gallias venisse tempore Regis Theodeberti, nepotis Ludovvici Regis. Quia ergò ille scripsit, quæ viderat, quomodò hoc consequentiæ historiarum conueniat, qui valet, aduertat, & qui aduertit, exponat.

D.X. XVIII. XXX. XXVI. XXXI. XIX. XVI. I. XIX. XLIX.

510. Ludovvicus Rex ab Anastasio Imperatore, codicillos de Consulatu, & coronam auream cum gemmis, & tunicam * blatteam accepit, & ex ea die Consul & Augustus est appellatus. Ipse verò Rex misit Romæ S. Petro coronam auream cum gemmis, quæ Regnum appellari solet.

* Ita ms. Vide Iosephum Stephanũ, in Itinerar io Italiæ Fr. Schotti.

XIX. XXXI. XXVII. XXXII. XX. XVII. II. XX. L.

511. Theodericus Rex Italiæ, Ibba comite suo contra Francos misso, triginta millia occidit eorum, in vindictam necis Alarici generi sui.

512. XX. XXXII. XXVIII. XXXIII. XXI. XVIII. III. XXI. LI.

Prima synodus à Francis, iussu Ludouuici Regis, Aurelianis habita est, in qua decernuntur multa Ecclesiæ vtilia. Genouefa virgo Parisiensis, octogenaria transit ad Dominum.

513. XXI. XXXIII. XXIX. XXXIV. XXII. XIX. IV. XXII. LII.

Sanctus Arnulfus, sancti Remigij in baptismo filius, in Gallia claret, qui post multos in prædicando Christum agones, martyrizatus in silua Parisiorum Aquilina, à Scariberga, coniuge quondam sua, tumulatus est.

514. XXII. XXXIV. XXX. XXXV. XXIII. XX. V. XXIII. LIII.

Ludovvicus Rex, regno Francorum per omnes Gallias dilatato, & legitimè & pacificè confirmato, moritur. Lotharius filius eius, compartito regno cum fratribus suis Theoderico, Chlodomere, & Hildeberto, regnauit annis * LI. Sororem eius Rothildem Amalricus Rex Vuisigothorum vxorem duxit.

* Ita Gemb. codex. Alij L.

515. XXIII. XXXV. I. XXXVI. XXIV. XXI. VI. XXIIII. LIV.

Rex Burgundiæ Sigismundus, qui monasterium Agaunensium construxerat, filium suum Sigericum perimit, malo nouercæ illius consilio vsus. Qui competenti pœnitentiæ se addicens, & martyribus Agaunensibus se totum

R. P. F. L. A. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

totum deuouens, quòd dignus fuerit venia, testatur crebra post mortem eius per eum multis concessa sanitatum gratia, & per eum febricitantibus indulta curatio. *Hoc tempore in Alexandria multi vtriusque sexus arrepti à dæmone, repentè quasi canes latrabant.*

XXIV. XXXVI. II. XXXVI. XXV. XXII. VII. XXV. LV. 516.

Theodericus Rex, frater Lotharij, Clochilaicum, Regem Danorum, Gallias vastantem, perimit.

XXV. XXXVII. III. XXXVIII. XXVI. XXIII. VIII. XXVI. LVI. 517.

Anastasius Imperator, fulmine à Deo percussus, perijt, post quem Iustinus senior annis XI. regnauit. Boëtius, adnitente sibi Symmacho, cùm auctoritatem Romani Senatus contra Theodericum Regem Italiæ tueri nititur, ab ipso exsiliatur, ibique librum De consolatione Philosophiæ edidit.

I. XXXVIII. IV. XXXIX. XXVII. XXIV. IX. XXVII. LVII. 518.

Theodericus Rex, frater Lotharij, ab Ermenfrido Rege Thuringorum, ad perimendum fratrem illius Badericum, pactione medietatis regni illius inuitatus, Badericum Regem perimit. Virgo Dei Brigida Scotta obijt in Scottia.

II. XXXIX. V. XL. XXVIII. XXV. X. XXVIII. LVIII. 519.

Ioannes Romanæ Ecclesiæ * LII. præsidet. Vuachone Langobardorum Rege defuncto, filius eius Gualtarith regnauit annis VII.

** Ita mss: Cōsule Barō. Onuph. aliosq.*

III. XL. VI. I. XXIX. XXVI. XI. XXIX. LIX. 520.

Chlodomeris frater Lotharij Regis, & fratres eius, instinctu Rothildis matris suæ, insurgunt in Sigismundum, & Godemarum, filios Gundebaudi Regis, ad vindicandam necem auiæ suæ, & aui sui Chilperici. In congressu Sigismundus capitur, Godemarus fuga elabitur. Bello orto inter Romanos & Persas, Cuades Rex Persarum Zeliobem Regem Hunorum, venientem cum XX. millibus auxiliari sibi contra Romanos, immisso exercitu occidit, & totum pænè eius exercitum deleuit, suspectum eum habens, quòd vtrimque munera acceperit, & à se contra Romanos, & à Romanis contra se. Abhinc regnum Hunorum annotare cessabo, quia omnes gentis illius Reges Kaganos vocatos lego, & nullam distinguendi proprietatem inuenio. Trasamundus Rex Vuandalorum Hildericum filium suum ex Eudoxia filia Valentiniani Imperatoris à Genserico captiuata, astringit sacramento, ne Catholicis in regno suo consuleret, qui patre mortuo, antequam regnum susciperet, omnes Catholicos ab exsilijs iussit reuocari, & Episcopis Ecclesias reformari. Sicque suscepto regno, regnauit annis VIII. euolutis septuaginta quattuor

ANNO CHR.	R.	P.	F.	L.	A.	VV.	VV.	O.

quattuor annis, ex quo Gensericus auus eius statum Ecclesiæ in Africa profanauit.

521.	IV.	XLI.	VII.	II.	XXX.	I.	XII.	XXX.

Cuade Persarum Rege mortuo, Kabades post eum regnauit annis XVI. Chlodomeris Rex, Sigismundo Rege cum vxore & filijs peremto, iterum congressus fratri eius Godemaro, perimitur ab eo. Boëtius longo exsilio fatigatus, à Theoderico Gothorum Rege perimitur.

522.	V.	I.	VIII.	III.	XXXI.	II.	XIII.	XXXI.

Vt scribit Faustus, hac ætate, scilicet tempore Iustini senioris, & Hilderici Vuandalorum Regis, reuera floruit sanctus Benedictus. Sed nec de vita, nec de morte eius ratio procedit secundùm cyclum Dionysij.

Zathus Rex Lazorum Constantinopoli baptizatur, & à Iustino Imperatore susceptus muneratur. Symmachus Exconsul à Theoderico Rege Italiæ perimitur.

523.	VI.	II.	IX.	IV.	XXXII.	III.	XIV.	XXXII.

Iustinus Arianos vbique exterminari edicit. Ad quod edictum dedicendum Ioannes Papa, à Rege Italiæ Theoderico Ariano, & Arianorum defensore, Constantinopolim missus, ante portam vrbis cæcum illuminauit, & compos petitionis ad Theodericum regressus, Rauennæ ab eo in carcere excruciatus, fame defecit. Post dies XC. Theodericus subitò defunctus, à quodam sancto eremita visus est, nudus & discalceatus à Ioanne Papa, & Symmacho patricio in olla Vulcani esse detrusus. Athalaricus Theoderici ex filia nepos, in regno Italiæ & Ostrogothorum succedens regnat annis VIII. Felix Romanæ Ecclesiæ LIII. præsidet. Hic Gregorij Papæ atauus fuit.

524.	VII.	III.	X.	V.	XXXIII.	IV.	XV.	I.

Theodericus Rex reposcens ab Ermenfrido Rege pactum, cum fratre Lothario insurgit in eum, eoque post nimiam suorum stragem de bello fugato, & non multò pòst mortuo, totam Thuringiam sibi subdunt. Captiuatam inter alios Radegundem, filiam Bertharij Regis, olim à fratre Ermenfrido peremti, Lotharius Rex suo sociauit matrimonio.

525.	VIII.	IV.	XI.	VI.	XXXIV.	V.	XVI.	II.

Amalricus Rex Vuisigothorum, cùm vxorem suam Rothildem indignè tractaret, eò quòd Arianæ sectæ secum inseruire nollet, perimitur in Hispania à fratre Rothildis Childeberto. Theuda regnauit post eum annis XVII.

Lotha-

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	VV.	O.	ANNO CHR.
IX.	V.	XII.	VII.	XXXV.	VI.	I.	III.	526.

Lotharius Rex cum fratre Childeberto Augustidunum Burgundiæ ciuitatem obsidens, cunctam, fugato Godemaro, Burgundiam occupat. Gualtarith Langobardorum Rege mortuo, Audohin IX. regnat annis XVII. Acephalorum hæresis abdicatur, qui dicunt Paullum Apostolum in epistolis præcepisse feminas diaconas debere fieri, quia eas commemorat post diaconos: & dicuntur Acephali sine capite, quia auctor huius erroris nescitur. Kabades Rex Persarum, dolens filium suum Phatsuarsan in Manichæorum sectam inductum, omnibus Manichæis, quasi à se munerandis, coactis in vnum, immisso exercitu, occidit multa millia eorum. Inter Thurismodum Regem Gepidarum, & Audohin Regem Langobardorum conserto prælio, Albuin filius Audohin Thurisindum filium Thurismodi exstinguit, & victoria Langobardis cedit. Thurismodus præponens fidem iræ & dolori, eidem Albuino, postea ad se sub fide venienti, dedit arma filij sui Thurisindi ab eo peremti.

X.	VI.	XIII.	I.	XXXVI.	VII.	II.	IV.	527.

Bonefacius Romanæ Ecclesiæ LIV. præsidet. Iustinus, Iustiniano suo ex sorore nepote in regno substituto, moritur. Is Iustinianus imperat annis XXXIX. Hic Persas ab irruptionibus in partes Romanorum per Bilisarium repressit. Audohin Langobardos in Pannoniam duxit; in qua habitauerunt annis XLII.

I.	VII.	XIV.	II.	XXXVII.	VIII.	III.	V.	528.

Cassiodorus Senator, pòst monachus, Arator Poëta, Priscianus Grammaticus, Victor Capuanus Episcopus, qui cyclos Paschales scribens, Victorij errores redarguit; Gregorius Lingonensis, Nicetius Treuerensis, Domitianus Tungrensis florent. Gilemer, perimens Hildericum Regem, annis IV. regnat post eum super Vuandalos, qui tantæ crudelitatis fuit, vt nec parentibus parceret.

II.	VIII.	XV.	III.	XXXVIII.	I.	IV.	VI.	529.

Corpus Antonij monachi diuina reuelatione inuentum, & Alexandriam est delatum. *Eleutherius Tornacensis Episcopus moritur. Medardus Nouiomensis Episcopus simul Tornacensem Ecclesiam regendam suscipit.* *Vide Bar. in Notis ad Mart. 17. Ian.*

III.	IX.	XVI.	IV.	XXXIX.	II.	V.	VII.	IↃ.XXX.

Ioannes Romanæ Ecclesiæ LV. præsidet. Franci extorquent de manu Athalarici quidquid Galliarum auus eius Theodericus Rex Italiæ tenuerat. In Africa quidam orthodoxi Episcopi, linguis sibi excisis radicitus à Vuandalis, postmodùm clarè loquendo multis miraculo fuère; quod miracu- 530.

F lum

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV. VV. O.

lum vnus eorum auxit, qui in elationem versus, statim priuatus diuino dono, obmutuit.

531. IIII. X. XVII. V. XL. III. VI. VIII.

Athalarico Rege Italiæ & Ostrogothorum mortuo, Amalsuinda mater eius Theodatum, Theoderici patris sui ex sorore nepotem, adsciscit secum in regnum. Chlodoaldus filius Chlodomeris Regis, fratribus suis impiè à patruo suo Lothario olim exstinctis, mundanam nobilitatem transferens ad nobilitatem diuinæ seruitutis, in clericali gradu præeminet exemplo sanctitatis. Vedastus primus Atrebatensium Episcopus ordinatur à sancto Remigio.

532. V. XI. XVIII. VI. XLI. IIII. VII. I.

Hoc anno expletus est à Christi natiuitate magnus annus annorum quingentorum triginta duorum. *Ab hoc etiam anno Dionysius Abbas orditur cyclum suum cyclorum quinque decennouennalium. Et quia secundus annus operis huius concordare debet in ratione compoti, primo anno natiuitatis Christi: debet XXXV. annus cycli Dionysij concordare in ratione compoti, tricesimo tertio anno nati Christi, scilicet vt XIV. luna* * *Aprilis occurrat Nono Kal. Aprilis in quinta feria; passio Christi VIII. Kal. Aprilis in sexta feria, Resurrectio VI. Kal. Aprilis in dominica die. Sed quia non ita occurrit, sed luna XIV.* * *Aprilis occurrit eo anno XII. Kal. Aprilis in prima feria: Dominica verò dies Paschæ in V. Kal. Aprilis, ideo improbatur, quia repugnat Euangelicæ veritati.* Iustinianus Imperator libros legum Romanarũ abbreuiauit in vno volumine, quod * Iustinianũ vocatur.

* *Ita codices mss. omnes, quos vidi*

* *Ita mss.*

* *Ita mss. Magis placeat* Iustinianeum.

533. VI. XII. XIX. VII. XLII. V. VIII. II.

Agapitus Romanæ Ecclesiæ LVI. præsidet. Bilisarius patritius à Iustiniano Imp. ex iussu Dei, ad Africam liberandam de manu Vuandalorum, missus, noctu cum plaustris rusticorum, vrbem introeuntibus, ingressus, Carthaginem cepit, pecunias infinitas recepit. Gilimerem, ex fuga ad deditionem reductum, Imperatori Constantinopolim duxit. Sic Vuandalorum regnum destructum est, sic tandem illa Vuandalica rabies cum ipso nomine funditùs exstincta est.

Theodatus Rex Reginam Amalsuindam, Imperatoriæ tutelæ commissam, exsiliat, eáque non multò pòst in balneo strãgulatã, immissu Theodati, solus super Ostrogothos anno vno regnat. Qui sciens per hoc se iram Imperatoris incurrisse, Agapitum Papam Constantinopolim misit, pro impetranda huius facti impunitate. Agapitus inueniens ibi Antemium Constantinopolitanum Episcopum Eutychianæ esse hæresis, eo excommunicato & exsiliato, Menam fecit ei substitui. Agapitus ibi moritur, Romamque refertur. Iustinianus Imperator Constantinopoli Ecclesiam S. Sophiæ incomparabili opere exædificat.

Silue-

R. P. F. L. A. VV. O. ANNO CHR.

VII. XIIII. XX. VIII. XLIIII. IX. I. 534.

Siluerius LVII. Romanæ Ecclesiæ à Theodato substituitur. Bilisarius contra Theodatum mittitur. Theodatus à Gothis exstinguitur. Vuitigis in regno substituitur. Bilisarius Neapolim exterminat: Romam, fugientibus Gothis, intrat. Vuitigis Romam obsidet: fames Italiam vrget. Vuitigis capitur, & Imperatori dirigitur. Siluerius, quia Antemium reuocare noluit, exsiliatus defecit. Eldepadus ab Ostrogothis Rex ordinatus regnat anno vno. *Theodericus Abbas, discipulus sancti Remigij, & Theodulphus Abbas, discipulus ipsius Theoderici, in Francia clarent.*

VIII. XIV. XXI. IX. XLIV. X. I. 535.

Vigilius Romanæ Ecclesiæ LVIII. præsidet. Eldepado peremto, Erarius regnat anno vno. • *In Gallijs clarent fratres vterini, vno & eodem die nati, & Pontifices consecrati, Medardus ad titulum Nouiomensem, Gildardus ad Rothomagensem, & vno die absoluti à sæculo, & assumti à Christo: in Italia Episcopi Sabinus Canusinus, Cassius Narniensis, Fulgentius Vericolensis, Serbonius Populonij.*

• Ista in Gemblacensi codice recentiori manu sunt adscripta, & quidem in loco cultris raso.

Consule Baron in Additamentis ad Annal.

IX. XV. XXII. X. XLV. XI. I. 536.

Erario peremto, Totila, qui & Baduilla, super Ostrogothos regnat annis XI. qui mox Italiam inuadit, & à sancto Benedicto Casinensi futura audit sibi. Multa, inquit, mala facis, multa fecisti, iam aliquando ab iniquitate compescere. Et quidem mare transiturus es, Romam ingressurus, nouem annis regnabis, decimo morieris. Hoc anno quidam dicunt eumdem Sanctum Benedictum obijsse.

X. XVI. XXIII. XI. XLVI. XII. I. 337.

Apud Persas regnat Chosdroë annis XXXVII. * Theodericus Rex, frater Lotharij obijt: Theodebertus filius eius ei succedit. *Hoc tempore in vna vrbium Ciliciæ quidam Theophilus vicedominus, tam prudenter & vtiliter secundas partes Ecclesiasticæ dispensationis sub Episcopo agebat, vt, mortuo Episcopo, omnium ore dignus episcopatu esse acclamaretur. Qui contentus vicedominatu, alium ordinari maluit Episcopum: à quo à vicedominatu iniustè amotus, ad tantam impatientiam est delapsus, vt conducto sibi Hebræo quodam Mago, per eum opem ad dignitatem suam recuperandam expeteret à principe dæmoniorum; & ab eo iussus abnegare Christum filium Dei, eiusque matrem Mariam, cum omni Christianismi proposito, & ipsam abnegationem scripto firmare, & scriptam signare, & signatam sibi tradere, eius se seruitio addixit. Qui in crastinum recuperato vicedominatus honore, non multò pòst ad se reuersus, per dies XL. omni pœnitendi modo se affligens, primò piam Dei matrem Mariam sibi reconciliauit, eâque sibi apparente, abrenuntians diabolo, Christumque* verum

** Consule Baronium in Annal. ad an. 538 Consule eundem.*

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV. O.

verum Dei filium, verumque Deum & hominem ex Maria virgine natum, & omne Christianismi propositum profitens, per eam etiam Christi filij eius gratiam recepit: & ad indicium indulte sibi veniæ, rursum ei dormienti apparens Christi mater, etiam scriptum abrenuntiationis, quod signatum diabolo dederat, reposuit super pectus eius. Quo Theophilus recepto, incrastinum, dominica scilicet die, coram Episcopo, & omni Ecclesia pandens ordinem rei, omnes ad stuporem & laudem Dei, & genitricis suæ Mariæ, commouit, & in eodem loco, quo sibi pia Christi mater apparuerat, perstans, ibidem post triduum mortuus & sepultus est.

538. XI. I. XXIV. XII. XLVII. XIII. II.

Chosdroë fines Romanorum incursat. In Campania Italiæ Benedictum Iuniorem sanctitate clarum Rex Totila pro Christo persequens, cùm eum cum cella sua comburere voluisset, nec valuisset, in clibanum ardentem eum proiecit: qui inde altero die illæsus, illæsis etiam vestibus, exiuit.

539. XII. II. XXV. XIII. XLVIII. XIV. III.

Iustinianus Imperator duos Bulgarum Reges, Thraciam depopulantes, occidit cum multis millibus Bulgarum.

D.XL. XIII. III. XXVI. XIV. XLIX. XV. IV.

540. Chosdroë Antiochiam capit. Childebertus Rex cum fratruele Theodeberto in fratrem Lotharium insurgit; sed matre eorum Rothilde satis agẽte apud Deum, ne inter fratres fieret ciuile bellum, horrenda tempestate coërciti, cùm super Lotharium ne signum quidem apparuerit horroris huiusmodi, reddunt se fraternæ paci.

541. XIV. IV. XXVII. XV. L. XVI. V.

Chosdroë iam quartò Romanos infestantem, Bilisarius compellit redire inefficacem. In diuersis Galliarũ locis diuersa signa visa sunt. Cometes apparuit die paschæ; cælum ardere visum est; verus sanguis ex nube defluxit in vestimentis hominum. Domus cuiusdam ab intus sanguine respersa apparuit, & secutæ variæ clades, & malæ valetudines, cum pustulis & vesicis, populos afflixerunt.

542. XV. V. XXVIII. XVI. LI. XVII. VI.

Bilisarius in Africam remissus, Guintharit super reliquias Vuandalorum regnantem cum suis exstinguit. Lotharius & Childebertus fratres, obsessâ in Hispanijs Cæsaraugustâ, ciuibus Deum orantibus, & circumlatâ Vincentij martyris tunicâ, acceptâ ab eis pro munere ipsius martyris stolâ, redeũt acquisitâ Hispaniæ parte maximâ. Theuda Vuisigothorum Rege à suis peremto, Theudegisilus regnat post eum annis II. Maurus in Gallia claret, sancti Benedicti discipulus.

Vigilius

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	O.	ANNO CHR.
XVI.	VI.	XXIX.	XVII.	LII.	I.	VII.	543.

Vigilius Papa, quia secundùm suam promissionem noluit Antemium reuocare, Constantinopolim mittitur ignominiosè. Totila Rex Ostrogothorum, captâ Româ, habitauit aliquamdiu cum Romanis, quasi pater cum filijs, mansuefactus, vt creditur, sancti Benedicti monitis. Audohin mortuo, Albuin filius eius regnat super Langobardos in Pannonia annis XXIV.

XVII.	VII.	XXX.	I.	LIII.	II.	VIII.	544.

Heroulanus Perusinus Episcopus à Totila Rege, secto capite, martyrizatur: post mortem verò caput eius corpori vnitum inuenitur. Totila Siciliam inuadit. Narses eunuchus, Romanorum Patricius ordinatur, & contra Totilam destinatur. Theudegisilo inter conuiuandum à suis peremto, Agilan regnat super Vuisigothos annis IX.

XVIII.	VIII.	XXXII.	II.	LIV.	I.	IX.	545.

Narses Albuino Regi Langobardorum confœderatur. Obijt sanctus Remigius, Remorum Episcopus.

Aliter Baronius in Annal. ad an. 541. § 36.

XIX.	IX.	XXXI.	III.	LV.	II.	X.	546.

Vigilius Papa exsiliatur. Narses Patricius, auxiliantibus sibi Langobardis, Totilam Regem perimit. Ostrogothorum gente vsque ad internecionem deletâ, regnum Ostrogothorum penitus corruit. Ita illud regnum Gothorum, quod, vt ait Iordanis, per annos circiter II. mille CCCC. durauerat, defecit in Ostrogothis, sed in Vuisigothis in Hispania regnantibus incolume remansit. Teias regnum Ostrogothorum resuscitare nisus, regnat annis II.

XX.	X.	XXXIII.	IV.	LVI.	III.	I.	547.

Conserto prælio inter Cunimundum Regem Gepidarum, & * Albuin Regem Langobardorum, corruerunt vtrimque LX. millia eorum. Vbi Albuin Cunimundum peremit, & ex testa capitis eius poculum sibi ad bibendum fecit, filiamque eius captiuatam vxorem sibi accepit. Hunis verò terras Gepidarum inuadentibus, destructum est regnum Gepidarum penitus.

* *Alibi* Alboin.

XXI.	XI.	XXXIV.	V.	LVII.	IV.	II.	548.

Theodebertus Rex per se & per ducem suum Bucellinum Italiam, vario belli euentu, inquietare non desistit, & ab Italia & à Sicilia aut spolia aut tributa accipit. Teias Rex à Narsete perimitur, & cum eo Gothorum reliquiæ exstirpantur.

ANNO CHR.	R.	P.	F.	L.	A.	VV.
549.	XXII.	XII.	XXXV.	VI.	LVIII.	V.

Agericus Virdunensis Episcopus sanctitate claret. Narses patricius Sindual Regem Brittonum, ex amico sibi rebellem, bello victum & captum suspendit.

	XXIII.	XIII.	XXXVI.	VII.	LIX.	VI.

D.L. 550. Theodebertus Rex obijt, cui Theodebaldus filius eius succedit. *Arboris, quæ dicitur sambucus, flores, grana & fructus, in flores, grana & fructus vitis transformantur.*

551.	XXIV.	XIV.	XXXVII.	VIII.	LX.	VII.

Quinta synodus vniuersalis Constantinopoli celebratur: in qua epistola, quæ Ibe dicitur, erroris plena reprobatur, & Theodorus personam mediatoris Dei, & hominum in duabus substantijs separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur. Huc vsque * Iordanis Episcopus historiam contexuit.

* Ita ms.

552.	XXV.	XV.	XXXVIII.	IX.	LXI.	VIII.

Pelagius Romanæ Ecclesiæ LIX. præsidet. Hic insimulatus de morte Vigilij Papæ, tenens sancta Euangelia & crucem, iureiurando publicè satisfecit. *Hoc tempore in Oriente puer quidam, Iudæorum filius, cum à coæuis suis Christianorum filijs ad hoc adductus fuisset, vt in Ecclesia sanctæ matris Christi Iesu corpus & sanguinem Christi perciperet, propter hoc à patre suo proiectus in fornacem ardentem, illæsus indè à Christianis extractus est; adserens quòd mulier, quæ in illa Ecclesia puerum tenens depicta erat, pallio suo flammas ignis à se euentilasset.*

553.	XXVI.	XVI.	XXXIX.	X.	LXII.	IX.

Agilan cùm insolenter in suos ageret, Athanagildus, auxiliantibus sibi Romanis, eo peremto regnauit annis XXII.

554.	XXVII.	XVII.	XL.	XI.	LXIII.	I.

Rothildis Regina moritur. Hiems niue & glacie ita exasperatur, vt volucres & feræ indomitæ manu capi possent.

555.	XXVIII.	XVIII.	XLI.	XII.	LXIV.	II.

Bucellinus & Amingus duces Francorum, à Narsete perimuntur. *Quasi species lanceæ in cælo apparuit à Septemtrione in Occidentem.*

556.	XXIX.	XIX.	XLII.	XIII.	LXV.	III.

Theodebaldus Rex obijt. Lotharius Rex Francorum rebellantes contra se Saxones, & auxiliantes eis Thuringos, graui pugna & excidio perdomuit. Obijt sanctus Medardus Nouiomensis Episcopus, & Suessionis sepelitur.

Rade-

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	ANNO CHR.
XXX.	XX.	XLIII.	XIV.	LXVI.	IV.	557.

Radegundis Regina, vxor quondam Lotharij Regis, mutatâ veste, claret sanctitatis nobilitate.

XXXI.	XXI.	XLIV.	XV.	LXVII.	V.	558.

Gregorius, *filius Gordiani Senatoris*, Romæ adolescit; qui sex monasterijs in Sicilia fundatis, & septimo Romæ in domo sua, ex Prætore vrbano factus monachus, sapientia & scientia, doctrina & sanctitate claruit. *Terræ motus terribilis nimis per decem dies factus est.*

XXXII.	XXII.	XLV.	XVI.	LXVIII.	VI.	559.

Childeberto Rege mortuo, monarchia regni Francorum cedit fratri eius Lothario. *Conf. Bar. ad an. 562*

XXXIII.	XXIII.	XLVI.	XVII.	LXIX.	VII.	*ID. LX.* 560.

Hoc tempore Iudæus quidam imaginem Iesu Saluatoris de Ecclesia furtim deponens, eam telo transfixit, & eam clàm ad domum suam deferens, cùm eam flammis vellet exurere, se sanguine imaginis cruentatum videns, præ stupore eam abscondit: quam Christiani requirentes, & per vestigia sanguinis inuenientes, eam sanguinolentam receperunt, Iudæum verò lapidauerunt. Miserabilis in Italia mortalitatis pestilentia.

XXXIV.	XXIV.	XLVII.	XVIII.	LXX.	VIII.	561.

Anglorum in Britannia tertius Edilbertus regnat annis LVI. Hoc tempore in Scotia Brendanus claruit: qui Fortunatas insulas septennali nauigatione requirens, multa miraculo digna vidit. A quo * Macutes, qui & Maclouus, regulariter educatus, & ipsius nauigationis socius, in Britannia sanctitate & miraculis claruit; qui à Britannis exacerbatus, eis maledictis, transiuit ad Gallias, & sub Leontio Santonum Episcopo, multo tempore virtutibus claruit. *Britannos verò propter suam maledictionem varijs cladibus addictos, datâ rursum benedictione, absoluit & sanauit.*

** Ita mss. omnes.*

XXXV.	XXV.	XLVIII.	XIX.	I.	IX.	562.

Constantinopoli quidam Imperatorem exstinguere moliti, exstinguũtur, cuius criminis Bilisarius quoque accusatus ab Imperatore absoluitur. *In Gallia mons super Rhodanum fluuium, multis diebus dans mugitum, tandem ab alio monte sibi vicino discissus, cum Ecclesijs & domibus, hominibus & bestijs in Rhodanum præcipitatus est.*

XXXVI.	XXVI.	XLIX.	XX.	II.	X.	563.

Lotharius Rex Chramnum filium suum, diu contra se rebellantem, & mul-

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV. VV. O. H.

cum Mauro in Gallias hoc anno transmissus, scribit in vita illius Mauri, S. Benedictum claruisse temporibus Iustini senioris, & Hilderici Vuandalorum Regis: addens, quòd eo tempore Rex Theodericus Symmachum patricium, & Ioannem Papam occiderit. Scribit quoque eumdem Benedictum, hoc eodem anno, quo Maurus ad Gallias tendebat, obijsse, XII. Kal. April. hora diei quasi tertia, quod eo anno in Sabbato Paschæ prouenien, primum Pascha fuisse demonstrat. Se quoque dicit in Gallias venisse tempore Regis Theodeberti, nepotis Ludovvici Regis. Quia ergò ille scripsit, quæ viderat, quomodò hoc consequentiæ historiarum conueniat, qui valet, aduertat, & qui aduertit, exponat.

D.X. XVIII. XXX. XXVI. XXXI. XIX. XVI. I. XIX. XLIX.

510. Ludovvicus Rex ab Anastasio Imperatore, codicillos de Consulatu, & coronam auream cum gemmis, & tunicam * blatteam accepit, & ex ea die Consul & Augustus est appellatus. Ipse verò Rex misit Romæ S. Petro coronam auream cum gemmis, quæ Regnum appellari solet.

* *Ita mss. Vide Iosephum Stephanū, in Itinerar io Italiæ Fr. Schotti.*

511. XIX. XXXI. XXVII. XXXII. XX. XVII. II. XX. L.

Theodericus Rex Italiæ, Ibba comite suo contra Francos misso, triginta millia occidit eorum, in vindictam necis Alarici generi sui.

512. XX. XXXII. XXVIII. XXXIII. XXI. XVIII. III. XXI. LI.

Prima synodus à Francis, iussu Ludouuici Regis, Aurelianis habita est, in qua decernuntur multa Ecclesiæ vtilia. Genouefa virgo Parisiensis, octogenaria transit ad Dominum.

513. XXI. XXXIII. XXIX. XXXIV. XXII. XIX. IV. XXII. LII.

Sanctus Arnulfus, sancti Remigij in baptismo filius, in Gallia claret, qui post multos in prædicando Christum agones, martyrizatus in silua Parisiorum Aquilina, à Scariberga, coniuge quondam sua, tumulatus est.

514. XXII. XXXIV. XXX. XXXV. XXIII. XX. V. XXIII. LIII.

Ludovvicus Rex, regno Francorum per omnes Gallias dilatato, & legitimè & pacificè confirmato, moritur. Lotharius filius eius, compartito regno cum fratribus suis Theoderico, Chlodomere, & Hildeberto, regnauit annis * LI. Sororem eius Rothildem Amalricus Rex Vuisigothorum vxorem duxit.

* *Ita Gemb. codex. Alij L.*

515. XXIII. XXXV. I. XXXVI. XXIV. XXI. VI. XXIIII. LIV.

Rex Burgundiæ Sigismundus, qui monasterium Agaunensium construxerat, filium suum Sigericum perimit, malo nouercæ illius consilio vsus. Qui competenti pœnitentiæ se addicens, & martyribus Agaunensibus se

totum

R. P. F. L. A. VV. VV. O. H. ANNO CHR.

totum deuouens, quòd dignus fuerit venia, testatur crebra post mortem eius per eum multis concessa sanitatum gratia, & per eum febricitantibus indulta curatio. *Hoc tempore in Alexandria multi vtriusque sexus arrepti à dæmone, repentè quasi canes latrabant,*

XXIV. XXXVI. II. XXXVI. XXV. XXII. VII. XXV. LV. 516.

Theodericus Rex, frater Lotharij, Clochilaicum, Regem Danorum, Galias vastantem, perimit.

XXV. XXXVII. III. XXXVIII. XXVI. XXIII. VIII. XXVI. LVI. 517.

Anastasius Imperator, fulmine à Deo percussus, perijt, post quem Iustinus senior annis XI. regnauit. Boëtius, adnitente sibi Symmacho, cùm auctoritatem Romani Senatus contra Theodericum Regem Italiæ tueri nititur, ab ipso exsiliatur, ibique librum De consolatione Philosophiæ edidit.

I. XXXVIII. IV. XXXIX. XXVII. XXIV. IX. XXVII. LVII. 518.

Theodericus Rex, frater Lotharij, ab Ermenfrido Rege Thuringorum, ad perimendum fratrem illius Badericum, pactione medietatis regni illius inuitatus, Badericum Regem perimit. Virgo Dei Brigida Scotta obijt in Scottia.

II. XXXIX. V. XL. XXVIII. XXV. X. XXVIII. LVIII. 519.

Ioannes Romanæ Ecclesiæ * LII. præsidet. Vuachone Langobardorum Rege defuncto, filius eius Gualtarith regnauit annis VII.

* Ita mss: Cõsule Barõ. Onuph. aliosq;.

III. XL. VI. I. XXIX. XXVI. XI. XXIX. LIX. 520.

Chlodomeris frater Lotharij Regis, & fratres eius, instinctu Rothildis matris suæ, insurgunt in Sigismundum, & Godemarum, filios Gundebaudi Regis, ad vindicandam necem auiæ suæ, & aui sui Chilperici. In congressu Sigismundus capitur, Godemarus fuga elabitur. Bello orto inter Romanos & Persas, Cuades Rex Persarum Zeliobem Regem Hunorum, venientem cum XX. millibus auxiliari sibi contra Romanos, immisso exercitu occidit, & totum pænè eius exercitum deleuit, suspectum eum habens, quòd vtrimque munera acceperit, & à se contra Romanos, & à Romanis contra se. Abhinc regnum Hunorum annotare cessabo, quia omnes gentis illius Reges Kaganos vocatos lego, & nullam distinguendi proprietatem inuenio. Trasamundus Rex Vuandalorum Hildericum filium suum ex Eudoxia filia Valentiniani Imperatoris à Genserico captiuata, astringit sacramento, ne Catholicis in regno suo consuleret, qui patre mortuo, antequam regnum susciperet, omnes Catholicos ab exsilijs iussit reuocari, & Episcopis Ecclesias reformari. Sicque suscepto regno, regnauit annis VIII. euolutis septuaginta quattuor

ANNO CHR.	R.	P.	F.	L.	A.	VV.	VV.	O.

quattuor annis, ex quo Gensericus annos eius statum Ecclesiæ in Africa profanauit.

521.	IV.	XLI.	VII.	II.	XXX.	I.	XII.	XXX.

Cuade Persarum Rege mortuo, Kabades post eum regnauit annis XVI. Chlodomeris Rex, Sigismundo Rege cum vxore & filijs peremto, iterum congressus fratri eius Godemaro, perimitur ab eo. Boëtius longo exsilio fatigatus, à Theoderico Gothorum Rege perimitur.

522.	V.	I.	VIII.	III.	XXXI.	II.	XIII.	XXXI.

Vt scribit Faustus, hac ætate, scilicet tempore Iustini senioris, & Hilderici Vuandalorum Regis, reuera floruit sanctus Benedictus. Sed nec de vita, nec de morte eius ratio procedit secundùm cyclum Dionysij.

Zathus Rex Lazorum Constantinopoli baptizatur, & à Iustino Imperatore susceptus muneratur. Symmachus Exconsul à Theoderico Rege Italiæ perimitur.

523.	VI.	II.	IX.	IV.	XXXII.	III.	XIV.	XXXII.

Iustinus Arianos vbique exterminari edicit. Ad quod edictum dedicendum Ioannes Papa, à Rege Italiæ Theoderico Ariano, & Arianorum defensore, Constantinopolim missus, ante portam vrbis cæcum illuminauit, & compos petitionis ad Theodericum regressus, Rauennæ ab eo in carcere excruciatus, fame defecit. Post dies XC. Theodericus subitò defunctus, à quodam sancto eremita visus est, nudus & discalceatus à Ioanne Papa, & Symmacho patricio in olla Vulcani esse detrusus. Athalaricus Theoderici ex filia nepos, in regno Italiæ & Ostrogothorum succedens regnat annis VIII. Felix Romanæ Ecclesiæ LIII. præsidet. Hic Gregorij Papæ atauus fuit.

524.	VII.	III.	X.	V.	XXXIII.	IV.	XV.	I.

Theodericus Rex reposcens ab Ermenfrido Rege pactum, cum fratre Lothario insurgit in eum, eoque post nimiam suorum stragem de bello fugato, & non multò pòst mortuo, totam Thuringiam sibi subdunt. Captiuatam inter alios Radegundem, filiam Bertharij Regis, olim à fratre Ermenfrido peremti, Lotharius Rex suo sociauit matrimonio.

525.	VIII.	IV.	XI.	VI.	XXXIV.	V.	XVI.	II.

Amalricus Rex Vuisigothorum, cùm vxorem suam Rothildem indignè tractaret, eò quòd Arianæ sectæ secum inseruire nollet, perimitur in Hispania à fratre Rothildis Childeberto. Theuda regnauit post eum annis XVII.

Lotha-

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	VV.	O.	ANNO CHR.
IX.	V.	XII.	VII.	XXXV.	VI.	I.	III.	526.

Lotharius Rex cum fratre Childeberto Augustidunum Burgundiæ ciuitatem obsidens, cunctam, fugato Godemaro, Burgundiam occupat. Gualtarith Langobardorum Rege mortuo, Audohin IX. regnat annis XVII. Acephalorum hæresis abdicatur, qui dicunt Paullum Apostolum in epistolis præcepisse feminas diaconas debere fieri, quia eas commemorat post diaconos: & dicuntur Acephali sine capite, quia auctor huius erroris nescitur. Kabades Rex Persarum, dolens filium suum Phatsuarsan in Manichæorum sectam inductum, omnibus Manichæis, quasi à se munerandis, coactis in vnum, immisso exercitu, occidit multa millia eorum. Inter Thurismodum Regem Gepidarum, & Audohin Regem Langobardorum conserto prælio, Albuin filius Audohin Thurisindum filium Thurismodi exstinguit, & victoria Langobardis cedit. Thurismodus præponens fidem iræ & dolori, eidem Albuino, postea ad se sub fide venienti, dedit arma filij sui Thurisindi ab eo peremti.

X.	VI.	XIII.	I.	XXXVI.	VII.	II.	IV.	527.

Bonefacius Romanæ Ecclesiæ LIV. præsidet. Iustinus, Iustiniano suo ex sorore nepote in regno substituto, moritur. Is Iustinianus imperat annis XXXIX. Hic Persas ab irruptionibus in partes Romanorum per Bilisarium represit. Audohin Langobardos in Pannoniam duxit; in qua habitauerunt annis XLII.

I.	VII.	XIV.	II.	XXXVII.	VIII.	III.	V.	528.

Cassiodorus Senator, pòst monachus, Arator Poëta, Priscianus Grammaticus, Victor Capuanus Episcopus, qui cyclos Paschales scribens, Victorij errores redarguit; Gregorius Lingonensis, Nicetius Treuerensis, Domitianus Tungrensis florent. Gilemer, perimens Hildericum Regem, annis IV. regnat post eum super Vuandalos, qui tantæ crudelitatis fuit, vt nec parentibus parceret.

II.	VIII.	XV.	III.	XXXVIII.	I.	IV.	VI.	529. *Vide Bar. in Notis ad Mart. 17. Ian.*

Corpus Antonij monachi diuina reuelatione inuentum, & Alexandriam est delatum. *Eleutherius Tornacensis Episcopus moritur. Medardus Nouiomensis Episcopus simul Tornacensem Ecclesiam regendam suscipit.*

III.	IX.	XVI.	IV.	XXXIX.	II.	V.	VII.	D.XXX.

Ioannes Romanæ Ecclesiæ LV. præsidet. Franci extorquent de manu Athalarici quidquid Galliarum auus eius Theodericus Rex Italiæ tenuerat. In Africa quidam orthodoxi Episcopi, linguis sibi excisis radicitus à Vuandalis, postmodùm clarè loquendo multis miraculo fuêre; quod miracu- 530.

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV. VV. O.

lum vnus eorum auxit, qui in elationem versus, statim priuatus diuino dono, obmutuit.

531. IIII. X. XVII. V. XL. III. VI. VIII.

Athalarico Rege Italiæ & Ostrogothorum mortuo, Amalsuinda mater eius Theodatum, Theoderici patris sui ex sorore nepotem, adsciscit secum in regnum. Chlodoaldus filius Chlodomeris Regis, fratribus suis impiè à patruo suo Lothario olim exstinctis, mundanam nobilitatem transferens ad nobilitatem diuinæ seruitutis, in clericali gradu præeminet exemplo sanctitatis. Vedastus primus Atrebatensium Episcopus ordinatur à sancto Remigio.

532. V. XI. XVIII. VI. XLI. IIII. VII. I.

Hoc anno expletus est à Christi natiuitate magnus annus annorum quingentorum triginta duorum. *Ab hoc etiam anno Dionysius Abbas orditur cyclum suum cyclorum quinque decennouennalium. Et quia secundus annus operis huius concordare debet in ratione compoti, primo anno natiuitatis Christi: debet XXXV. annus cycli Dionysij concordare in ratione compoti, tricesimo tertio anno nati Christi, scilicet vt XIV. luna* * *Aprilis occurrat Nono Kal. Aprilis in quinta feria; passio Christi VIII. Kal. Aprilis in sexta feria, Resurrectio VI. Kal. Aprilis in dominica die. Sed quia non ita occurrit, sed luna XIV.* * *Aprilis occurrit eo anno XII. Kal. Aprilis in prima feria: Dominica verò dies Paschæ in V. Kal. Aprilis, ideo improbatur, quia repugnat Euangelicæ veritati.* Iustinianus Imperator libros legum Romanarũ abbreuiauit in vno volumine, quod * Iustinianũ vocatur.

* *Ita codices mss. omnes, quos vidi.*
* *Ita mss.*

* *Ita mss. Magis placeat* Iustinianeum.

533. VI. XII. XIX. VII. XLII. V. VIII. II.

Agapitus Romanæ Ecclesiæ LVI. præsidet. Bilisarius patritius à Iustiniano Imp. ex iussu Dei, ad Africam liberandam de manu Vuandalorum, missus, noctu cum plaustris rusticorum, vrbem introeuntibus, ingressus, Carthaginem cepit, pecunias infinitas recepit. Gilimerem, ex fuga ad deditionem reductum, Imperatori Constantinopolim duxit. Sic Vuandalorum regnum destructum est, sic tandem illa Vuandalica rabies cum ipso nomine funditùs exstincta est.

Theodatus Rex Reginam Amalsuindam, Imperatoriæ tutelæ commissam, exsiliat, eàque non multò pòst in balneo strãgulatã, immissu Theodati, solus super Ostrogothos anno vno regnat. Qui sciens per hoc se iram Imperatoris incurrisse, Agapitum Papam Constantinopolim misit, pro impetranda huius facti impunitate. Agapitus inueniens ibi Antemium Constantinopolitanum Episcopum Eutychianæ esse hæresis, eo excommunicato & exsiliato, Menam fecit ei substitui. Agapitus ibi moritur, Romamque refertur. Iustinianus Imperator Constantinopoli Ecclesiam S. Sophiæ incomparabili opere exædificat.

Siluc-

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	O.	ANNO CHR.
VII.	XIII.	XX.	VIII.	XLIII.	IX.	I.	534.

Siluerius LVII. Romanæ Ecclesiæ à Theodato substituitur. Bilisarius contra Theodatum mittitur. Theodatus à Gothis exstinguitur. Vuitigis in regno substituitur. Bilisarius Neapolim exterminat: Romam, fugientibus Gothis, intrat. Vuitigis Romam obsidet: fames Italiam vrget. Vuitigis capitur, & Imperatori dirigitur. Siluerius, quia Antemium reuocare noluit, exsiliatus defecit. Eldepadus ab Ostrogothis Rex ordinatus regnat anno vno. *Theodericus Abbas, discipulus sancti Remigij, & Theodulphus Abbas, discipulus ipsius Theoderici, in Francia clarent.*

VIII.	XIV.	XXI.	IX.	XLIV.	X.	I.	535.

Vigilius Romanæ Ecclesiæ LVIII. præsidet. Eldepado peremto, Erarius regnat anno vno. * *In Gallijs clarent fratres vterini, vno & eodem die nati, & Pontifices consecrati, Medardus ad titulum Nouiomensem, Gildardus ad Rothomagensem, & vno die absoluti à sæculo, & assumti à Christo: in Italia Episcopi Sabinus Canusinus, Cassius Narniensis, Fulgentius Vericolensis, Serbonius Populonij.*

* *Ista in Gemblacensi codice recentiman u sunt adscripta, & quidē in loco cultris raso.*

Consule Baron in Additamentis ad Annal.

IX.	XV.	XXII.	X.	XLV.	XI.	I.	536.

Erario peremto, Totila, qui & Baduilla, super Ostrogothos regnat annis XI. qui mox Italiam inuadit, & à sancto Benedicto Casinensi futura audit sibi. Multa, inquit, mala facis, multa fecisti, iam aliquando ab iniquitate compescere. Et quidem mare transiturus es, Romam ingressurus, nouem annis regnabis, decimo morieris. Hoc anno quidam dicunt eundem Sanctum Benedictum obijsse.

X.	XVI.	XXIII.	XI.	XLVI.	XII.	I.	537.

Apud Persas regnat Chosdroë annis XXXVII. * Theodericus Rex, frater Lotharij obijt: Theodebertus filius eius ei succedit. *Hoc tempore in vna vrbium Ciliciæ quidam Theophilus vicedominus, tam prudenter & vtiliter secundas partes Ecclesiasticæ dispensationis sub Episcopo agebat, vt, mortuo Episcopo, omnium ore dignus episcopatu esse acclamaretur. Qui contentus vicedominatu, alium ordinari maluit Episcopum: à quo à vicedominatu iniustè amotus, ad tantam impatientiam est delapsus, vt conducto sibi Hebræo quodam Mago, per eum opem ad dignitatem suam recuperandam expeteret à principe dæmoniorum; & ab eo iussus abnegare Christum filium Dei, eiusque matrem Mariam, cum omni Christianismi proposito, & ipsam abnegationem scripto firmare, & scriptam signare, & signatam sibi tradere, eius se seruitio addixit. Qui in crastinum recuperato vicedominatus honore, non multò pòst ad se reuersus, per dies XL. omni pœnitendi modo se affligens, primò piam Dei matrem Mariam sibi reconciliauit, eâque sibi apparente, abrenuncians diabolo, Christumque*

* *Consule Baronium in Annal. ad an. 532 Consule eundem.*

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV. O.

verum Dei filium, verumque Deum & hominem ex Maria virgine natum, & omne Christianismi propositum profitens, per eam etiam Christi filij eius gratiam recepit: & ad indicium indulte sibi veniæ, rursum ei dormienti apparens Christi mater, etiam scriptum abrenuntiationis, quod signatum diabolo dederat, reposuit super pectus eius. Quo Theophilus recepto, incrastinum, dominica scilicet die, coram Episcopo, & omni Ecclesia pandens ordinem rei, omnes ad stuporem & laudem Dei, & genitricis suæ Mariæ, commouit, & in eodem loco, quo sibi pia Christi mater apparuerat, perstans, ibidem post triduum mortuus & sepultus est.

538. XI. I. XXIV. XII. XLVII. XIII. II.

Chosdroë fines Romanorum incursat. In Campania Italiæ Benedictum Iuniorem sanctitate clarum Rex Totila pro Christo persequens, cùm eum cum cella sua comburere voluisset, nec valuisset, in clibanum ardentem eum proiecit: qui inde altero die illæsus, illæsis etiam vestibus, exiuit.

539. XII. II. XXV. XIII. XLVIII. XIV. III.

Iustinianus Imperator duos Bulgarum Reges, Thraciam depopulantes, occidit cum multis millibus Bulgarum.

D.XL. XIII. III. XXVI. XIV. XLIX. XV. IV.

540. Chosdroë Antiochiam capit. Childebertus Rex cum fratruele Theodeberto in fratrem Lotharium insurgit; sed matre eorum Rothilde satis-agēte apud Deum, ne inter fratres fieret ciuile bellum, horrenda tempestate coërciti, cùm super Lotharium ne signum quidem apparuerit horroris huiusmodi, reddunt se fraternæ paci.

541. XIV. IV. XXVII. XV. L. XVI. V.

Chosdroë iam quartò Romanos infestantem, Bilisarius compellit redire inefficacem. In diuersis Galliarū locis diuersa signa visa sunt. Cometes apparuit die paschæ; cælum ardere visum est; verus sanguis ex nube defluxit in vestimentis hominum. Domus cuiusdam ab intus sanguine respersa apparuit, & secutæ variæ clades, & malæ valetudines, cum pustulis & vesicis, populos afflixerunt.

542. XV. V. XXVIII. XVI. LI. XVII. VI.

Bilisarius in Africam remissus, Guintharit super reliquias Vuandalorum regnantem cum suis exstinguit. Lotharius & Childebertus fratres, obsessâ in Hispanijs Cæsaraugustâ, ciuibus Deum orantibus, & circumlatâ Vincentij martyris tunicâ, acceptâ ab eis pro munere ipsius martyris stolâ, redeūt acquisitâ Hispaniæ parte maximâ. Theuda Vuisigothorum Rege à suis peremto, Theudegisilus regnat post eum annis II. Maurus in Gallia claret, sancti Benedicti discipulus.

Vigilius

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	O.	ANNO CHR.
XVI.	VI.	XXIX.	XVII.	LII.	I.	VII.	543.

Vigilius Papa, quia secundùm suam promissionem noluit Antemium reuocare, Constantinopolim mittitur ignominiosè. Totila Rex Ostrogothorum, captâ Româ, habitauit aliquamdiu cum Romanis, quasi pater cum filijs, mansuefactus, vt creditur, sancti Benedicti monitis. Audohin mortuo, Albuin filius eius regnat super Langobardos in Pannonia annis XXIV.

XVII.	VII.	XXX.	I.	LIII.	II.	VIII.	544.

Herculanus Perusinus Episcopus à Totila Rege, secto capite, martyrizatur: post mortem verò caput eius corpori vnitum inuenitur. Totila Siciliam inuadit. Narses eunuchus, Romanorum Patricius ordinatur, & contra Totilam destinatur. Theudegisilo inter conuiuandum à suis peremto, Agilan regnat super Vuisigothos annis IX.

XVIII.	VIII.	XXXII.	II.	LIV.	I.	IX.	545.

Narses Albuino Regi Langobardorum confœderatur. Obijt sanctus Remigius, Remorum Episcopus.

Aliter Baronius in Annal. ad an. 541. § 36.

XIX.	IX.	XXXI.	III.	LV.	II.	X.	546.

Vigilius Papa exsiliatur. Narses Patricius, auxiliantibus sibi Langobardis, Totilam Regem perimit. Ostrogothorum gente vsque ad internecionem deletâ, regnum Ostrogothorum penitus corruit. Ita illud regnum Gothorum, quod, vt ait Iordanis, per annos circiter II. mille CCCC. durauerat, defecit in Ostrogothis, sed in Vuisigothis in Hispania regnantibus incolume remansit. Teias regnum Ostrogothorum resuscitare nisus, regnat annis II.

XX.	X.	XXXIII.	IV.	LVI.	III.	I.	547.

Conserto prælio inter Cunimundum Regem Gepidarum, & * Albuin Regem Langobardorum, corruerunt vtrimque LX. millia eorum. Vbi Albuin Cunimundum peremit, & ex testa capitis eius poculum sibi ad bibendum fecit, filiamque eius captiuatam vxorem sibi accepit. Hunis verò terras Gepidarum inuadentibus, destructum est regnum Gepidarum penitus.

* *Alibi Alboin.*

XXI.	XI.	XXXIV.	V.	LVII.	IV.	II.	548.

Theodebertus Rex per se & per ducem suum Bucellinum Italiam, vario belli euentu, inquietare non desistit, & ab Italia & à Sicilia aut spolia aut tributa accipit. Teias Rex à Narsete perimitur, & cum eo Gothorum reliquiæ exstirpantur.

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	ANNO CHR.
XXX.	XX.	XLIII.	XIV.	LXVI.	IV.	557.

Radegundis Regina, vxor quondam Lotharij Regis, mutatâ veste, claret sanctitatis nobilitate.

XXXI.	XXI.	XLIV.	XV.	LXVII.	V.	558.

Gregorius, *filius Gordiani Senatoris*, Romæ adolescit; qui sex monasterijs in Sicilia fundatis, & septimo Romæ in domo sua, ex Prætore vrbano factus monachus, sapientia & scientia, doctrina & sanctitate claruit. *Terræ motus terribilis nimis per decem dies factus est.*

XXXII.	XXII.	XLV.	XVI.	LXVIII.	VI.	559.

Childeberto Rege mortuo, monarchia regni Francorum cedit fratri eius Lothario. *Conf. Bar. ad an. 562*

XXXIII.	XXIII.	XLVI.	XVII.	LXIX.	VII.	D.LX. 560.

Hoc tempore Iudæus quidam imaginem Iesu Saluatoris de Ecclesia furtim deponens, eam telo transfixit, & eam clàm ad domum suam deferens, cùm eam flammis vellet exurere, se sanguine imaginis cruentatum videns, præ stupore eam abscondit: quam Christiani requirentes, & per vestigia sanguinis inuenientes, eam sanguinolentam receperunt, Iudæum verò lapidauerunt. Miserabilis in Italia mortalitatis pestilentia.

XXXIV.	XXIV.	XLVII.	XVIII.	LXX.	VIII.	561.

Anglorum in Britannia tertius Edilbertus regnat annis LVI. Hoc tempore in Scotia Brendanus claruit: qui Fortunatas insulas septennali nauigatione requirens, multa miraculo digna vidit. A quo * Macutes, qui & Maclouus, regulariter educatus, & ipsius nauigationis socius, in Britannia sanctitate & miraculis claruit; qui à Britannis exacerbatus, eis maledictis, transiuit ad Gallias, & sub Leontio Santonum Episcopo, multo tempore virtutibus claruit. *Britannos verò propter suam maledictionem varijs cladibus addictos, datâ rursum benedictione, absoluit & sanauit.* **Ita mss. omnes.*

XXXV.	XXV.	XLVIII.	XIX.	I.	IX.	562.

Constantinopoli quidam Imperatorem exstinguere moliti, exstinguũtur, cuius criminis Bilisarius quoque accusatus ab Imperatore absoluitur. *In Gallia mons super Rhodanum fluuium, multis diebus dans mugitum, tandem ab alio monte sibi vicino discissus, cum Ecclesijs & domibus, hominibus & bestijs in Rhodanum præcipitatus est.*

XXXVI.	XXVI.	XLIX.	XX.	II.	X.	563.

Lotharius Rex Chramnum filium suum, diu contra se rebellantem, & mul-

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV.

ta mala in regno suo facientem, in Britannia persecutus, ei eiusque auxiliario Duci Brittonũ Chonobro bello concurrit, & Chonobrum quidem peremit, Chramnum verò captum, igni cum vxore & filiabus consumi fecit.

564. XXXVII. XXVII. L. XXI. III. XI.

Ioannes Romanæ Ecclesiæ LX. præsidet. Lothario Francorum Rege mortuo Chilpericus filius eius, compartito regno cum fratribus suis Heriberto, Guntranno, & Sigiberto, regnat annis XXII.

Hic Lotharius cœnobium sancti Medardi in Suessionis ciuitate construxit, & regia munificentia dotauit, qui in eo sepulturæ locum accepit.

565. XXXVIII. XXVIII. I. XXII. IV. XII.

Iustiniano Imperatore mortuo, Iustinus minor imperat annis XII. *Multa signa in Sole & Luna apparuerunt.*

566. I. XXIX. II. XXIII. V. XIII.

Narses Patricius, accusatione Romanorum, Patriciatu degradatus, & quia eunuchus erat, exprobrante sibi Sophiâ Augustâ, vt iret in gyneceium diuidere pensa puellis, respondens talem se eidem orditurum telam, qualem ipsa dum viueret, deponere non posset, inuitat Langobardos ad possiden-
* Ita ms. dam Italiam. Sanctus * Columba presbyter veniens de Scotia, clarus habetur in Britannia. *Samson Dolensis Archiepiscopus, consanguineus sancti Ma-*
* Ita ms. *cloui, & successor Samsonis * Maclorius, qui de transmarina Britannia, ad cismarinam transierant Britanniam, clarent sanctitate & doctrina.*

567. II. XXX. III. XXIV. VI. XIV.

Sigibertus Rex Hunos, partes Francorum depopulantes, in Thuringia bello deuincit. Chilpericus frater eius interim terminos illius incursat, & Remis vrbem occupat. Hastæ igneæ in cælo visæ sunt, portendentes irruptionem Langobardorum in Italiam. *Sanctus Basolus Abbas, & Sindulfus presbyter & reclusus, in Francia clarent.*

568. III. XXXI. IV. XXV. VII. XV.

Albuinus Rex Saxonibus, alijsque gentibus sibi adscitis, & Pannoniâ ex condicto commendatâ amicis Langobardorum Hunis, ad Italiam contendit, cum omnibus Langobardorum familijs, ibique VI. annis regnauit. Si-
* Ita ms. gibertus Rex desertas Saxonum terras peruadit, easque * Suauis ad habitandum tradit. Hanc mali nouitatem noua in cælo signa multo antè tempore portenderant.

569. IV. XXXII. V. I. VIII. XVI.

Armenij fidem Christi suscipiunt. Sigibertus Rex fratri suo Chilperico repu-

R. P. F. L. A. VV. ANNO CHR.

repugnat, & Suessionis sedem regni eius occupat. Theodebertum filium eius ibi captum exsiliat: ipsum Chilpericum prælio victum fugat, & terminos suos ab eius insolentia liberat. Ipse vxorem ducit Brunam, filiam Athanagildi Regis Vuisigothorum, *quæ & Brunichildis dicta est*.

V. XXXIII. VI. II. IX. XVII. ɔ.LXX. 570.

Sanctus Vedastus obijt. Italia à Langobardis, nullo obsistente, peruasa atteritur: insuper fame & pestilentia consumitur.

VI. XXXIV. VII. III. X. XVIII. 571.

Huni iterum Sigiberto congressi, & magicis artibus pænè victoriam adepti, recedunt, Sigiberto in omni vita eius confœderati.

VII. XXXV. VIII. IV. XI. XIX. 572.

Gregorius Turonensium ordinatus Episcopus, clarus habetur in omnibus. Langobardi, Papiâ post triennij obsidionem per deditionem acceptâ, & præter Romam & Rauennam pænè tota potiti Italia, dominantur ibi cum potentia.

VIII. XXXVI. IX. V. XII. XX. 573.

Inter Romanos & Persas pugnâ commissâ, Romanis cedit victoria. Heribertus Rex moritur. *Hispani & Franci de pascha celebrando dissentiunt, Hispanis XII. Kalendas Aprilis, Francis verò XIV. Kalendas Maij pascha celebrantibus. Sed Francos rectè celebrasse per hoc diuinitus claruit, quòd fontes in Hispania, qui in sabbato sancto paschæ ad baptizandum sponte diuinitùs repleri solent, non in Hispanorum, sed in Francorum pascha repleti sunt.*

IX. XXXVII. X. VI. XIII. XXI. 574.

Apud Persas Hormisda regnat annis XVIII. Albuinus Rex Langobardorum ab armigero suo perimitur, fraude vxoris suæ: cuius patrem Cunimundum, Gepidarum Regem, ipse olim in bello peremerat, & ex testa capitis eius sibi pateram ad bibendum fecerat: quam cùm vno die ei porrigeret, dicens, Bibe cum patre tuo; illa femineo furore accensa, illum ab armigero ipsius in lecto perimi fecit. Cleb subrogatus regno Langobardorum, regnat annis II.

X. I. XI. I. XIV. XXII. 575.

Benedictus Romanæ Ecclesiæ LXI. præsidet. Ab hoc Gregorius, ad prædicandum Anglis, abire permissus, sed populo tumultuante retractus, septimus Leuita est ordinatus. Athanagildo Rege Vuisigothorum mortuo, Leuigildus cum fratre suo Leuua, & pòst solus regnat annis XVI. Fortunatus Poëta veniens ab Italia, claret in Gallia.

ANNO CHR.	R.	P.	F.	L.	A.	VV.
576.	XI.	II.	XII.	II.	XV.	I.

Cleb mortuo, Langobardi sub Ducibus fuerunt annis X. Fame Romam vrgente, multi Romanorum se Langobardis dedunt.

577.	XII.	III.	XIII.	I.	XVI.	II.

Iustino Imperatore mortuo, Tiberius regnat annis VI. Hic missâ ab Ægypto frumenti copiâ, Romam liberat ab inedia. Chilpericus Rex Francorum, fratrem suum Sigibertum nimis, & per se, & per filium suum Theodebertum vrget, plusquam ciuili bello.

578.	I.	IV.	XIV.	II.	XVII.	III.

Sigibertus Rex fratri suo Chilperico pugna congreditur, ibique Theodebertus filius Chilperici perimitur. Francis verò pro Chilperico sibi exoso, Sigibertum super se Regem leuare volentibus, à duobus pueris, à Fredegunde Chilperici vxore immissis, Sigibertus perimitur. *Brunichildis vxor eius, cum filio Childeberto, vel Childeberti filijs, regnum gubernans, propter insolentiam morum, adeò intolerabilis erat Francis, vt meritò crederetur Sybillam de ea vaticinatam esse: Veniet, ait, Bruma de partibus Hispaniæ, ante cuius conspectum gentes vel gentium Reges peribunt. Ipsa verò calcibus equorum dirupta peribit. Quæ quamuis ita esset insolens, tamen Dei Ecclesias honorabat. Plura etiam Sanctorum cœnobia fundauit, & ædificia admirandi operis construxit, vt miraculo fuerit, tanta ab ea fieri potuisse.* Sanctus Germanus Parisiensis Episcopus obijt. Duces Langobardorum vrbes & Ecclesias exterminantes indiscretè, subiugant sibi quod superat Italiæ.

Vide Ioannem Marianam, lib. 5. rerū Hisp. c. 10.

579.	II.	V.	XV.	III.	XVIII.	IV.

Tiberius, quia liberalis in pauperes fuit, liberalitatem eius Deus iuuit, dum multos thesauros ei inuenire dedit. Chilpericus Rex Brunichildem, relictam Sigiberti, cum filijs exsiliat. Menas solitarius in Italia claret.

IↃ.LXXX 580.	III.	VI.	XVI.	IV.	XIX.	V.

• Hormisda Rex Persarū incursans prouincias Romanorum, ignominiosè victus à Romanis, proposuit edictum, ne Rex Persarum per se vltrà exeat ad prælium. Ignis per cælum discurrere visus est.

• In mss. passim sine adspiratione.

581.	IV.	VII.	XVII.	V.	XX.	VI.

Pelagius Romanæ Ecclesiæ LXII. præsidet. Hic obsidentibus Romam Langobardis, ordinatur absque iussione Principis. Hic decreuit cottidianam sacramentorum præfationem ad Missas, nouem tantummodò præfationibus, secundùm antiquum Romanorum ordinem, esse commutandam; scilicet in Natali Domini, in Apparitione, in Pascha, in Ascensione, in Pentecoste,

Lege Baronium.

R. P. F. L. A. VV. ANNO CHR.

tecoste, de Apostolis, de sancta Trinitate, de sancta cruce, de ieiunio quadragesimali. Ab hoc Gregorius Constantinopolim Apocrisiarius directus, hortatu Leandri Hispalensis Episcopi, libros Moralium in Iob composuit, & ibidem Eutychium Constantinopolitanum Episcopum, malè de resurrectione dogmatizantem, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile ventis aëreque subtilius esse futurum, in præsentia Imperatoris Tiberij, confutauit, & illo nō multò pòst mortuo, penitus exstinxit. Duces Langobardorum Gallias aggrediuntur, & vario bellandi euentu, nunc Franci, nunc Langobardi inter se colliduntur. Hospitius famulus Dei in Gallia claret, qui etiam Langobardorum aduentum prædixerat.

V. VIII. XVIII. VI. XXI. VII. 582.

Saxones in Italia à Langobardis recedentes, & terras suas in Germania repetere nitentes, à gentibus à Sigiberto illuc immissis vsque ad viginti millia eorum cæsis, serò destiterunt à bellis. Vuinochus Britto veniens de Britannia, sanctitate clarebat in Gallia. Lupi Burdegalam vrbem ingressi, neminem metuentes, deuorauerunt canes.

VI. IX. XIX. VII. XXII. VIII. 583.

Tiberio Imp. in Armeniam incurrente, & non multò pòst mortuo, Mauritius imperat annis XXI. Erminigildus Leuigildi Regis Vuisigothorum filius, filiam Sigiberti Regis vxorem duxit: per quam ad orthodoxam fidem conuersus, iram patris sui Leuigildi Ariani incomparabiliter incurrit. *Turonis verus de fracto pane sanguis effluxit.*

I. X. XX. VIII. XXIII. IX. 584.

Chaianus Rex Auarum, id est, Hunorum, pacem cum Mauritio Imperatore soluit. Persæ Armeniam prædis, incendijs, captiuitate Episcoporum ac populorum perturbant: ecclesiam tamen XLVIII. martyrum apud Armeniam sub Licinio passorum, nullo modo incendere potuerunt.

II. XI. XXI. IX. XXIV. X. 585.

Mauritius Imp. per Prætorem suum contra Persas fortiter agit. Antiochia diuinitus subuertitur hoc modo. Quidam ciuis illius adeò eleëmosynis, & hospitalitati deditus, vt nullo vmquam die sine paupere aut hospite comederet, cum vno die vsque ad vesperam vrbem circuisset, vt pauperem vel hospitem inueniret, offendit virum seniorem in veste alba, cum duobus socijs stantem in medio ciuitatis, & inuitans eum ad hospitium, hoc responsum accepit ab eo. Non poteras, ô homo Dei, cum nostro Simeone hanc vrbem saluare, ne subuerteretur? Et hoc dicto sudarium quod in manu tenebat, excussit super vnam medietatem vrbis, statimque ipsa medietas cum habitaculis, & habitatoribus subuersa est. Et volens adhuc excutere sudarium super

ANNO CHR.	R.	P.	F.	L.	A.	VV.

aliam medietatem vrbis, vix ab illis duobus socijs suis multa prece flexus est, vt parceret residuæ vrbis medietati. Sicque virum, qui hæc aspiciebat attonitum consolatus, ex saluatione suæ domus, discessit, & vltrà non comparuit. *Guntrannus Francorum Rex in venando fessus, dum in gremio armigeri sui dormiret iuxta riuum aquæ, vidit armiger de ore Regis paruum animal exire; cui volenti riuum transire nec valenti, armiger gladio trans riuum posito, viam ei eundi & redeundi parauit. Quo iterum in os eius intrante, Rex experrectus & stupefactus dixit, se per somnium per pontem ferreum transisse, & sub monte quodam multos thesauros vidisse. Vbi cùm perrexisset secundùm fidem somnij, thesauros magnos inuenit, eosque acceptos sanctæ Ecclesiæ vsibus delegauit.*

586.	III.	XII.	XXII.	X.	XXV.	XI.

Langobardi Authari Regem sibi statuerunt, eumque ob dignitatem Flauium appellauerunt, à quo omnes Langobardorum Reges Flauij sunt appellati. * Leuigildus Rex Vuisigothorum filium suum Erminigildum hostili prosequens animo, eum damnat exsilio. Hoc tempore etiam Miro Rex Galliciæ moritur.

* *Lege Baronij Notas ad Martyrol. Rom. 13. April.*

587.	IV.	XIII.	XXIII.	I.	XXVI.	XII.

Chilpericus Rex Francorum, immissu vxoris suæ Fredegundis, perimitur. Lotharius filius eius infans IV. mensium, in regno sublimatus, regnauit annis XLV.

588.	V.	XIV.	I.	II.	XXVII.	XIII.

Childebertus Rex à Mauritio Imperatore, pro expellendis ab Italia Langobardis, pecuniam accepit. Sed id frustra fuit, quia nunc confœderatus eis redijt, nunc eis congressus inferior eis cessit, nunc etsi superior eis fuit, ab expulsione tamen eorum munimen ciuitatum eum prohibuit.

589.	VI.	XV.	II.	III.	XXVIII.	XIV.

Leuigildus Rex Vuisigothorum Erminigildum filium suum, quia Arianæ communioni participare noluit, nocte sanctâ paschæ, in carcere securi occidit. Childebertus Lotharij exercitui congressus, victus euasit.

D XC.	VII.	XVI.	III.	IV.	XXIX.	XV.

590. Rex Langobardorum Authari vxorem ducit Theudelindam, filiam Garibaldi Regis Baioariorum. Nimiæ pluuiæ inundant, vt omnes dicerent, quia aquæ diluuij superinundarent, & tanta clades fuit, vt nullus grauiorem à sæculo fuisse meminerit. Magnus etiam draco in modum validæ trabis, cum innumerabili serpentium multitudine, per Tiberim in mare descendit, à quibus suffocatæ bestiæ maris, & ad litus proiectæ, putredine aërem corruperunt.

Hormis-

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	ANNO CHR.
VIII.	XVII.	IV.	V.	XXX.	XVI.	

Hormisdam Regem Persarum, à Persis excæcatum, filius eius Chosdroë occidit, & ad Mauritium Imp. confugit, eiusque virtute Persas debellans, regnum Persarum accepit, & annis XXXIX. regnauit. Leuigildo Vuisigothorum Rege mortuo, Richaredus filius eius regnat annis XV. In Italia facto diluuio pænè vltra fidem omnium, post multam confusionem rerum, subsecuta est per cladem inguinariam inedicibilis mortalitas hominum, quæ primùm percussit Pelagium Papam. Gregorius ad Papatum electus, interim dum Imperatoris assensus exspectatur, instituit per septiformen litaniam placare iram Dei, & in procedendo octoginta hominibus hac plaga percussis, tandem ira Dei quieuit. 591.

IX.	I.	V.	VI.	XXXI.	I.	592.

Gregorius Romanæ Ecclesiæ LXIII. præsidet. Hic inter cetera pietatis opera, animam * Traiani, Romanorum quondam Imperatoris, quamuis pagani, à pœnis inferni liberari, miserando & plorando, à Deo obtinuit. Hic inter multa, quæ vtilia Ecclesiæ fecit & instituit, Antiphonarium regulariter centonizauit, & vtiliter compilauit. Kyrie eleison à clero ad Missas cantari præcepit; Alleluia ad Missas, extra Quadragesimam dici fecit. In Canone hostiæ, tria verba superaddidit: Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum grege iubeas numerari. Orationem quoque Dominicam, post Canonem super hostiam censuit recitari. Auctari Rege Langobardorũ mortuo, Langobardi, permissâ Theudelindæ Reginæ optione, sibi virum & Italiæ Regem eligendi, præfecerunt sibi Regem Agilulfum, qui regnauit annis XXV.

**Vide Baronium To. 8. Annal. ad annum Christi 604. Consule eundem.*

X.	II.	VI.	I.	XXXII.	II.	593.

In Gallia quidam in silua cædens ligna, adeò à muscis infestatus est, vt per biennium amens fieret. Deinde sub religionis habitu se exhibebat pseudoprophetam, deinde magum, deinde etiam sanitates super infirmos faciens, Christum se esse dicebat, & pro Christo se adorari iubebat: nolentes se adorare cum populo, qui ei multus adhærebat, impetebat hostiliter. Qui postea à quodam fideli occisus est: & ita sequaces eius dispersi sunt. Richaredus Rex Vuisigothorum terminos Romanorum infestat. Huc vsque Gregorius Turonensis historiam Francorum digessit. *Hoc tempore regnabat in Hibernia insula Philtanus, & in Scottia regnabat Brendinus, cui frater erat nomine Adelfius, de cuius Adelfij filia, quæ vocata est Gelgebes, genuit Rex Hiberniæ Philtanus sanctum Furseum, & fratres eius Foillanum & Vltanum.*

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV.

594. XI. III. VII. II. XXXIII. III.

Vide Baron. ad an. 593. § 24.

Tunica Domini nostri IESV Christi in ciuitate Zaphat,nõ longè ab Hierosolyma,confessione Simonis Iudæi inuenta,& ab Episcopis Gregorio Antiocheno, & Thoma Hierosolymitano, & Ioanne Constantinopolitano Hierusalem in loco, vbi crux Christi veneratur, est posita. Gaugericus Cameracensis Episcopus claret.

595. XII. IV. VIII. III. XXXIV. IV.

Constantinopoli nascitur puer quadrupes, & alter duos vertices habens: quæ prodigia protendunt aduersa locis in quibus nascuntur. Richaredus Rex Vuisigothorum synodo LXII. Episcoporum apud Toletum congregatâ,ibique Arianâ hæresi abdicatâ, & anathematizatâ, se cum tota Vuisigothorum gente confirmat in fide Catholica. Tassilo à Childeberto ordinatus Rex Baioariorum, deuictis Sclauis obtinuit triumphum.

596. XIII. V. IX. IV. XXXV. V.

Agilulfus Rex Langobardorum in Romanos insurgit: sed agente Theudelindâ Reginâ, non multò pòst cum eis fœdus init. Huic Reginæ Gregorius Papa libros Dialogi sui misit. *Sol à mane vsque ad meridiem minoratus est, vsque ad tertiam sui partem.*

597. XIV. VI. X. V. XXXVI. VI.

Gregorius Papa, quod ipse olim facere intenderat, Augustinum cum alijs destinat ad prædicandum in Anglia. Guntrannus Rex sanctitate clarus dormit in Christo;regnum eius cessit fratrueli eius Childeberto.

598. XV. VII. XI. VI. XXXVII. VII.

Richaredus Rex Vuisigothorum, Regibus Francorum confœderatur, eique soror Childeberti Regis vxor datur. Sanctus Columba Abbas & presbyter, Doctor Scottorum & Pictorum obijt, qui posteris suis multa sanctitatis monumenta reliquit, præterquam quòd, rustica simplicitate, Pascha Dominico die debere celebrari neque didicit, neque docuit. *Marculfus Abbas Baiocassinensis sanctitate claret in Gallia.*

599. XVI. VIII. XII. VII. XXXVIII. VIII.

Edilbertus Rex Anglorum, qui Cantuarij vocantur, prædicante Augustino,cum gente sua,baptizatur.Porrò gens Anglorum, qui Mercij dicuntur, & gens Nordanymbrorum,qui, quòd ad aquilonarem partem Ymbræ fluminis habitent, ita vocantur, sub Regibus Edilfrido & Aëlle nondum audierant verbum vitæ.

Sanctus

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	ANNO CHR.
XVII.	IX.	XIII.	VIII.	XXXIX.	IX.	DC.

Sanctus Goar, veniens ex Aquitania, claret in Gallia. Augustinus ab Ætherio Arelatensi Episcopo consecratur Anglorum Episcopus. Childebertus Rex Francorum moritur, cui Theodebertus & Theodericus, filij eius, subrogantur. 600.

XVIII.	X.	XIV.	IX.	XL.	X.	601.

Contentio inter Romanam Ecclesiam, & arrogantiam Ioannis Episcopi Constantinopolitani, vniuersalis Patriarchæ nomen sibi vsurpantis, sub Pelagio Papa concepta, & à Gregorio iam inde non leuiter exagitata, non anteà quiescere potuit, quàm Ioannes ipse subita morte obijt. Huni cum Francis fortiter bellát in Thuringia. Fredegundis Regina moritur. Agilulfus Theoderico confœderatur. In Nilo Ægypti flumine visa sunt animalia humanæ formæ, vir scilicet & mulier, vsque ad lumbos super aquam exstantes, qui ab hominibus per Deum adiurati, à manè vsque ad nonam, se videndos præbuerunt.

Lege Baronium.

XIX.	XI.	XV.	X.	XLI.	XI.	602.

Augustinus Episcopus Anglorum, habitâ synodo cum Brittonum & Scottorum Episcopis, quia sacerdotes & monachos inuenit aduersarios æquitatis, quos voluit habere socios prædicationis, terruit eos vaticinio futuræ super eos calamitatis. Sanctus Columbanus ex Hibernia in Burgundiam venit, ibique permissu Theoderici Regis, cœnobium Luxouium ædificare cœpit.

XX.	XII.	XVI.	XI.	XLII.	XII.	603.

Mauritius Imperator, se cum suis à Phoca interficiendum diuinitùs prædixit; & malorum pœnitens, ea sibi hic retaliari, per se & per seruos Dei, instanter exposcit. Theodericus Rex auiam suam Brunichildem, ab Austrasijs eiectam, recepit.

XXI.	XIII.	XVII.	XII.	XLIII.	XIII.	604.

Mauritius Imperator cum vxore & filijs à Phoca perimitur; & imperat Phocas annis VIII. Orientales Angli cum Rege suo Sibergto per Mellitum Episcopum ad Christum conuertuntur.

I.	XIV.	XVIII.	XIII.	XLIV.	XIV.	605.

Cognitâ morte Mauritij, grassantur per Romanorum prouincias, hinc Persæ, & inde Huni. Lotharius & Theodericus prælio inter se colliduntur: in quo plusquam XXX. millia cæsa referuntur: Theodericus tamen victoria potitur. In hoc prælio angelus Domini, euaginatum gladium super populum tenens, visus est.

Sabi-

ANNO CHR.	R.	P.	F.	L.	A.	VV.
606.	II.	XV.	XIX.	XIIII.	XLV.	XV.

Sabinianus Romanæ Ecclesiæ LXIV. præsidet. *Hoc tempore pauper quidam cùm à nautis eleēmosynam peteret, nec acciperet, dicente nauclero, Desiste eleēmosynam petere à nobis, qui nihil hîc præter lapides habemus: cùm subiecisset pauper, Omnia ergò vertantur in lapides; quidquid manducabile in naui erat, in lapides conuersum est, colore & forma rerum eâdem permanente.* Fame Romam aggrauante, Romani Gregorio Papæ iam defuncto derogantes, quòd thesauros Ecclesiæ, sua nimia liberalitate dissipasset, cùm non adesset persona, in quam exarderent, memoriam nominis eius in libris illius delere volebant; ac per hoc, libros Gregorij Papæ Romanis exurere volentibus, obstitit Petrus Diaconus, prodens se Spiritum Sanctum in columbæ specie super caput Gregorij tractantis sedentem, vidisse sæpiùs, idque confirmans iurisiurandi sacramento, mox moriens, ex condicto fidem fecit suo testimonio. Post Richaredum apud Vuisigothos regnat Bettericus annis VII.

607.	III.	XVI.	XX.	XV.	XLVI.	I.

Vide Bar. & Onuph. — Vide Baronium To. VIII. Annal. ad an. Christi 606. in princ. & Bellarminum in Controuersijs.

* *Sabinianus Papa, cùm & ipse liberalitati Gregorij, prædecessoris sui, derogaret, & sub hoc obtentu manum egenis subtraheret, Gregorius eum per visum ter pro culpa tenaciæ, & huius derogationis increpatum, quòd non resipisceret, etiam quartò horribiliter increpans, & comminans in capite percussit, quo ille dolore vexatus, paullò pòst mortem obijt. Post quem,* Bonefacius Romanæ Ecclesiæ LXV. præsidet. * *Hic obtinuit apud Phocam Imperatorem, vt Ecclesia Romana caput esset omnium Ecclesiarum: quia Ecclesia Constantinopolitana scribebat se esse primam omnium Ecclesiarum. Hic in concilio septuaginta duorum Episcoporum, decreuit sub anathemate, vt nullus viuente Episcopo ciuitatis suæ, de altero eligendo audeat loqui, aut partes sibi facere, sed tertio die depositionis eius, fiat licenter à clero & populo, electio sacerdotis.* Theodericus & Theodebertus fratres & Reges, Vuascones sibi subiugant.

608.	IV.	XVII.	XXI.	XVI.	XLVII.	II.

Corpus sancti Victoris Thebæi, apud Salodorum cum sancto Vrso passi, inuenitur. Secundus famulus Dei in Italia claret. Desiderius Viennensis Episcopus à Theoderico exsiliatur. Augustinus primus Anglorum Episcopus moritur, eique Laurentius substituitur. *In castro Gandæ ecclesia ædificatur.* (*Ex ms. Lips.*)

609.	V.	XVIII.	XXII.	XVII.	XLVIII.	III.

Bonefacius Romanæ Ecclesiæ LXVI. præsidet. Hic pantheō Romæ à Phoca impetratum, vertit in ecclesiam sanctæ Mariæ, & sanctorum martyrum, & in Kalendis Nouembris ibi instituit solennitatem omnium * Sanctorum.

* *Confer Martyrol. Rom. die 1. Nou.*

Persæ

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	ANNO CHR.
VI.	XIX.	XXIII.	XVIII.	XLIX.	IV.	DC.X.

Persæ Romanorum prouincijs grauiter incubant. Agilulfus Langobardorum Rex Mantuam, Cremonam & aliqua Italiæ castella capit. *Blandinium monasterium ædificatur in Gandauo.* 610. *Ex ms. Lips.*

VII.	XX.	XXIV.	XIX.	L.	V.	611.

Alexandriæ Ioannes Episcopus claruit, qui ob eximiam in Christum liberalitatem, nomen Eleëmosynarij meruit.

VIII.	XXI.	XXV.	XX.	LI.	VI.	612.

Heraclius ad Imperium electus, Phoca peremto & cremato ignibus, regnauit annis XXXI. Desiderius Viennensis Episcopus, consilio Brunichildis, à Theoderico Rege lapidibus obrutus, martyrizatur.

I.	XXII.	XXVI.	XXI.	LII.	VII.	613.

Persæ à Romanorum insecutione non desistunt. Betterico Vuisigothorum Rege mortuo, Sisebodus regnat annis XXIX. * *Virtus & nomen sancti Ioannis Baptistæ miraculis declaratur, apud vrbem Galliæ Mauriennam, de reliquijs corporis ipsius hoc modo diuinitus illustratam. In ea olim mulier, sancto Baptistæ nimis deuota, expetebat ab eo donari sibi aliquid de membris eius, & in hac orandi instantia, per triennium persistens, cùm alter quiuis iam posset desperare, ipsa spem in Deo ponens iurauit, se non manducaturam, donec quod petebat, acciperet. Et sic septem diebus ieiunans, septima tandem die, desuper altari pollicem miri candoris apparere videns, læta Dei donum accepit. Ad quod adorandum tres Episcopi venientes, cum de hoc sancto pignore partem elicere vellent, tres sanguinis guttas ex eo stillare in linteo supposito stupuerunt, & singuli singulas se meruisse lætati sunt.*

* *Vide Baronij Notas ad Martyrol. Rom. 29. Aug.*

II.	XXIII.	XXVII.	XXII.	LIII.	I.	614.

Deusdedit Romanæ Ecclesiæ LXVII. præsidet. Hic constituit secundam Missam in clero. *Hic etiam secundùm instituta maiorum suorum decreuit, vt si qui viri vel mulieres, suos ipsi filios, quocumque modo de sancto lauacro susceperint, separentur ab inuicem, vel si quis vir commatrem suam, vel si qua mulier compatrem suum à primo dono spiritus sancti, in coniugium duxerit, separentur: mulier tamen maritalem dotem recipiat, & post expletum annum, alteri, si vult, nubat.* Sanctus Columbanus à Theoderico Rege, instinctu Brunichildis auiæ, expellitur Franciâ. Qui pòst, relicto Gallo discipulo suo in Alemannia, cœnobium Bobium construxit in Italia. Sanctus Amandus Elnonensis per Gallias miraculorum & prædicationis gratia clarescebat. * Allouuinus etiam, qui & Bauo, per eum ex prædone conuersus, & Gandaui solitariè reclusus, sanctitatis exemplum erat omnibus.

* *Ita ms.*

ANNO CHR.	R.	P.	F.	L.	A.	VV.
615.	III.	XXIV.	XXVIII.	XXIII.	LIV.	II.

Item mss. Edilfridus Rex * Nordanymbrorum, Regem Scottorum Ean, cum omnibus pænè suis in bello exstinguit. Hæc calamitas Scottis contigit secundùm vaticinium Augustini Episcopi, qui interminatus est Scottos ab Anglis fore perimendos, qui Anglos ad vitam æternam conuerti ægrè ferebant: in monachos quoque Scottorũ, Augustino rebelles, irâ Dei sæuiente, qui cum Rege suo ad hoc bellum ex more euntes, vt Rege armis pugnante, ipsi orando pro eo pugnarent, peremti sunt ab Anglis mille ducenti, tantùm quinquaginta per fugam elapsis. Glodésindis Mettensis claret, quæ sponsum fugiens, velamine capitis misso sibi à Deo per Angelum, se & sua Deo delegauit.

616.	IV.	XXV.	XXIX.	XXIV.	LV.	III.

Persæ Syriam incursantes, Damascum capiunt. Edilbertus Rex Cantuariorum obit: post quem Ealdbald filius eius annis XXV. regnauit. Raduald autem Rex Orientalium Anglorum, Edilberto mortuo, illam super Anglos regnandi potentiam quartus accepit, vt sub nutu eius alij Anglorum Reges regnarent. Edilfrido quoque Nordanymbrorum Rege à Radualdo Rege peremto, Eduinus regnum Nordanymbrorum suscepit. Huni Langobardos in Italia debellant, & Forum Iulij proditione captum, dissipant. Sanctus Lupus Senonensis Episcopus claret, cui aliquando Eucharistiam consecranti, gemma de cælo à Deo in calice descendit.

617.	V.	XXVI.	XXX.	XXV.	I.	IV.

A Persis Palæstina bello premitur. Sancta quoque ciuitas capitur, in ea vsque XC. millia virorum perimuntur. Zacharias Patriarcha captiuatur, crux ipsa dominica sancta asportatur. Inter fratres Theodericum & Theodebertum Reges, instinctu auiæ eorum Brunichildis, plusquam ciuile bellum oritur, pugnâque commissâ, post inæstimabilem stragem, Theodebertus capitur. Per Ealdbaldum & filios Sibergti, ad idololatriam Angli reuoluuntur. Agilulfo Langobardorum Rege mortuo, Adaloaldus filius eius regnat annis XII.

618.	VI.	XXVII.	XXXI.	I.	II.	V.

Bonefacius Romanæ Ecclesiæ LXVIII. præsidet. Hic decreuit vt nullus trahatur violenter de Ecclesia. * *Hic decreuit, vt monachi in officio sacerdotalis gradus, vtantur potestate ligandi atque soluendi.* Theodericus Rex Francorum moritur. Ealdbaldus Rex idololatriæ abrenuntiat. Lotharius Rex filios Theoderici Regis in bello captos occidit. Brunichildem quoque Reginam vno pede & brachio multatam, ad caudam equæ indomitæ religatam, membratim discerpi fecit: imputans ei, quòd decem Reges per eam fuissent exstincti,

** Consule Baronium & alios Pontificiæ historiæ scriptores.*

R. P. F. L. A. VV. ANNO. CHR.

ſtincti,& ſic monarchia regni Francorum ad eum redit. Eleutherius Patricius, affectans Romanorum imperium, Romæ perimitur. Hoc tempore terræ motus maior menſe Auguſto, & ſecuta eſt clades in populo, percuſsio ſcilicet ſcabierum, ita vt nullus poſſet agnoſcere mortuum ſuum. Ioannes Eleëmoſynarius obit. *Perſæ Ægyptum incurſantes, Alexandriam capiunt.* • *Sancto Amando Elnonem migrante, Florbertus Abbas ordinatur.* • *Ex ms. Lipſ.*

VII. XXVIII. XXXII. II. III. VI. 619.

Perſæ Libyam incurſantes, Carthaginem capiunt. Lotharius Rex tributum XII. millium ſolidorum, quod Langobardi Francis ſoluerant, relaxat, Langobardis perpetuò ſibi confœderatis. Laurentius, ſecundus Anglorum Epiſcopus, obijt.

VIII. XXIX. XXXIII. III. IV. IX. DC. XX. 620.

Choſdroë Rex Perſarum pacem cum Romanis facere nullo modo admittit. Anaſtaſius Perſa, ex mago Chriſtianus & monachus, à Perſis captus, poſt verbera, vincula & carceres, poſt diutinam appenſionem per vnam manum, tandem abſciſſo capite, cum alijs LXX. martyrizatur. *Virgo Christi Fara claret in Francia. Eius etiam ſanctitatem imitatus frater eius Faro, ex Comite clericus, & ex clerico Meldenſium Epiſcopus claret.*

IX. XXX. XXXIV. IV. V. VIII. 621.

Siſebodus Rex Vuiſigothorum, contra Romanos fortiter agit: Prouinciam, aliaſque ciuitates à Francis extortas, ad Vuiſigothorum ius redigit.

X. XXXI. XXXV. V. VI. IX. 622.

Honorius Romanæ Eccleſiæ LXIX. præſidet. Sanctus Columbanus obit. Diſcipulus eius Gallus in Alemannia claret.

XI. XXXII. XXXVI. VI. VII. X. 623.

Choſdroë ſucceſſu elatus, in effuſione humani ſanguinis, & maximè Chriſtianorum, vltra modum graſſatur. Heraclius Imperator Hunis confœderatur.

XII. XXXIII. XXXVII. VII. VIII. XI. 624.

Heraclius ad Perſas debellandos proficiſcens, virilem Dei figuram in manibus accipiens, quam manus non depinxerunt, ſed in icona Verbum, quod omnia format, atque componit, ſine pictura formam, velut ſine ſemine partum, eduxit, Perſidem aggreditur, eamque per ſex continuos annos potenter depopulatur. Euſtaſius Abbas Luxouienſis, & Attila Bobienſis poſt Columbanum clarent. *Confer Baron. Annal. To. 8. ad annum Christi 622.*

ANNO CHR.	R.	P.	E.	L.	A.	VV.
625.	XIII.	XXXIV.	XXXVIII.	XIII.	IX.	XII.

* Pipinus filius Karlomanni, Maior domus Regis Lotharij, principabatur. Pipino in disponenda republica cooperabatur sanctus Arnulfus, filius Arnoldi, filij Ansberti, ex Blithilde, filia primi Lotharij Regis. Mellitus tertius Anglorum Episcopus obijt.

* In mss. interdum gemino pp, interdum vno scribitur.

626.	XIV.	XXXV.	XXXIX.	IX.	X.	XIII.

Heraclius Imperator Persas leuibus prælijs frequenter fundit.

627.	XV.	XXXVI.	XL.	X.	XI.	XIV.

Florebant in Gallijs, Austrigisilus Bituricensis & sub eo Sulpicius, Chunibertus Coloniensis, & Ioannes Tungrensis. In Hispanijs, Isidorus * Spalēsis, tum sanctitate, tum doctrina clarebat.

* *Ita mss. codices. Sic olim* Hispania *dicta est* Spania.

628.	XVI.	XXXVII.	XLI.	XI.	XII.	XV.

Heraclius Persas graui prælio contriuit, in quo Prætorem Persarum, omnesque pænè Principes peremit, & Persidem peruagatus, miranda Persarum palatia combussit, & deiecit. Lotharius Rex filium suum Dagobertum in regno adscitum, Pipino & Arnulfo committit, ad Austrasijs regnandum. Eduinus Rex Nordanymbrorum à Paullino Episcopo baptizatur, & post Radoaldum, potentiùs ceteris super Anglos principatur.

629.	XVII.	XXXVIII.	XLII.	XII.	XIII.	XVI.

Syrohis cum Persarum principibus contra patrem suum Chosdroēn surrexit, & pace cum Imp. Heraclio confirmatâ, patrem suum cum filijs ipsius peremit, & anno vno regnauit. Dagobertus iram patris sui Lotharij Regis meritus, quia consiliarium eius cæsum & deconsum dehonestauerat, Parisius ad ecclesiam sancti Dionysij confugit; & quia inde nullo modo extrahi potuit, locum illum semper cordi habuit.

DC.XXX	XVIII.	XXXIX.	XLIII.	XIII.	XIV.	XVII.

630. Obijt sanctus Bauo. Heraclius Perside deuictâ, & pace inter Romanos & Persas confirmatâ, redijt cum gloria. Syrohi Rege mortuo, Adesir regnauit post eum. Adadolaldo Rege Langobardorum exstincto, Rotharith regnauit post eum annis XVI. Erpualdus Rex, qui cum patre suo Radoaldo à fide Christi apostatauerat, suasu Eduini Regis, cum gente sua idololatriæ abrenuntiat. Hoc tempore Arabum siue Saracenorum Princeps erat Muhammad, qui pseudophropheta ex orphano & inope, per hæresis suæ præstigia ad regnum prouectus est. Hic de progenie Ismaelis ortus, cùm esset pauper & orphanus, ad quamdam cognatam suam prædiuitem, nomine Cha-

R. P. F. L. A. VV. ANNO CHR.

Chadigam, primò vt mercenarius, deinde vt sponsus se coniungens, per eam ditatus est. Quæ cùm ægrè ferret, illum epileptico morbo vexari, ille dicebat, hoc non esse morbum, sed visionem archangeli Gabrielis se interim videre, & quia aspectum eius ferre non posset, mente defectâ cadere. Hic communicabat Christianis & Iudæis, ex eorum scripturis suam pseudoprophetiam in aliquibus confirmans. Hic docebat, quòd hi qui inimicum occidunt, vel ab inimico occiduntur, paradisum ingrediantur. Paradisum verò esse carnalis cibi ac potus; ibique esse fluuium vini, lactis ac mellis, & mixturam feminarum non præsentium, sed aliarum multo tempore futuram & affluentem voluptatem, & multa huiusmodi. Hic est Muhammad, cui gentiles adhuc cultum deitatis exhibent. Hic in regno Saracenorum quattuor Prætores statuit, qui Amirei vocabantur. Ipse verò Amiras dicebatur, vel Protosymbolus. Dagobertus Rex Saxonibus bello concurrit; cui pater Lotharius Rex accurrens auxilio, interfecto Bertaldo Duce Saxonum, victoriam obtinuit, & peruagans omnem Saxoniam, nullum omnino Saxonũ, mensuram gladij sui excedentem, dimisit viuentem.

XIX. XL. XLIII. I. XV. XVIII. 631.

Heraclius Imperator, Perside deuictâ, Zachariam Patriarcham, cum captiuorum populo, Hierusalem reducit; & sanctam crucem Domini reportans, cùm regio schemate ornatus portam vellet intrare, per quam IESVS *ad crucem subeundam exiuit, porta diuinitus clausa est, eique rursum ad monitum Angeli humiliato & discalceato porta vltrò aperta est; & ita cruce relatâ, celebritatem Exaltationis eius annuatim dedicauit.* Apud Persas Hormisda regnat annis X. sub Saracenis. Lothario mediano Francorum Rege mortuo, Dagobertus filius eius regnat post eum, annis XIV.

XX. XLI. I. II. XVI. XIX. 632.

Saraceni, qui hactenus fuerant sub Persarum regno, eos bello victos, versâ vice, sub suo redigunt dominio. Ab hinc pro regno Persarum, titulandum est regnum Saracenorum. Mahammad, Amiras Saracenorum moritur. Post quem Ebubeher tribus annis principatur. Terræ motus factus est, & per triginta dies apparuit in cælo signum in modum gladij, portendens imminentem Saracenorum potentatum. Eduinus Rex Nordanymbrorum à Penda & Ceduala Rege Brittonum perimitur, & fides Christi in Anglia concutitur.

XXI. I. II. III. XVII. XX. 633.

Seuerinus Romanæ Ecclesiæ LXX. & post eum Ioannes LXXI. præsidet. Heraclius Imperator incidens in hæresim Monothelitarum, vnam operationem in Christo credentium, confudit Ecclesiam & Imperium; contrà malitiam eius pugnante perturbatione omnium rerum. Inter Romanos &

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV.

aliam medietatem vrbis, vix ab illis duobus socijs suis multa prece flexus est, vt parceret residuæ vrbis medietati. Sicque virum, qui hæc aspiciebat attonitum consolatus, ex saluatione suæ domus, discessit, & vltrà non comparuit. *Guntrannus Francorum Rex in venando fessus, dum in gremio armigeri sui dormiret iuxta riuum aquæ, vidit armiger de ore Regis paruum animal exire; cui volenti riuum transire nec valenti, armiger gladio trans riuum posito, viam ei eundi & redeundi parauit. Quo iterum in os eius intrante, Rex experrectus & stupefactus dixit, se per somnium per pontem ferreum transisse, & sub monte quodam multos thesauros vidisse. Vbi cùm perrexisset secundùm fidem somnij, thesauros magnos inuenit, eosque acceptos sanctæ Ecclesiæ vsibus delegauit.*

586. III. XII. XXII. X. XXV. XI.

Langobardi Authari Regem sibi statuerunt, eumque ob dignitatem Flauium appellauerunt, à quo omnes Langobardorum Reges Flauij sunt appellati. • Leuigildus Rex Vuisigothorum filium suum Erminigildum hostili prosequens animo, eum damnat exsilio. Hoc tempore etiam Miro Rex Galliciæ moritur.

• *Lege Baronij Notas ad Martyrol. Rom. 13. April.*

587. IV. XIII. XXIII. I. XXVI. XII.

Chilpericus Rex Francorum, immissu vxoris suæ Fredegundis, perimitur. Lotharius filius eius infans IV. mensium, in regno sublimatus, regnauit annis XLV.

588. V. XIV. I. II. XXVII. XIII.

Childebertus Rex à Mauritio Imperatore, pro expellendis ab Italia Langobardis, pecuniam accepit. Sed id frustra fuit, quia nunc confœderatus eis redijt, nunc eis congressus inferior eis cessit, nunc etsi superior eis fuit, ab expulsione tamen eorum munimen ciuitatum eum prohibuit.

589. VI. XV. II. III. XXVIII. XIV.

Leuigildus Rex Vuisigothorum Erminigildum filium suum, quia Arianæ communioni participare noluit, nocte sanctâ paschæ, in carcere securi occidit. Childebertus Lotharij exercitui congressus, victus euasit.

D XC. VII. XVI. III. IV. XXIX. XV.

590. Rex Langobardorum Authari vxorem ducit Theudelindam, filiam Garibaldi Regis Baioariorum. Nimiæ pluuiæ inundant, vt omnes dicerent, quia aquæ diluuij superinundarent, & tanta clades fuit, vt nullus grauiorem à sæculo fuisse meminerit. Magnus etiam draco in modum validæ trabis, cum innumerabili serpentium multitudine, per Tiberim in mare descendit, à quibus suffocatæ bestiæ maris, & ad litus proiectæ, putredine aërem corruperunt.

Hormis-

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	ANNO CHR.
VIII.	XVII.	IV.	V.	XXX.	XVI.	591.

Hormisdam Regem Persarum, à Persis excæcatum, filius eius Chosdroë occidit, & ad Mauritium Imp. confugit, eiusque virtute Persas debellans, regnum Persarum accepit, & annis XXXIX. regnauit. Leuigildo Vuisigothorum Rege mortuo, Richaredus filius eius regnat annis XV. In Italia facto diluuio pænè vltra fidem omnium, post multam confusionem rerum, subsecuta est per cladem inguinariam inedicibilis mortalitas hominum, quæ primùm percussit Pelagium Papam. Gregorius ad Papatum electus, interim dum Imperatoris assensus exspectatur, instituit per septiformen litaniam placare iram Dei, & in procedendo octoginta hominibus hac plaga percussis, tandem ira Dei quieuit.

IX.	I.	V.	VI.	XXXI.	I.	592.

Gregorius Romanæ Ecclesiæ LXIII. præsidet. Hic inter cetera pietatis opera, animam * Traiani, Romanorum quondam Imperatoris, quamuis pagani, à pœnis inferni liberari, miserando & plorando, à Deo obtinuit. Hic inter multa, quæ vtilia Ecclesiæ fecit & instituit, Antiphonarium regulariter centonizauit, & vtiliter compilauit. Kyrie eleison à clero ad Missas cantari præcepit; Alleluia ad Missas, extra Quadragesimam dici fecit. In Canone hostiæ, tria verba superaddidit: Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum grege iubeas numerari. Orationem quoque Dominicam, post Canonem super hostiam censuit recitari. Auctari Rege Langobardorũ mortuo, Langobardi, permissâ Theudelindæ Reginæ optione, sibi virum & Italiæ Regem eligendi, præfecerunt sibi Regem Agilulfum, qui regnauit annis XXV.

**Vide Baronii To. 8. Annal. ad annum Christi 604. Confer eundem.*

X.	II.	VI.	I.	XXXII.	II.	593.

In Gallia quidam in silua cædens ligna, adeò à muscis infestatus est, vt per biennium amens fieret. Deinde sub religionis habitu se exhibebat pseudoprophetam, deinde magum, deinde etiam sanitates super infirmos faciens, Christum se esse dicebat, & pro Christo se adorari iubebat: nolentes se adorare cum populo, qui ei multus adhærebat, impetebat hostiliter. Qui postea à quodam fideli occisus est: & ita sequaces eius dispersi sunt. Richaredus Rex Vuisigothorum terminos Romanorum infestat. Huc vsque Gregorius Turonensis historiam Francorum digessit. *Hoc tempore regnabat in Hibernia insula Philtanus, & in Scottia regnabat Brendinus, cui frater erat nomine Adelfius, de cuius Adelfij filia, quæ vocata est Gelgebes, genuit Rex Hiberniæ Philtanus sanctum Furseum, & fratres eius Foillanum & Vltanum.*

ANNO CHR.	R.	P.	F.	L.	A.	VV.
594.	XI.	III.	VII.	II.	XXXIII.	III.

Vide Baron, ad an. 593. § 24. Tunica Domini nostri IESV Christi in ciuitate Zaphat, nō longè ab Hierosolyma, confessione Simonis Iudæi inuenta, & ab Episcopis Gregorio Antiocheno, & Thoma Hierosolymitano, & Ioanne Constantinopolitano Hierusalem in loco, vbi crux Christi veneratur, est posita. Gaugericus Cameracensis Episcopus claret.

595.	XII.	IV.	VIII.	III.	XXXIV.	IV.

Constantinopoli nascitur puer quadrupes, & alter duos vertices habens: quæ prodigia protendunt aduersa locis in quibus nascuntur. Richaredus Rex Vuisigothorum synodo LXII. Episcoporum apud Toletum congregatâ, ibique Arianâ hæresi abdicatâ, & anathematizatâ, se cum tota Vuisigothorum gente confirmat in fide Catholica. Tassilo à Childeberto ordinatus Rex Baioariorum, deuictis Sclauis obtinuit triumphum.

596.	XIII.	V.	IX.	IV.	XXXV.	V.

Agilulfus Rex Langobardorum in Romanos insurgit: sed agente Theudelindâ Reginâ, non multò pòst cum eis fœdus init. Huic Reginæ Gregorius Papa libros Dialogi sui misit. *Sol à mane vsque ad meridiem minoratus est, & vsque ad tertiam sui partem.*

597.	XIV.	VI.	X.	V.	XXXVI.	VI.

Gregorius Papa, quod ipse olim facere intenderat, Augustinum cum alijs destinat ad prædicandum in Anglia. Guntrannus Rex sanctitate clarus dormit in Christo; regnum eius cessit fratrueli eius Childeberto.

598.	XV.	VII.	XI.	VI.	XXXVII.	VII.

Richaredus Rex Vuisigothorum, Regibus Francorum confœderatur, eique soror Childeberti Regis vxor datur. Sanctus Columba Abbas & presbyter, Doctor Scottorum & Pictorum obijt, qui posteris suis multa sanctitatis monumenta reliquit; præterquam quòd, rustica simplicitate, Pascha Dominico die debere celebrari neque didicit, neque docuit. *Marculfus Abbas Baiocassinensis sanctitate claret in Gallia.*

599.	XVI.	VIII.	XII.	VII.	XXXVIII.	VIII.

Edilbertus Rex Anglorum, qui Cantuarij vocantur, prædicante Augustino, cum gente sua, baptizatur. Porrò gens Anglorum, qui Mercij dicuntur, & gens Nordanymbrorum, qui, quòd ad aquilonarem partem Ymbræ fluminis habitent, ita vocantur, sub Regibus Edilfrido & Aëlle nondum audierant verbum vitæ.

Sanctus

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	ANNO CHR.
XVII.	IX.	XIII.	VIII.	XXXIX.	IX.	DC.

Sanctus Goar, veniens ex Aquitania, claret in Gallia. Augustinus ab Ætherio Arelatensi Episcopo consecratur Anglorum Episcopus. Childebertus Rex Francorum moritur, cui Theodebertus & Theodericus, filij eius, subrogantur. 600.

XVIII. X. XIV. IX. XL. X. 601.

Contentio inter Romanam Ecclesiam, & arrogantiam Ioannis Episcopi Constantinopolitani, vniuersalis Patriarchæ nomen sibi vsurpantis, sub Pelagio Papa concepta, & à Gregorio iam inde non leuiter exagitata, non anteà quiescere potuit, quàm Ioannes ipse subita morte obijt. Huni cum Francis fortiter bellát in Thuringia. Fredegundis Regina moritur. Agilulfus Theoderico confœderatur. In Nilo Ægypti flumine visa sunt animalia humanæ formæ, vir scilicet & mulier, vsque ad lumbos super aquam exstantes, qui ab hominibus per Deum adiurati, à manè vsque ad nonam, se videndos præbuerunt.

Lege Baronium.

XIX. XI. XV. X. XLI. XI. 602.

Augustinus Episcopus Anglorum, habitâ synodo cum Brittonum & Scottorum Episcopis, quia sacerdotes & monachos inuenit aduersarios æquitatis, quos voluit habere socios prædicationis, terruit eos vaticinio futuræ super eos calamitatis. Sanctus Columbanus ex Hibernia in Burgundiam venit, ibique permissu Theoderici Regis, cœnobium Luxouium ædificare cœpit.

XX. XII. XVI. XI. XLII. XII. 603.

Mauritius Imperator, se cum suis à Phoca interficiendum diuinitùs prædixit; & malorum pœnitens, ea sibi hic retaliari, per se & per seruos Dei, instanter exposcit. Theodericus Rex auiam suam Brunichildem, ab Austrasijs eiectam, recepit.

XXI. XIII. XVII. XII. XLIII. XIII. 604.

Mauritius Imperator cum vxore & filijs à Phoca perimitur; & imperat Phocas annis VIII. Orientales Angli cum Rege suo Sibergto per Mellitum Episcopum ad Christum conuertuntur.

I. XIV. XVIII. XIII. XLIV. XIV. 605.

Cognitâ morte Mauritij, grassantur per Romanorum prouincias, hinc Persæ, & inde Huni. Lotharius & Theodericus prælio inter se collidunrur: in quo plusquam XXX. millia cæsa referuntur: Theodericus tamen victoria potitur. In hoc prælio angelus Domini, euaginatum gladium super populum tenens, visus est.

Sabi-

ANNO CHR. R. P. F. L. A. VV.

606. II. XV. XIX. XIIII. XLV. XV.

Sabinianus Romanæ Ecclesiæ LXIV. præsidet. *Hoc tempore pauper quidam cùm à nautis eleëmosynam peteret, nec acciperet, dicente nauclero, Desiste eleëmosynam petere à nobis, qui nihil hîc præter lapides habemus: cùm subiecisset pauper, Omnia ergò vertantur in lapides; quidquid manducabile in naui erat, in lapides conuersum est, colore & forma rerum eâdem permanente.* Fame Romam aggrauante, Romani Gregorio Papæ iam defuncto derogantes, quòd thesauros Ecclesiæ, sua nimia liberalitate dissipasset, cùm non adesset persona, in quam exarderent, memoriam nominis eius in libris illius delere volebant; ac per hoc, libros Gregorij Papæ Romanis exurere volentibus, obstitit Petrus Diaconus, prodens se Spiritum Sanctum in columbæ specie super caput Gregorij tractantis sedentem, vidisse sæpiùs, idque confirmans iurisiurandi sacramento, mox moriens, ex condicto fidem fecit suo testimonio. Post Richaredum apud Vuisigothos regnat Bettericus annis VII.

607. III. XVI. XX. XV. XLVI. I.

*Vide Bar. & Onuph. * *Sabinianus Papa, cùm & ipse liberalitati Gregorij, prædecessoris sui, derogaret, & sub hoc obtentu manum egenis subtraheret, Gregorius eum per visum ter pro culpa tenaciæ, & huius derogationis increpatum, quòd non resipisceret, etiam quartò horribiliter increpans, & comminans in capite percussit, quo ille dolore vexatus, paullò pòst mortem obijt.* Post quem, Bonefacius Romanæ Ecclesiæ LXV. præsidet.* *Hic obtinuit apud Phocam Imperatorem, vt Ecclesia Romana caput esset omnium Ecclesiarum: quia Ecclesia Constantinopolitana scribebat se esse primam omnium Ecclesiarum. Hic in concilio septuaginta duorum Episcoporum, decreuit sub anathemate, vt nullus viuente Episcopo ciuitatis suæ, de altero eligendo audeat loqui, aut partes sibi facere, sed tertio die depositionis eius, fiat licenter à clero & populo, electio sacerdotis.* Theodericus & Theodebertus fratres & Reges, Vuascones sibi subiugant.

Vide Baronium To. VIII. Annal. ad an. Christi 606. in princ. & Bellarminum in Controuersijs.

608. IV. XVII. XXI. XVI. XLVII. II.

Corpus sancti Victoris Thebæi, apud Salodorum cum sancto Vrso passi, inuenitur. Secundus famulus Dei in Italia claret. Desiderius Viennensis Episcopus à Theoderico exsiliatur. Augustinus primus Anglorum Episcopus moritur, eique Laurentius substituitur. *In castro Gandæ ecclesia ædificatur.*

Ex ms. Lips.

609. V. XVIII. XXII. XVII. XLVIII. III.

Bonefacius Romanæ Ecclesiæ LXVI. præsidet. Hic pantheō Romæ à Phoca impetratum, vertit in ecclesiam sanctæ Mariæ, & sanctorum martyrum, & in Kalendis Nouembris ibi instituit solennitatem omnium * Sanctorum.

* *Confer Martyrol. Rom. die 1. Nou.*

Persæ

R. P. F. L. A. VV. ANNO CHR.

VI. XIX. XXIII. XVIII. XLIX. IV. DC.X.

Persæ Romanorum prouincijs grauiter incubant. Agilulfus Langobardorum Rex Mantuam, Cremonam & aliqua Italiæ castella capit. *Blandinium monasterium ædificatur in Gandauo.* 610. Ex ms. Lipſ.

VII. XX. XXIV. XIX. L. V. 611.

Alexandriæ Ioannes Episcopus claruit, qui ob eximiam in Christum liberalitatem, nomen Eleëmosynarij meruit.

VIII. XXI. XXV. XX. LI. VI. 612.

Heraclius ad Imperium electus, Phoca peremto & cremato ignibus, regnauit annis XXXI. Desiderius Viennensis Episcopus, consilio Brunichildis, à Theoderico Rege lapidibus obrutus, martyrizatur.

I. XXII. XXVI. XXI. LII. VII. 613.

Persæ à Romanorum insecutione non desistunt. Betterico Vuisigothorum Rege mortuo, Sisebodus regnat annis XXIX. * *Virtus & nomen sancti Ioannis Baptistæ miraculis declaratur, apud vrbem Galliæ Mauriennam, de reliquijs corporis ipsius hoc modo diuinitus illustratam. In ea olim mulier, sancto Baptistæ nimis deuota, expetebat ab eo donari sibi aliquid de membris eius, & in hac orandi instantia, per triennium persistens, cùm alter quiuis iam posset desperare, ipsa spem in Deo ponens iurauit, se non manducaturam, donec quod petebat, acciperet. Et sic septem diebus ieiunans, septima tandem die, desuper altari pollicem miri candoris apparere videns, læta Dei donum accepit. Ad quod adorandum tres Episcopi venientes, cum de hoc sancto pignore partem elicere vellent, tres sanguinis guttas ex eo stillare in linteo supposito stupuerunt, & singuli singulas se meruisse lætati sunt.*

* Vide Baronij Notas ad Martyrol. Rom. 29. Aug.

II. XXIII. XXVII. XXII. LIII. I. 614.

Deusdedit Romanæ Ecclesiæ LXVII. præsidet. Hic constituit secundam Missam in clero. *Hic etiam secundùm instituta maiorum suorum decreuit, vt si qui viri vel mulieres, suos ipsi filios, quocumque modo de sancto lauacro susceperint, separentur ab inuicem, vel si quis vir commatrem suam, vel si qua mulier compatrem suum à primo dono spiritus sancti, in coniugium duxerit, separentur: mulier tamen maritalem dotem recipiat, & post expletum annum, alteri, si vult, nubat.* Sanctus Columbanus à Theoderico Rege, instinctu Brunichildis auiæ, expellitur Franciâ. Qui pòst, relicto Gallo discipulo suo in Alemannia, cœnobium Bobium construxit in Italia. Sanctus Amandus Elnonensis per Gallias miraculorum & prædicationis gratia clarescebat. * Allouuinus etiam, qui & Bauo, per eum ex prædone conuersus, & Gandaui solitariè inclusus, sanctitatis exemplum erat omnibus.

* Ita ms.

H Edil.

ANNO CHR.	R.	P.	F.	L.	A.	VV.
615.	III.	XXIV.	XXVIII.	XXIII.	LIV.	II.

*Ita mss. Edilfridus Rex * Nordanymbrorum, Regem Scottorum Ean, cum omnibus pænè suis in bello exstinguit. Hæc calamitas Scottis contigit secundùm vaticinium Augustini Episcopi, qui interminatus est Scottos ab Anglis fore perimendos, qui Anglos ad vitam æternam conuerti ægrè ferebant: in monachos quoque Scottorũ, Augustino rebelles, irâ Dei sæuiente, qui cum Rege suo ad hoc bellum ex more euntes, vt Rege armis pugnante, ipsi orando pro eo pugnarent, peremti sunt ab Anglis mille ducenti, tantùm quinquaginta per fugam elapsis. Glodesindis Mettensis claret, quæ sponsum fugiens, velamine capitis misso sibi à Deo per Angelum, se & sua Deo delegauit.

616.	IV.	XXV.	XXIX.	XXIV.	LV.	III.

Persæ Syriam incursantes, Damascum capiunt. Edilbertus Rex Cantuariorum obit: post quem Ealdbald filius eius annis XXV. regnauit. Radauld autem Rex Orientalium Anglorum, Edilberto mortuo, illam super Anglos regnandi potentiam quartus accepit, vt sub nutu eius alij Anglorum Reges regnarent. Edilfrido quoque Nordanymbrorum Rege à Radualdo Rege peremto, Eduinus regnum Nordanymbrorum suscepit. Huni Langobardos in Italia debellant, & Forum Iulij proditione captum, dissipant. Sanctus Lupus Senonensis Episcopus claret, cui aliquando Eucharistiam consecranti, gemma de cælo à Deo in calice descendit.

617.	V.	XXVI.	XXX.	XXV.	I.	IV.

A Persis Palæstina bello premitur. Sancta quoque ciuitas capitur, in ea vsque XC. millia virorum perimuntur. Zacharias Patriarcha captiuatur, crux ipsa dominica sancta asportatur. Inter fratres Theodericum & Theodebertum Reges, instinctu auiæ eorum Brunichildis, plusquam ciuile bellum oritur, pugnâque commissâ, post inæstimabilem stragem, Theodebertus capitur. Per Ealdbaldum & filios Sibergti, ad idololatriam Angli reuoluuntur. Agilulfo Langobardorum Rege mortuo, Adaloaldus filius eius regnat annis XII.

618.	VI.	XXVII.	XXXI.	I.	II.	V.

Bonefacius Romanæ Ecclesiæ LXVIII. præsidet. Hic decreuit vt nullus trahatur violenter de Ecclesia. * *Hic decreuit, vt monachi in officio sacerdotalis gradus, vtantur potestate ligandi atque soluendi.* Theodericus Rex Francorum moritur. Ealdbaldus Rex idololatriæ abrenuntiat. Lotharius Rex filios Theoderici Regis in bello captos occidit. Brunichildem quoque Reginam vno pede & brachio multatam, ad caudam equæ indomitæ religatam, membratim discerpi fecit: imputans ei, quòd decem Reges per eam fuissent exstincti,

Consule Baronium & alios Pontificiæ historiæ scriptores.

R.	P.	F.	L.	A.	VV.	ANNO. CHR.

stincti, & sic monarchia regni Francorum ad eum redit. Eleutherius Patricius, affectans Romanorum imperium, Romæ perimitur. Hoc tempore terræ motus maior mense Augusto, & secuta est clades in populo, percussio scilicet scabierum, ita vt nullus posset agnoscere mortuum suum. Ioannes Eleëmosynarius obit. *Persæ Ægyptum incursantes, Alexandriam capiunt.* * *Sancto Amando Elnonem migrante, Florbertus Abbas ordinatur.* * Ex ms. Lips.

VII.	XXVIII.	XXXII.	II.	III.	VI.	619.

Persæ Libyam incursantes, Carthaginem capiunt. Lotharius Rex tributum XII. millium solidorum, quod Langobardi Francis soluerant, relaxat, Langobardis perpetuò sibi confœderatis. Laurentius, secundus Anglorum Episcopus, obijt.

VIII.	XXIX.	XXXIII.	III.	IV.	IX.	DC. XX.

Choſdroë Rex Persarum pacem cum Romanis facere nullo modo admittit. Anastasius Persa, ex mago Christianus & monachus, à Persis captus, post verbera, vincula & carceres, post diutinam appensionem per vnam manum, tandem abscisso capite, cum alijs LXX. martyrizatur. *Virgo Christi Fara claret in Francia. Eius etiam sanctitatem imitatus frater eius Faro, ex Comite clericus, & ex clerico Meldensium Episcopus claret.* 620.

IX.	XXX.	XXXIV.	IV.	V.	VIII.	621.

Sisebodus Rex Vuisigothorum, contra Romanos fortiter agit: Prouinciam, aliasque ciuitates a Francis extortas, ad Vuisigothorum ius redigit.

X.	XXXI.	XXXV.	V.	VI.	IX.	622.

Honorius Romanæ Ecclesiæ LXIX. præsidet. Sanctus Columbanus obit. Discipulus eius Gallus in Alemannia claret.

XI.	XXXII.	XXXVI.	VI.	VII.	X.	623.

Choſdroë successu elatus, in effusione humani sanguinis, & maximè Christianorum, vltra modum grassatur. Heraclius Imperator Hunis confœderatur.

XII.	XXXIII.	XXXVII.	VII.	VIII.	XI.	624.

Heraclius ad Persas debellandos proficiscens, virilem Dei figuram in manibus accipiens, quam manus non depinxerunt, sed in icona Verbum, quod omnia format, atque componit, sine pictura formam, velut sine semine partum, eduxit, Persidem aggreditur, eamque per sex continuos annos potenter depopulatur. Eustasius Abbas Luxouiensis, & Attila Bobiensis post Columbanum clarent. *Confer Baron. Annal. To. 8. ad annum Christi 622.*

R. P. F. L. A. VV. ANNO CHR.

Chadigam, primò vt mercenarius, deinde vt sponsus se coniungens, per eam ditatus est. Quæ cùm ægrè ferret, illum epileptico morbo vexari, ille dicebat, hoc non esse morbum, sed visionem archangeli Gabrielis se interim videre, & quia aspectum eius ferre non posset, mente defectâ cadere. Hic communicabat Christianis & Iudæis, ex eorum scripturis suam pseudoprophetiam in aliquibus confirmans. Hic docebat, quòd hi qui inimicum occidunt, vel ab inimico occiduntur, paradisum ingrediantur. Paradisum verò esse carnalis cibi ac potus; ibique esse fluuium vini, lactis ac mellis, & mixturam feminarum non præsentium, sed aliarum multo tempore futuram & affluentem voluptatem, & multa huiusmodi. Hic est Muhammad, cui gentiles adhuc cultum deitatis exhibent. Hic in regno Saracenorum quattuor Prætores statuit, qui Amirei vocabantur. Ipse verò Amiras dicebatur, vel Protosymbolus. Dagobertus Rex Saxonibus bello concurrit; cui pater Lotharius Rex accurrens auxilio, interfecto Bertaldo Duce Saxonum, victoriam obtinuit, & peruagans omnem Saxoniam, nullum omnino Saxonū, mensuram gladij sui excedentem, dimisit viuentem.

XIX. XL. XLIII. I. XV. XVIII. 631.

Heraclius Imperator, Perside deuictâ, Zachariam Patriarcham, cum captiuorum populo, Hierusalem reducit; & sanctam crucem Domini reportans, cùm regio schemate ornatus portam vellet intrare, per quam IESVS *ad crucem subeundam exiuit, porta diuinitus clausa est, eique rursum ad monitum Angeli humiliato & discalceato porta vltrò aperta est; & ita cruce relatâ, celebritatem Exaltationis eius annuatim dedicauit.* Apud Persas Hormisda regnat annis X. sub Saracenis. Lothario mediano Francorum Rege mortuo, Dagobertus filius eius regnat post eum, annis XIV.

XX. XLI. I. II. XVI. XIX. 632.

Saraceni, qui hactenus fuerant sub Persarum regno, eos bello victos, versâ vice, sub suo redigunt dominio. Ab hinc pro regno Persarum, titulandum est regnum Saracenorum. Mahammad, Amiras Saracenorum moritur. Post quem Ebubeher tribus annis principatur. Terræ motus factus est, & per triginta dies apparuit in cælo signum in modum gladij, portendens imminentem Saracenorum potentatum. Eduinus Rex Nordanymbrorum à Penda & Ceduala Rege Brittonum perimitur, & fides Christi in Anglia concutitur.

XXI. I. II. III. XVII. XX. 633.

Seuerinus Romanæ Ecclesiæ LXX. & post eum Ioannes LXXI. præsidet. Heraclius Imperator incidens in hæresim Monothelitarum, vnam operationem in Christo credentium, confudit Ecclesiam & Imperium; contrà malitiam eius pugnante perturbatione omnium rerum. Inter Romanos & Sara-

ANNO CHR.	R.	Sarac.	F.	L.	A.	VV.

Saracenos bellum implacabile oritur, hac de caussa; quia cùm quidam spado
alia mss. Imperatoris Heraclij distribueret * rogas militibus, cùm inter alios etiam Saraceni sub Imperatore militantes, venissent ad accipiendam rogam, spadone indignanter eis dicente, Vix sufficit Imperator dare militibus rogas, quantò magis canibus istis, illi dolore & pudore incitati, totam Saracenorum gentem ad rebellandum incitant. Amirei Saracenorum Romanos aggrediuntur, & cum multis tres Amirei à Romanis perimuntur. Sigibertus infans, filius Dagoberti Regis, à sancto Amando baptizatur: vbi tacentibus cunctis ipse infans XL. dierum, Amen, respondit, & Amandus Traiectensium Episcopus ordinatur. *Sanctus Liuinus Episcopus in Brachbanto ab impijs occiditur.*

934.	XXII.	II.	III.	IV.	XVIII.	XXI.

Romani & Saraceni vario euentu confligunt. Successores Eduini Regis ad idololatriam reuoluti, mox sunt à Ceduala Rege peremti. *Dagobertus Rex Sclauos bello deuincit.*

635.	XXIII.	III.	IV.	V.	XIX.	XXII.

Ebubeher Amiras moritur, post quem Haumar annis XII. principatur. Saracenis Syriam infestantibus, Heraclius crucem sanctam Domini ab Hierusalem Constantinopolim transtulit. Osvvaldus filius Edilfridi Regis, regno Nordanymbrorum post Eduinum suscepto, Cedualam Regem Brittonum perimit, & quia fidem Christi tenuit, super omnes Britanniæ Reges eminuit: & quattuor linguarum gentes, Pictos, Scottos, Brittones & Anglos sub ditione accepit. Aidan Episcopus, sancti Columbæ discipulus, à Scottia veniens, apud Anglos clarebat sanctitate & doctrina. *Dagobertus Rex Vuascones bello deuincit.*

636.	XXIV.	I.	V.	VI.	XX.	XXIII.

Theodorus Romanæ Ecclesiæ LXXII. præsidet. Saraceni, captá Damasco, Phœnicem & Ægyptum occupant.

637.	XXV.	II.	VI.	VII.	XXI.	XXIV.

Florebant in Francia hoc tempore tres fratres Ado, Rado, Dado, qui & Audoënus dictus est; qui *suam erga Deum deuotionem ostenderunt, singuli singula cœnobia fundando. Ex quibus Dado fuit Referendarius Dagoberti Regis. Referendarius autem dicebatur, ad quem publicæ conscriptiones referebantur, vt per eum anulo seu sigillo Regis confirmarentur. Hos ad hoc animarat Eligius aurifex, iam dudum in aula Regis Lotharij clarus, qui etiam ex dono Dagoberti Regis,* Solemniacum monasterium construxit, vbi sanctus Remaclus ab Aquitania veniens, se in Christi tirocinio sub eo exercendum dedit. Sancta Aurea claruit, quam Eligius, monasterio virginum, à se Parisius constructo, præfecit.

Sanctus

R. S. F. L. A. VV. ANNO CHR.

Sanctus verò Dado cœnobium, intra Briegensem saltum construxit, quod Resbacis dicitur, in quo sanctum Agilum primum Abbatem præfecit.

XXVI. III. VII. VIII. XXII. XXV. 638.

Sanctus Amandus, Tungrensi Episcopatu posthabito, verbi instat officio. Sub hoc sanctus Landoaldus floruit, qui filium Apri viri illustris * Lambertum, pòst Episcopum & martyrem futurum, à puero imbuens, in viam Dei induxit. Saraceni Hierusalem biennio obsessam, capiunt. Romaricus Abbas, & Goericus Mettensium Episcopus, clarent.

* *In mss. nunc* Lãbertus, *interdum* Lantbertus.

XXVII. IV. VIII. IX. XXIII. XXVI. 639.

Saraceni Syriam occupant. Iudæi in Hispania Christiani efficiuntur. Sisibutus enim Gothorum Rex gloriosissimus, plurimas in Hispania prouincias Romanæ militiæ vrbes sibi bellando subiecit, & Iudæos in suo regno ad fidem Christi conuertit. * *Obijt sanctus Florbertus Abbas: cui successit Ioannes Abbas.*

* *Ex ms. Lips.*

XXVIII. V. IX. X. XXIV. XXVII. DC.XL.

Sanctus Arnulfus, ex Maiore domus, Mettensium Episcopus, & ex Episcopo solitarius, dormit in Christo. Clodulfus filius eius, pòst Mettensis Episcopus, sanctitatem patris imitatur. Doda mater ipsius Clodulfi, Treuerris reclusa, Christo ancillatur. Saraceni Antiochiam capiunt. Dagobertus Rex Sigibertum filium suum Austrasijs Regem mittit, sub tutela Pipini & Chuniberti Episcopi. Ealdbaldo Anglorum Rege mortuo, Earcombertus filius eius post eum regnauit annis XXIIII. Hic in Anglia primus idola Deorum destruxit, & fidem Christi dilatauit, & ieiunium Quadragesimæ in Anglia legaliter obseruari edixit. * *Monasterium sancti Petri in Sithiu ædificatur.* 640,

* *Ex ms. eodem.*

XXIX. VI. X. XI. I. XXVIII. 641.

Saraceni Persis iterum bello victis, fugato Rege eorum Hormisda, totam Persidem sibi subiugant.

XXX. VII. XI. XII. II. XXIX. 642.

Heraclius Imperator moritur. Constantinus filius eius substituitur, & quarto mense imperij sui, à nouerca sua Martina, & Pyrrho Patriarcha veneno exstinguitur, & Martina, cum filio suo Heraclona, imperium arripit. Silebodo Vuisigothorum Rege mortuo, Suitilan succedens regnat annis II. Dagobertus, Saxonibus contra Vuinidos sibi auxiliantibus, annuum IↃ. vaccarum tributum eis indulget.

Hera-

ANNO CHR.	R.	S.	F.	L.	A.	VV.
643.	I.	VIII.	XII.	XIII.	III.	I.

Heraclonas, absciso sibi naso, & Martina mater eius, abscissâ linguâ, exsiliantur. Et Constans, qui & Constantinus dicitur, filius Constantini, regnauit annis XXVI. Osvvaldus Rex Nordanymbrorum à Penda Merciorum Rege perimitur: cuius filius Osvvi regnat post eum annis XXVIII. Dagobertus Vualcones subigit. Iudacail Rex Brittonum gratiam eius sibi redimit. *Virgo Christi Reginulfa sanctitate claret in Gallia.*

644.	I.	IX.	XIII.	XIV.	IV.	II.

Haumar Amiras templum sibi Hierusalem ædificat. Et quia nullo modo structura consistere poterat, suggestione Iudæorum, crucem desuper montem Oliueti tolli imperat, & sic structura templi stare potuit. In Hispanijs Suintilane ob crudelitatem suam à Vuisigothis reprobato, Sisenandus, per auxilium Dagoberti, sublimatus in regnum, regnat annis XX. *Sanctitate florent Rictrudis Marchianensis, & eius filiæ Eusebia & Clotsendis; Gertrudis Hamaticensis, & Berta Blangiacensis.*

645.	II.	X.	XIV.	XV.	V.	I.

Dagobertus Rex Francorum moritur, de quo per visionem cuidam reuelatum est, quòd anima eius ad iudicium Dei rapta sit, & multis Sanctis contra eam, pro exspoliatione suarum ecclesiarum, reclamantibus, cùm eam iam mali angeli vellent ad pœnas inferni rapere, interuentu sancti martyris Dionysij Parisiensis, cui ipse maximè deuotus fuerat, à pœnis liberata est. Clodoueus filius Dagoberti regnauit post eum annis XVII. Sigiberto fratre eius iam regnante in Austria. *Huius Clodouei Maior domus fuit Erchanoaldus, qui fuit frater Adalbaldi Ducis, mariti Rictrudis Marchianensis.*

* Ex ms. Lips.

646.	III.	XI.	I.	XVI.	VI.	II.

Rotharith Langobardorum Rege mortuo, Rodoaldus filius eius regnat annis V. Sanctus Remaclus ordinatur Traiectensium Episcopus. *Modoaldus frater Ittæ, & auunculus sanctæ Gertrudis, Archiepiscopatum Treuerensem doctrina & sanctitate sua illustrat. Soror quoque eius Seuera Abbatissa, in eadem vrbe à fratris sanctitate non degenerat.*

647.	IV.	XII.	II.	I.	VII.	III.

Persa quidam simulans se velle adorare Haumar Amiram Saracenorum, infixo in ventrem eius gladio, peremit eum, cui Hotmen substitutus, annis X principatur. Pipinus Maior domus moritur. Grimoaldus filius eius in aula Sigiberti Regis potenter principatur.

Saraceni

R.	S.	F.	L.	A.	VV.	ANNO CHR.
V.	I.	III.	II.	VIII.	IV.	648.

Saraceni Africam occupant. Sanctus Furseus in Hibernia claruit, qui peregrinationem pro Christo aggressus, ad Gallias vsque peruenit, *& à Clodoueo Rege honorificè susceptus, Latiniacum cœnobium fundauit.* Quem non multò pòst fratres sui Foillanus & Vltanus, pari peregrinandi voto secuti, per Gallias claruerunt. Ex quibus Foillanus, dono Gertrudis virginis, Fossense monasterium postea fundauit, vbi etiam martyrio coronatus, quiescit. Martinus Romanæ Ecclesiæ LXXIII. præsidet. Sigibertus Rex Radulfo Turingorum Duci bello concurrit.

VI.	II.	IV.	III.	IX.	V.	649.

Eligius Nouiomi, Audoënus, qui & Dado, Rotomagi clarent Episcopi, & Philibertus & Richarius Pontiuensis Abbates. Ansigisus etiam, filius sancti Arnulfi, clarebat, cui Begga soror Grimoaldi nupserat.

VII.	III.	V.	IV.	X.	VI.	DC. L. 650.

Itta relicta Pipini, instinctu sancti Amandi, se & sua Deo deuouens, monasterium Niuialense fundauit, eique filiam suam Gertrudem, Deo dignam virginem, præfecit. Autbertus Cameracensis Episcopus claret.

VIII.	IV.	VI.	V.	XI.	VII.	651.

Rodoaldo Langobardorum Rege peremto, Aripert regnat annis IX. Rex Sigibertus de posteritate prolis desperans, duodecim monasteria hinc inde Deo construxit, in quibus Stabulaus & Malmundarium eminebant, cooperante sibi in his Maiore domus Grimoaldo, & Traiectensium Episcopo Remaclo. Qui Remaclus non multò pòst pertæsus sæcularium tumultuum, in ipso Stabulaus monachicæ vitæ assumsit habitum; *cui successit in pontificali regimine sanctus Theodardus.* His diebus multi vtriusque sexus in Gallijs claruerunt, qui ad testimonium sanctitatis suæ, in ædificandis Deo monasterijs operam suam nauauerunt. Ex his in nostra vicinia tunc florebant Landelinus, qui & Morosus, ab Autberto Episcopo ex prædone ad Christum retractus, fundator cœnobij Lobiensis; Gislenus Cellensis, Madelgarius Dux, qui & Vincentius Altimontensis & Sonegiensis, eiusque coniux Vualdetrudis Castrilocensis, sororque VValdetrudis, Aldegundis Melbodiensis. Trudo etiam Hasbaniensis in tironem Christi adolescebat. Præter hos & alij * multi de Anglia vel Scottia in Gallijs peregrinantes, verbum Dei seminabant, multumque fructum Deo faciebant, scilicet Etto, Bertuinus, Eloquius. Cœnobium Floriacense à Leodeboldo Abbate fundatur, & nō multò pòst* corpus sancti Benedicti Abbatis, ab Agiulfo monacho à castro Casino delatum, illuc transportatur. Corpus verò sororis eius sanctæ Scholasticæ Cenomani transfertur.

**Inter alios fuere SS. Adalgisus, Mõbulus, Vuasnulfus & Autbodus.*

** Vide Baronium ad an. 664. Ioannem à Bosco in Biblioth. Floriacẽsi & Arn. Vuionem in Ligno vitæ.*

ANNO CHR. R. S. F. L. A. VV.

652. IX. V. VII. I. XII. VIII.

Constantinus Imperator à Paullo Constantinopolitano deceptus, exposuit typum contra fidem Catholicam, nec vnam, nec duas voluntates aut operationes in Christo definiens esse confitendas: quasi nihil velle vel operari credendus sit Christus. Ob hoc Martinus Papa, congregatâ Romæ CV. Episcoporum synodo, anathematizauit hæreticos Cyrum, Sergium, Pyrrhũ, Paullum quoque præsentis persecutionis incentorem, Ecclesiam aperta & occulta infestatione vexantem. Sigibertus Rex Hildebertum, filium Grimoaldi Maioris domus, adoptat in filium & in regnum.

653. X. VI. VIII. II. XIII. IX.

Iudochus Regis Brittonum filius, spreto regno & mundo, peregrinus & eremita, in pago Pontiuo requieuit in Christo. Constantinus Imperator, misso Exarcho ad Italiam, impugnat Dei Ecclesiam.

654. XI. VII. IX. III. XIV. X.

Ignis de cælo cecidit, & timor magnus super homines venit, pestilentia grauissima tribus æstiuis mensibus grassata est; cunctis visibiliter apparente, bonum & malum angelum noctu ciuitatem circuire, & quoties iussu boni angeli malus angelus venabulo, quod manu ferebat, ostium cuiusque domus percussisset, tot ex eadem domo sequenti die interibant. *Hoc tempore sanctus Foillanus Fossensis martyrizatur.*

655. XII. VIII. X. IV. XV. XI.

Saraceni, captâ Rhodo, famosum eius colossum euerterunt: ex cuius ære DCCCC. cameli onerati sunt.

656. XIII. IX. XI. V. XVI. XII.

Constantinus Imperator, Saracenis nauali pugna congressus, ignominiosè vincitur. Sigibertus Rex Austrasiorum moritur, Dagoberto filio suo admodùm paruulo, fidei Grimoaldi commendato, vt in regnum eius auxilio promoueatur. Osvvi Rex Nordanymbrorum, facto Deo cæli voto, Pendæ Merciorum Regi concurrit, cum exercitu non multo, & inter nimiam Merciorum stragem, ipsum Regem Pendam perimit: gentemque Merciorum ad Christum conuerti fecit. Pictos quoque regno Anglorum subdidit.

657. XIV. X. XII. VI. XVII. XIII.

Olympius Exarchus ad regendam Italiam, ab Imperatore Constantino missus, & Martinum Papam occidere iussus, cùm aliter non posset, tractauit, vt inter Missarum solennia, cùm sibi ipse Papa sanctam communionem porrigeret, illum spatarius suus perimeret. Sed spatarius horâ sanctæ communio-

R. S. F. L. A. VV. ANNO CHR.

munionis, Papam nullo modo videre potuit. Exarchus verò paullò pòst in Sicilia à Saracenis turpiter victus, turpiùs perijt. Hotmen Amira Saracenorũ perẽto, Muhauias ex Amireo Amiras factus, principatur annis XXIV. Grimoaldus Maior domus, domino suo Dagoberto, Sigiberti filio, attonso, & per Didonem Pictauensem Episcopum in Scottiam directo, Hildebertum filium suum facit Austrasiorum Regem.

XV. I. XIII. VII. XVIII. XIV. 658.

Franci dolentes super infidelitate Grimoaldi, contra filium Sigiberti, captum eum præsentant Parisius iudicio Clodouei, quem Clodoueus vinculatum amarâ in carcere fecit morte consumi, filiumque suum iuniorem Hildricum, Regem fecit Austrasiorum. Obijt Itta mater sanctæ Gertrudis. Theodardo Episcopo martyrizato, sanctus Lambertus filius Apri Comitis, Episcopatum Traiectensem illustrat, gloria nobilitatis, & gratia sanctitatis. *Atrebatis dum corpus sancti Vedasti transferretur ab * Autberto Episcopo, præsentibus Lamberto Tungrensi, & Audomaro Taruanensi, alijsque sanctis Episcopis & Abbatibus, Audomarus, qui præ senio cæcus erat, dum precibus præsentium Episcoporum, & meritis sancti Vedasti illuminatus esset, ægrè ferens se liberatum esse à cæcitate, quam pro salute sua sibi à Deo immissam esse gaudebat, rursus ad votum suum excæcatus est. Obijt Ioannes Abbas Blandiniensis: cui successit Baudemundus.*

* Sic Aquic. & Ortel. codices. In Gembl. & Lips. legitur, Vindiciano.

XVI. II. XIV. VIII. XIX. XV. 659.

Martino Papa pro confessione fidei, iussu Constantini exsiliato, ibique defuncto, Eugenius LXXIV. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Constantinus Sclauiam sibi subigit.

XVII. III. XV. IX. XX. XVI. DC. LX.

Muhauias Saracenorum Amiras, cum Constantino Imperatore firmat pactum, vt Saraceni Romanis soluant tributum, scilicet per singulos dies numismata mille, & seruum & equum. Clodoueus Rex corpus sancti Dionysij Parisiensis discooperiens, minùs religiosè, licet cupidè, os brachij eius fregit, & rapuit, moxque in amentiam perpetuã incidit. Aripert Langobardorum Rege defuncto, Godebertus & Bertarith filij eius, annũ agunt, non tam in regno componendo, quàm de regno contendendo. 660.

XVIII. IV. XVI. I. XXI. XVII. 661.

Vitalianus LXXV. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Obijt sanctus Amandus Elnonensis. Constantinus Imperator Theodosium fratrem suum occidit. Grimoaldus, Dux Taurinatum, Godebertum, filium Aripert Regis Langobardorum, dolo perimit, & eius regnum arripit, sororemque Godeberti vxorem ducit, regnauitque annis IX. *Sanctus Niuardus Remensis Archiepi-*

ANNO CHR.	R.	S.	F.	L.	A.	VV.

scopus, & Reolus successor eius, Bercharius quoque martyr, qui fuit Abbas primus Autuillarensium; sancta etiam Berta, martyr & Abbatissa, sanctitate clarent in Francia.

662.	XIX.	V.	XVII.	I.	XXII.	XVIII.

Constantinus Imperator Italiam petit, multasque Langobardorum vrbes capit, Beneuentum obsidet, ibique Grimoaldus Rex exercitum eius grauiter atterit. Clodoueus Rex Francorum obijt, & Lotharius filius eius succedit, & IV. annis regnat. Huius Maior domus, post Erchanoaldum, fuit Ebroinus. * Balthildis Regina, mater Lotharij, Corbeiam & Chalam monasteria Deo construxit. Abhinc Francorum Regibus, à solita fortitudine, & scientia degenerantibus, regni potentia disponebatur per Maiores domus, Regibus solo nomine regnantibus; quibus moris erat principari quidem secundùm genus, & nil agere, vel disponere, quàm irrationabiliter edere & bibere, domique morari, & Kalendis Maij præsidere coram tota gente, & salutare, & salutari, obsequia & dona accipere, & rependere, & sic secum vsque ad alium Maium habitare. * *Sanctus Lambertus monachus efficitur.*

Ita mss. — * *Ex ms. Lips.*

663.	XX.	VI.	I.	II.	XXIII.	XIX.

Constantinus Imperator Romam venit; de qua omnibus pænè, quæ ad ornatum vrbis erant, ablatis, ad Siciliam vadit.

664.	XXI.	VII.	II.	III.	XXIV.	XX.

Constantinus Imperator Imperium in vrbem Romam transferre nititur, sed à Constantinopolitanis ei resistitur. In Anglia inter Anglos & Scottos magna de obseruatione paschæ fit desceptatio, mediante Osvvi Rege glorioso, qui etiam assensus est Anglis, pascha celebrantibus more Romano. Sisenando Vuisigothorũ Rege mortuo, regnat Chintilan annis XVI. Obijt sancta Gertrudis * Niuialensis.

Ita mss.

665.	XXII.	VIII.	III.	IV.	XXV.	I.

Obijt sanctus Eligius Nouiomensis Episcopus. Earcombert Rex Anglorum obijt, & filius eius Egbert regnat post eum annis IX. *Sanctus Vuandregisilus obijt, cui successit Lambertus.*

Ex ms. eodem.

666.	XXIII.	IX.	IV.	V.	I.	II.

Lotharius Rex Francorum moritur. Theodericus frater eius ab Ebroino Maiore domus in regnum sublimatur.

667.	XXIV.	X.	I.	VI.	II.	III.

Theodericus Rex propter insolentias Ebroini à Francis repudiatur, & frater eius Hildricus, qui in Austria regnabat, à cunctis ad regnandum euocatur.

R. S. F. L. A. VV. ANNO CHR.

catur. Porrò Theodericus & Ebroinus tonsurantur, & Theodericus Parisius in cœnobio sancti Dionysij, Ebroinus in Luxouio, relegantur. Hildrici Maior domus erat Vulfoaldus. Hic in parochia Virdunensi, supra Mosam, cœnobium S. Michaëlis archangeli fundauit.

XXV. XI. I. VII. III. IV. 668.

Theodorus Archiepiscopus & Adrianus Abbas, à Vitaliano Papa in Angliam diriguntur.

XXVI. XII. II. VIII. IV. V. 669.

Constantinus Imperator, qui & Constans, omnibus suis exosus, Syracusis à suis in balneo est occisus. Mizius quidam in Sicilia tyrannidem meditatus, mox exstinguitur. Constantis filius Constantinus post patrem imperat annis XVII.

I. XIII. III. IX. V. VI. DC.LXX

Adeodatus LXXVI. Romanæ Ecclesię præsidet. Osvvi Nordanymbrorum Rege defuncto, Egfridus filius eius regnat annis XV. Grimoaldus Rex Langobardorum, cùm nono die post phlebotomum, accepto arcu columbam percutere nisus esset, vena brachij eius disrupta est, & superponentibus ei medicis venenata medicamina, defunctus est. At Pertarith, filius Ariperth Regis, diuinitus à peregrinatione reuocatus, & à Langobardis in regnum relocatus, regnauit annis XVIII. *Hoc tempore claruit sanctus Praiectus Aruernensis ciuis & Episcopus, qui etiam martyrizatus est ab ipsius vrbis primoribus, in vltionem Hectoris Massiliensium patricij, ab Hildrico Francorum Rege peremti, propter iniustitias Aruernensi Ecclesiæ ab eo illatas. In territorio Cameracensi, virgo Dei Maxelendis, pro voto virginitatis, Harduinum amatorem suum fugiens, ab eo martyrizatur. Qui mox excæcatus, post triennium ab ea illuminatur.* 670.

Ita mss. rectius phlebotomiam.

II. XIV. IV. I. VI. VII. 671.

Constantinus Imperator fratres suos habens suspectos, ne conregnarent, nasos eorum abscidit. Hoc tempore quidam in Britannia à morte resurgens, multa, quæ vidit de locis pœnarum, & purgatorij ignis loco, enarrauit.

III. XV. V. II. VII. VIII. 672.

Saraceni Italiã inuadũt, & omnibus direptis Alexandriã redeunt. *Amatus Episcopus Senonensis à Rege Theoderico, graui & irreuocabili exsilio diu tribulatur.*

IV. XVI. VI. III. VIII. IX. 673.

Egberth Rex Anglorum obijt. Cui Lothere frater eius succedens regnauit annis XII. *Iris apparuit in cælo mense Martio, & tremuit omnis caro, ita vt omnes dicerent, quòd consummatio esset.*

ANNO CHR.	R.	S.	F.	L.	A.	VV.
674.	V.	XVII.	VII.	IV.	I.	X.

Theodorus in Anglia synodo habitâ, constituit multa Ecclesiæ vtilia. Hic Theodorus scripsit pœnitentialem librum, mirabili & cauta discretione distinguens modum singularum culparum. * *Sanctus Ansbertus Abbas efficitur.*

* Ex ms. Lips.

675.	VI.	XVIII.	VIII.	V.	II.	XI.

* Stolus Saracenorum contra Constantinopolim applicuit: qui dum per aliquot annos Christianis inaniter concurrissent, in redeundo ex multa parte demersi interierunt.

* Ita ms.

676.	VII.	XIX.	IX.	VI.	III.	XII.

Hildricus Rex leuitate morum accendit in se odia Francorum. Sanctus Leodegarius Augustidunensis Episcopus, ab eo in Luxouio retruditur. In Italia tantæ pluuiæ & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum memorat, vt etiam homines & peculia fulgure interirent. Et nisi per litanias, quas quotidie faciebant, Dominus esset propitiatus, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere; in tantum vt ex ipsis pluuijs denuò legumina renascerentur, & ad maturitatem deuenirent.

677.	VIII.	XX.	X.	VII.	IV.	XIII.

Donus Romanæ Ecclesiæ LXXVII. præsidet. Saracenis & Arabibus cum Romanorum exercitu congressis, occiduntur Saracenorum XXX. millia. Ab Augusto per tres menses stella radijs cælos penetrans, à parte Oriẽtis, à galli cantu vsque in manè apparebat, & maxima mortalitas à parte Orientis, subsecuta est.

678.	IX.	XXI.	XI.	VIII.	V.	XIV.

Callinicus architectus ab Heliopoli Syriæ ad Romanos confugit, ignemq. marinum adinuenit: quo vsi Romani naues Saracenorum exusserunt, & vnà cum animabus prorsus incenderunt, & ita victoria potiti sunt. *Sanctus Ansbertus Rotomagensis Episcopus ordinatur.*

* Ex ms. eodem.

679.	X.	XXII.	XII.	IX.	VI.	XV.

Agatho Romanæ Ecclesiæ LXXVIII. præsidet. Bodilo Francus, quem Hildricus ligatum ad stipitem cædi præcepit, Hildricum in venatione exceptum, cum Blithilde vxore eius prægnante, interficit. Theodericus regno restituitur. Leudesius, filius Erchanoaldi, consilio Leodegarij Episcopi à Luxouio reuocati, aliorumque Principum, Maior domus constituitur. Inter Romanos & Saracenos in XXX. annos pax est confirmata, vt Saraceni Romanis auri libras tria millia, & viros captiuos L. & equos nobiles L. annuatim soluant.

Gens

R.	S.	F.	L.	A.	VV.	Bulg.	ANNO CHR.
XI.	XXIII.	I.	X.	VII.	XVI.		DC. CLXX. 680.

Gens * Bulgarum, quæ & ipsa à Scythia egrediens passim debacchabatur,
per Thraciam, Bathaia duce, grassatur. Quibus Constantini Imperatoris oc- * Ita mss.
currens exercitus, ab eis turpiter fugatus, grauiter est attritus, & adeò per passim; vulgò Bul
Romanam Rempublicam eorum inualuit excursus, vt Imperator, pace cum garos vo-
eis factâ, annua pacta eis præbere sit coactus. Ebroinus à Luxouio egressus camus.
vires resumit, insidiatores suos premit, super Theodericum Regem irruit,
thesauros eius & ecclesiæ diripit: Leudesium Maiorem domus perimit:
Chlodoueum quemdam, fingens esse filium Lotharij Regis, Regem sibi fa-
cit, ad eius sacramentum quos potest, pœnis, minis & blanditijs impellit.
Chintiliano Rege defuncto, Tolgan filius eius adhuc puer, in regno Vuisi-
gothorum succedens, regnat annis IV. Abhinc regnum Bulgarum adno-
tandum est, quorum Rex Bathaias erat. * Agatho Papa suscepit diualem Onuphrii
iussionem Principum, vt suggessit, per quam reuelata est quantitas, quæ so- & Baro-
lita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda: sic tamen vt si contige- nium in
rit post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fue- Annali-
rit, nisi prius * decretus generalis introducatur in regiam vrbem, secundùm bus cōsule. * Ita mss.
antiquam consuetudinem; & cum eorum scientia & iussione, debeat ordi-
natio prouenire.

XII.	XXIV.	II.	XI.	VIII.	I.	I.	681.

Sexta synodus vniuersalis Constantinopoli congregatur, in qua Georgius Constantinopolitanus Episcopus ab errore Monothelitarum reuocatur. Macharius verò Antiochenus, & cuncti duas voluntates & operationes in vna Christi persona negantes, anathematizantur. In hac synodo fuerunt Episcopi CCLXXXIX.

XIII.	XXV.	III.	XII.	IX.	II.	II.	682.

Sanctus Leodegarius Augustidunensis Episcopus ab Ebroino capitur, & cum fratre suo Gerino grauiter affligitur. Gerinus non multò pòst lapidibus obruitur. Muhauias Saracenorum Amiras moritur: post quem Gizid filius eius tribus annis principatur. In Italia tribus æstatis mensibus grauissima hominum mortalitas facta est.

XIV.	I.	IV.	XIII.	X.	III.	III.	683.

In Anglia claret * Edildrudis Regina, quæ tribus viris nupta, virgo per- * Ita mss.
mansit, cuius mortuæ corpus, post XI. sepulturæ suæ annos, incorruptum in-
uentum est.

XV.	II.	V.	XIV.	XI.	IV.	IV.	684.

Leo Iunior LXXIX. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Rauennas Ecclesia

cen-

ANNO CHR. R. S. F. L. A. VV. B.

censura Imperatoris, sub ordinatione Sedis Apostolicæ restituta est, scilicet vt qui in ea electus fuerit Episcopus, in vrbem Romam veniat ordinandus. Egfridus Rex innoxiam Hiberniæ gentem grauiter depopulatur. Tolgane à Vuisigothis propter pueritiæ leuitatem reprobato, & in clericum tonsurato, Chintasindus regnat post eum annis XX. *Hoc anno Hatta cœnobij Blandiniensis Abbas efficitur.*

Exms. codice Lips.

685. XVI. III. VI. XV. XII. I. V.

Benedictus Romanæ Ecclesiæ LXXX. præsidet. Gizid mortuo Marhuan principatur Saracenis anno I. Theodericus Rex Ebroinum in gratiam recipit, eiusque consilio synodum Episcoporum cogit, & in hac multos eorum, ex sententia Ebroini, Episcopatu priuat, aliquos etiam irreuocabili exsilio damnat. Sub tam procelloso domesticæ persecutionis tumultu, sanctus etiam Lambertus à Traiectensi amotus episcopatu, in cœnobio Stabulaus monachicæ quietis expetijt portum: ibique per septem annos habitauit secum. Sanctus Leodegarius, diu ab Ebroino tormentatus, post famem & carceris squalorem, post oculorum euulsionem, post plantarum concisionem, post linguæ & labiorum excisionem, tandem consummauit martyrium per capitis abscissionem. Ansigisus pater Pipini à Gunduino perimitur, quem ipse iuuentum & nutritum de sacro fonte susceperat, & ad maximos militiæ honores prouexerat. * Lothere Rex Anglorum moritur: & Egfridus Rex Nordanymbrorum à Pictis perimitur. Picti, Scotti & Brittones Anglos nimis perimunt, & libertate, quam olim per Anglos perdiderant, receptâ, multam Angliæ partem inuadunt. Post Lothere regnauit Edrich annis duobus. Egfrido verò succedens frater eius Alfrid regnauit annis XX. Sanctus Chilianus Scottus, Vuirziburgensis Episcopus claret.

* Interdũ Lohere.

686. VI. I. VII. XVI. I. II. VI.

Ioannes Romanæ Ecclesiæ LXXXI. præsidet. Constantino Imperatore mortuo, Iustinianus filius eius imperat annis X. Saracenis principatur Habdalan anno vno. Begga relicta Ansigisi, se & sua Deo mancipat, & monasterium Andennense fundat.

687. I. I. VIII. XVII. II. III. VII.

Conon Romanæ Ecclesiæ LXXXII. præsidet. Habdimelich Amiras principatur Saracenis annis XXII. Inter Iustinianum & Habdimelich pax conuenit, vt soluant Saraceni Romanis singulis diebus mille numismata, & seruum & equum. Vulfoaldo Maiore domus mortuo, Pipinus filius Ansigisi principatur in Austria, cum Duce Martino. Quibus congressus Ebroinus victoria potitur, Martinus fugiens ab Ebroino perimitur. Pertarith Langobardorum Rege mortuo, Cunipert filius eius regnat annis XII.

Edric.

R. S. F. L. A. VV. B. ANNO CHR.

Edrich Anglorum Rege mortuo, externi Reges regnum Angliæ disperdunt & discindunt annis IV. Sanctus Cuthbertus Anglorum Episcopus obijt.

II. I. IX. I. I. IV. VIII. 688.

Sergius LXXXIII. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Hic in sacrario sancti Petri portionem magnã Dominicæ crucis inuenit. * Consequentia Missam celebrandi, iam ad integrum composita ab Apostolis & Apostolicis viris; Epistolas quippe & Euangelia recitabat Ecclesia ex antiquorum traditione, quæ digesta sunt in libro, qui appellatur Comes, quem ad Constantinum Hieronymus scripsisse dicitur. Alexander autem sextus Papa, qui instituit aquam benedici & aspergi, *qui instituit oleum singulis annis benedici ab Episcopo, & vetus propter nouitatem sacramenti incendi. Hic etiam inseruit memoriam Dominicæ passionis ad consecrationem Eucharistiæ, & sicut de latere crucifixi* IESV *effluxit sanguis & aqua, ita aquam vino misceri in ipsa consecratione instituit, nec vinum sine aqua, nec aquã sine vino offerri debere decernens.* Primus Sixtus, septimus Papa, hymnũ Sanctus, sanctus, sanctus Dominus. Telesphorus, octauus Papa, Quadragesimæ ieiunium VII. hebdomadibus ante Pascha instituit, hymnum angelicum, Gloria in excelsis Deo, addidit. Damasus XXXVI. Papa, Credo in vnum Deum, solennibus diebus cantari instituit, ex decreto secundæ vniuersalis synodi, à CL. Episcopis Constantinopoli celebratæ. *Innocentius XL. pacis osculum decreuit dari.* Cælestinus XII. Papa, Introitus, Gradualia, Offertoria, & Communiones ex psalmis modulari antiphonatim instituit. Gelasius XLVIII. Papa Collectas & Præfationes composuit. Gregorius LXIII. Papa Kyrie eleison, Christe eleison, & Alleluia extra Quinquagesimam, & orationem Dominicam (*per quam solam Apostoli consecrabant) post canonem consecrationis, addidit. Ad hæc omnia, hic Sergius, hoc vltimum addidit, vt inter communicandum, Agnus Dei, à clero cantetur. Constituit etiam, vt in Annuntiatione Domini, in festiuitate, quæ dicitur Hypapante Domini, in Natiuitate, & Assumtione sanctæ Mariæ, exeant Litaniæ. Hic corpus primi Leonis Papæ diuina reuelatione transposuit. Innocentia & meritum sancti Leodegarij multis miraculis declarantur. Imperator pacem cum Saracenis pactam soluens, mala eis intulit, & peiora ab eis pertulit. Ebroinum Maiorem domus Neustriæ, Francos insolenter opprimentem, Ermenfridus perimit, & ad Pipinum confugit. Vuaratho pro Ebroino Maior domus statuitur.

** Videtur hic in ms. aliquid deesse.*

Consule Baroniũ, aliosq́; Pontificiæ historiæ scriptores.

Consule eosdem de his rebus omnibus, deq́; numeris Pontificum.

Sciat Lector totum hunc locũ in ms. codice Gemblacensi ab indocto quopiam vitiatum.

** Quomodo hæc intelligenda, vide apud Bellarminum & alios Theologos.*

III. II. X. II. II. V. IX. 689.

Iustinianus pacem cum Bulgaribus pactam soluit, eisque concurrens primò vicit, pòst ab eis exceptus vix euasit. Inter Pipinum & Gislemarum filium Vuarathonis apud * Namucum castrum pugna committitur. Nec multò pòst Gislemaro diuinitus punito, Vuarathone quoque mortuo, Bertarius gener Vuarathonis, fit Maior domus sub Rege Theoderico.

** Ita ms. cum c. sine r. Hodie Namurcũ opidum ad Mosam fl.*

K Sanctus

ANNO CHR. R. S. F. L. A. VV. B.

DC. XC. IV. III. XI. III. III. VI. X.

690. Sanctus * Audoënus Rotomagensis Episcopus obijt. Theodorus Archiepiscopus Anglorum obijt. Franci Bertario auersi, affectant per obsides amicitiam Pipini, eumque instigant contra principatum Bertarij. *Sanctus Amatus Episcopus Senonensis obijt.*

* Vide Baronium in Notis ad Martyrol. 9. Febr.

691. V. IV. XII. IV. IV. VII. XI.

Theodericus Rex cum Bertario, Pipino congressus, vincitur; Bertarius à suis perimitur. Theodericus Rex à Pipino capitur. Pipinus Neustriam sibi subiugat, & sub Theoderico, solus toti regno principando, statum rerum meliorat. Sanctum quoque Lambertum in Traiectensi præsulatu relocat. Sanctus Remaclus hoc anno obijsse dicitur. Vuichtred, filius Egberti Regis, religione & industria confortatus, gentem Anglorum ab oppressione exterorum liberat, & super eos XXXV. annis regnat.

692. VI. V. XIII. V. I. VIII. XII.

Alahis Dux, fugato Chuniperth, regnũ Langobardorum arripit, cui Chuniperth bello congressus eum perimit, regnumque recipit. Vuillibrordus cum socijs XII. veniens ab Anglia, sanctitate claret in Gallia.* *Sanctus Vuandrigisilus, qui & Vuando, Ansigisi Maioris domus ex Vualchiso fratre nepos, hoc tempore claruit, qui cœnobia Fiscannum & Fontinellam Deo construxit.*

* *Ita mss. codex Aquicinctinus cum Orteliano. At Lipsianus ista refert ad an. 645. Sed uterque recte. Vixit enim usque ad ætatis suæ annum 96.*

693. VII. VI. XIV. VI. II. IX. XIII.

Theodericus Rex Francorum obijt. Clodoueus filius eius regnat post eum annis IV. Saraceni Romanos grauissimo bello atterunt. * Eualdus albus & Eualdus niger, presbyteri, venientes ab Anglia, martyrizantur in Gallia, & iussu Pipini sepeliuntur in Agrippinensi Colonia.

* alia mss.

694. VIII. VII. I. VII. III. X. XIV.

Pipinus Rabbodum Ducem Fresonum, bello vicit; & Vuillibrordũ genti illi ad prædicandum dirigit. Kiliani Vuirziburgensis Episcopi discipulus Arnual in Gallia, Adamanus Abbas, Adhelmus & Vuilfrid Episcopi, clarent in Anglia. *Gens Tessandrorum, cùm usque ad id temporis idololatriæ erroribus esset dedita, prædicatione sancti Lamberti Traiectensis Episcopi, ad fidem Christi conuertitur.*

695. IX. VIII. II. VIII. IV. XI. XV.

Iustinianus Imperator sanctam sextam synodum infirmare nititur, & Sergium Papam, in hoc sibi resistentem, Ecclesia deturbare frustra molitur. *Defectio*

R. S. F. L. A. VV. B. ANNO CHR.

fectio solis facta est, hora diei tertia; ita vt quædam stellæ clarè parerent. Sanctus Audomarus Morinorum, & sanctus Ansbertus Rotomagensium Episcopi obierunt.

X. IX. III. IX. V. XII. XVI. 696.

Leo Patricius Iustinianum regno priuat, eumque naso & lingua truncatum in exsilio relegat. Beda presbyter & monachus clarens in Anglia, tricesimum ætatis annum agit, & reliquum tempus vitæ legendo, tractando & exponendo sanctam Scripturam, vtiliter exigit.

I. X. IV. X. VI. XIII. XVII. 697.

Mortuo Clodoueo, Hildebertus frater eius regnat post eum annis XVIII. Vuillibrordus à Sergio Papa Clemens agnominatus, & ad prædicandum genti Fresonum, Episcopus consecratus, ex dono Pipini Principis, sedem episcopalem statuit, in loco * Vultaburch dicto, qui nunc Vultraiectum dicitur, à nomine gentis Vultarum & Traiecto compositum, quasi Vultarum opidum. Nam Traiectum lingua Gallica opidū dicitur. Apud Vuirziburch, castrum Ostrofranciæ, sanctus Chilianus cum discipulis Colomanno & Tolmanno clam martyrizatur à Geilana, vxore Gozberti Principis Vuirziburgensium, quæ timebat separari à viro suo, arguente eum Chiliano, quòd eam, vxorem quondam fratris eius, etiam ipse vxorem haberet. Quorum mors cùm diu omnes lateret, Geilanâ & percussoribus martyrum à dæmonio arreptis, eorum confessione diuulgata est. *Translatio sancti Vedasti, post annos obitus sui CXXVIII.*

* *Ita mss.*

Baronius in Annal. ista refert ad an. 689

Ex mss. Lips.

II. XI. I. XI. VII. XIV. XVIII. 698.

Sanctus Vrsmarus, per interuentum † Hildulfi Ducis, Lobiense cœnobium à Pipino Principe ad regendum suscipit. Synodus Aquileiæ facta, quintam vniuersalem synodum à Iustiniano Imperatore, & Vigilio Papa Constantinopoli celebratam suscipere diffidit; quam Sergius Papa salubriter redarguit, & ad concordiam reducit. Sanctus Lambertus Pipinum Principem increpare ausus, quòd pellicem Alpaidem, suæ legitimæ vxori Plectrudi superduxerit, à Dodone fratre ipsius Alpaidis, Leodij martyrizatur, & Traiecti tumulatur, eique sanctus Hucbertus Episcopus subrogatur. Absimarus, qui & Tiberius, Leone ab imperio pulso, eique naso abscisso, & in custodia retruso, imperat annis VII. Sancta Begga, mater Pipini, ad Dominum transit. *Sanctus Bertinus Abbas Sithiensis obijt.*

† *Ita mss.*

Ex mss. eodem.

I. XII. II. XII. VIII. XV. XIX. 699.

Drogo filius Pipini, Dux Campaniensium, moritur: Grimoaldus frater eius, à patre Pipino, in aula Hildeberti Regis, Maior domus statuitur, eique filia Rabbodi Fresonum Ducis in vxorem despondetur. Mortuo Chunipert Langobardorum Rege, Luitpert filius eius puer in regnum succedit, Ans-

ANNO. CHR.	R.	S.	F.	L.	A.	VV.	B.

prandum habens tutorem. Dodo interfector sancti Lamberti, pessimo languore cruciatus, à vermibus consumitur, & ob intolerantiam fœtoris in Mosam fluuium demergitur; omnesque huius culpæ complices infra annum diuinitus puniuntur. Percussor verò sancti martyris, fratri suo congressus, alter ab altero perimitur.

DCC.	II.	XIII.	III.	I.	IX.	XVI.	XX.

700. Romani peruagantes Syriam, perimunt CC. millia Saracenorum. Reginbertus, Dux Taurinensium, Ansprandum tutorem Regis Luitperti bello superat, & anno vno regnat. Therbellis Bulgaribus dominatur.

701.	III.	XIV.	IV.	I.	X.	XVII.	I.

Mortuo Reginberto, Ariperth filius eius, Ansprando in congressu victo, Luitpertum Regem capit, & perimit; Ansprandum in Baioariã fugere compellit, filiumque eius iuniorem Luitprandum ad patrem fugere permittit, & annis IX. regnat. Chintasindus, senio confectus, regnum Vuisigothorum dimittit, regnatque post eum filius eius Flauius Recinsuindus. *Sanctus Maurontus, beatæ Rictrudis Marchianensis filius, moritur.*

702.	IV.	XV.	V.	I.	XI.	I.	II.

Ioannes LXXXIV. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Iustinianus de exsilio fugiens, ad Caianum Regem Auarum se contulit.

703.	V.	XVI.	VI.	II.	XII.	II.	III.

Sanctus Benedictus Abbas Anglorum obit. Caianus pecunia corruptus à Leone Imp. cùm vellet Iustinianum ei prodere, Iustinianus ab eo ad Therbellem Regem Bulgarum fugit.

704.	VI.	XVII.	VII.	III.	XIII.	III.	IV.

Ioannes LXXXV. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Alfrid Nordanymbrorum Rege mortuo, Ofred regnat annis XI.

705.	VII.	XVIII.	VIII.	IV.	XIV.	IV.	V.

Iustinianus auxilio Therbellis Bulgarum Regis, Imperiũ recipit, Leonem & Tiberium vsurpatores Imperij in medio circi iugulat. Callinicum Patriarcham excæcatum exsiliat, & tantam in aduersarios vltionem exercet, vt quoties à naso sibi absciso, defluentem rheumatis guttam detergeret, penè toties aliquem ex his, qui contra eum conspirauerant, iugulari præciperet. Imperauit ergo secundò annis VII.

706.	I.	XIX.	IX.	V.	XV.	V.	VI.

Sisinnius LXXXVI. & Constantinus LXXXVII. Romanæ Ecclesiæ præsident. Sclaui Italiam infestant.

Choe-

R.	S.	F.	L.	A.	VV.	B.	ANNO CHR.
II.	XX.	X.	VI.	XVI.	VI.	VII.	707.

Choered & Opha, Reges Anglorum, Romam veniunt, ibique in monachos attonsi, Regi Regum militauerunt.

III.	XXI.	XI.	VII.	XVII.	VII.	VIII.	708.

Iustinianus Imperator pacem cum Bulgaribus pactam soluit, eisque congressus vix euasit. Adrianus Abbas Anglorum obit. Picti & Scotti catholicum paschalis obseruantiæ ritum suscipiunt.

IV.	XXII.	XII.	VIII.	XVIII.	VIII.	IX.	709.

Habdymelich Amiras Saracenorum moritur, post quem Vlid annis VII. principatur. *Childeberto monarchiam regni Francorum tenente, archangelus Michael apparens Autberto Abrincatensi Episcopo, monuit semel & iterum, vt in loco maris, qui propter eminentiam sui Tumba vocatur, fundaret ecclesiam in memoriam sui, volens talem venerationem exhiberi sibi in pelago, qualis exhibetur in monte Gargano. Interim taurus à latrone furtim raptus, in loco illo religatur. Vnde Episcopus tertiò admonitus, vt in illo loco fundamentum iaceret, vbi taurum religatum inueniret, & sicut eum terram pedibus protriuisse videret, sic ecclesiæ ambitum duceret, ecclesiam in honore sancti archangeli constituit. Et ex illo tempore, sicut in monte Gargano, ita etiam illo in loco, quod modò dicitur, In periculo maris, veneratio Archangeli frequentari cœpit.*

V.	I.	XIII.	IX.	XIX.	IX.	X.	DCCX. 710.

Iustinianus Imperator, fidem orthodoxam amplexus, Constantinum Papam ad se Constantinopoli inuitat, eumque venientem & redeuntem gloria Apostolico digna honorat. Sanctus * Hucbertus, cælitus admonitus, corpus sancti Lamberti à Traiecto Leodium, cum magna miraculorum gloria, refert, sedemque episcopalem in eamdem vrbem transfert. *Ex tunc Legia exaltata, & in vrbem est ampliata.* Ansprãdus cum Baioariis Italiam repetit, cum Aripecth confligit, eoque fugiente, & in fluuium demerso, regnum Langobardorum recipit. Ansprando post tres menses mortuo, Luitprandus filius eius regnat annis XXXII.

*al. Hu-

VI.	II.	XIV.	I.	XX.	X.	XI.	711.

Sancta Oda, vxor * Boggis Ducis Aquitanorum, sanctitate claret in Gallia, quæ ecclesias Dei sua ditauit munificentia, & moriens in Leodicensi quieuit parochia, *in villa super Mosam sita, quæ dicitur Amanium.*

*al. Iu-

VII.	III.	XV.	II.	XXI.	XI.	XII.	712.

Philippicus, qui & Bardanius, Iustinianum Imperatorem iugulat, & post eum annis II. imperat. Constantinus Papa populusque Romanus nomen, litteras & figuram Philippici hæretici Imperatoris suscipere respuit.

ANNO CHR.	R.	S.	F.	L.	A.	VV.	B.
	I.	IV.	XVI.	III.	XXII.	XII.	XIII.

713. Sanctus Vrsmarus Episcopus, & Abbas Lobiensis cœnobij obit, eique sanctus Erminus in regimine succedit. Grimoaldus Maior domus Leodij, ante altare sancti Lamberti orans, à Raingario, satellite Rabbodi Ducis Fresonum, perimitur, & Theodoaldus, filius Drogonis, ab auo suo Pipino Maior domus statuitur.

714.	II.	V.	XVII.	IV.	XXIII.	XIII.	XIV.

Artemius, qui & Anastasius, Philippicum priuans imperio & oculis, imperat annis II. Gregorius Romanæ Ecclesiæ LXXXVIII. præsidet. Hic constituit, vt tempore Quadragesimæ V. feria, ieiuniū & celebritas Missarum fieret in Ecclesia, quod non fiebat antea. Petronax ciuis Brixianus, diuino instinctu, & Gregorij Papæ hortatu animatus, cœnobium sancti Benedicti apud castrum Casinum nobiliter reædificat, & sub regimine suo, multos ad regulariter seruiendum Deo aggregat, expletis plus CX. annis, ex quo à Langobardis desolatum fuerat. Pipinus Princeps obijt, & filium suum ex Alpaide Karolum * Tudetem, siue Martellum cognomento, principatus sui heredem reliquit. Plectrudis relicta Pipini, Carolum priuignum suum captum, in Colonia vrbe custodiæ mancipat; & cum nepote suo Theodoaldo, Maiore domus, principatum regni vsurpat. *Sanctus Hucbertus construxit, & reditibus ditauit monasterium sancti Petri in Leodio.*

* Ita mss.

715.	I.	VI.	XVIII.	V.	XXIV.	XIV.	XV.

Mortuo Hildeberto Francorum Rege, * Clodoueus filius eius regnat annis IV. Franci contra Theodoaldum, damnoso vtrimque bello confligunt, eoque victo, Raginfredum Maiorem domus, & Chilpericū Regem statuunt. Karolus de custodia nouercæ, diuino nutu eripitur, moxque principatum suum de manu Raginfredi extorquere nititur, primoque Rabbodum Ducem Fresonum, Raginfredo solatiantem, aggressus, multum exercitus damnum consequitur. Sanctus Ægidius veniens à Græcia, sanctitate claret in Prouincia.

* Ita mss. sed infra an. 719. vocatur Dagobertus.

716.	II.	VII.	I.	VI.	XXV.	XV.	XVI.

Theodosius Anastasium de Imperio deponens, eumque presbyterum ordinans, imperat anno vno. Qui cùm fuisset iners & idiota, & publicorum negotiorum exactor, vi compulsus est ab exercitu, Imperium assumere. Vlid Amiras moritur, post quem Zuleymen annis III. Saracenis principatur. Osred Nordanymbrorum Rege mortuo, Coenred regnat annis IV. Ecberth veniens ab Hibernia, sanctitate & doctrina claret in Anglia. Sanctus Germanus à Cyzico transfertur ad Episcopatum Constantinopolitanum.

Theo-

R.	S.	F.	L.	A.	VV.	B.	ANNO CHR.
I.	I.	II.	VII.	XXVI.	XVI.	XVII.	717.

Theodosius imperium deponit. Post quem Leo XXIV. annis imperauit. Gregorius Papa Bonefacium, à Britannia venientem, Episcopum consecrat, & per eum in Germania verbum Dei prædicat. Romæ inundatio aquarum nimia, nimisque calamitosa facta est. Sed Gregorio Papa crebris litanijs Deum placante, post VIII. dies repressa est.

R.	S.	F.	L.	A.	VV.	B.	ANNO CHR.
I.	II.	III.	VIII.	XXVII.	XVII.	XVIII.	718.

Zuleymen Amiras, cum Amireis suis, & stolo nauium pænè trium millium, Constantinopolim triennio obsidet. Bulgares Saracenorum XXII. millia perimunt. Karolus in pago Cameracensi, apud Vinciacum, Dominico ante pascha, quod erat XIII. Kal. Aprilis, Chilperico & Raginfredo congreditur. Raginfredus victus in fugam vertitur; Karolus eos vsque Parisius persequitur. * Rabbodus Dux Fresonum, prædicatione Vulfranni Episcopi ad hoc adductus, vt baptizari deberet, cùm vnum pedem in lauacro intinxisset, alterum pedem retrahens, interrogauit: vbinam plures suorum maiorum essent, in inferno, an in paradiso; & audiens plures esse in inferno, intinctum pedem extrahens, Satius est (inquit) vt plures, quàm pauciores sequar. Et ita ludificatus à dæmone, promittente quòd ei tertia ab hinc die incomparabilia bona daret, ipsa tertia die, subita & æterna morte perijt.

** In mss. disertè* Rabbodus, *non* Radbodus *legitur. Vnde nequam Teutonis* Rabboudt *dicitur.*

Consule Baron. in Annal.

R.	S.	F.	L.	A.	VV.	B.	ANNO CHR.
II.	III.	IV.	IX.	XXVIII.	XVIII.	XIX.	719.

Zuleymen Amiras moritur. Post quem Haumar principatur Saracenis annis II. Constantinopolitani instantia orandi, & constantia præliandi, fortiter resistunt Saracenis. Saraceni fame, frigore, bello, pestilentia sine numero pereunt. Mortuo Rege Dagoberto, Lotharius regnat annis II. Post Coenred, regnat Nordanymbris Osrich annis XI. Constantinus filius Leonis Imperatoris; dum baptizatur à Patriarcha Germano, cacans in sancto lauacro, magnum dat præsagium, quòd futurus esset Ecclesiæ Dei in scandalum.

R.	S.	F.	L.	A.	VV.	B.	ANNO CHR.
III.	I.	I.	X.	XXIX.	XIX.	XX.	DCC.XX 720.

Saraceni ab obsidione Constantinopolis confusi desistunt, ipsis cum nauibus suis, partim marino igne consumtis, partim demersis, partim igneæ grandinis tempestate consumtis; & ex tanta copia nauium vix quinque residuis, potentia Dei cunctis innotuit populis. Intra ciuitatem verò CCC. millia hominum pestilentia perierunt. Haumar Christianos persequens, multos eorum Christi martyres fecit. Chilpericus & Raginfredus Eudonem, Ducem Aquitaniæ, auxilio sibi adsciscunt: qui in congressu à Karolo victi, vix fuga euadunt. Eudo rediens Chilpericum secum abducit. Saraceni

ANNO CHR.	R.	S.	F.	L.	A.	B.

raceni, ex Africa, duce Abdyrama, filio Muhauiæ Amirei, in Hispaniam trāsfretant, eamque sibi vindicant. Ita regnum Vuisigothorum, & Sueuorum destructum est, & redactum sub Saracenis, annis plùs minùs CCCXLVI. euolutis, ex quo à Scythia expulsi ab Hunnis; ex quo verò, cedentibus Vuandalis, & deuictis Sueuis, cœperunt regnare in Hispanijs, annis circiter CC LVI. euolutis. Regnum verò tertiæ partis Hispaniarum, quod dicitur Gallitiensium, quod nec tunc Vuisigothi, nec postea Saraceni potuerunt subigere, adhuc viget incolume, & Dei protegente fide, manet inexpugnabile. *Ex ms. Lips.* *Sanctus Vulframnus, Episcopus Senonensis moritur.*

721.	IV.	II.	II.	XI.	XXX.	XXI.

Haumar Amiras moritur. Post quem Gizid Saracenis principatur annis IV. Mortuo Lothario Rege, Karolus Chilpericum ab Eudone per legatos recipit, eumque sibi Regem facit. Ossa S. Augustini * Ipponiensis Episcopi, olim translata ad Sardiniam, vastatâ modò à Saracenis Sardiniâ, Luitprandus Rex Langobardorum, dato magno pretio, transfert Papiam. ** Itamss.*

722.	V.	I.	I.	XII.	XXXI.	XXII.

Leo Imperator sæpe & multùm laborauit, vt Gregorius Papa perimeretur, sed frustra; Italis & Langobardis pro defendendo Papa, instanter Imperatori resistentibus. In Campania Italiæ, frumentum combustum, & hordeum & legumina quasi pluuia de cælo ceciderunt. Karolus Raginfredum persequens, Andegauis obsidet, eamque captam victo Raginfredo ad habitandum concedit, & totius regni principatum recipit. Luithprandus Rex Rauennam obsidet: classe Rauennatium ciuitatem captam, destruit.

723.	VI.	II.	II.	XIII.	XXXII.	XXIII.

Karolus Saxones debellat. Rigobertus Episcopus Remensis, à Carolo, suo in baptismate filiolo, ab episcopatu deponitur, pro eo quòd illi contra Raginfredum eunti, vrbem Remensem, præ timore Raginfredi, aperire noluit. Eucherius quoque Aurelianensis Episcopus, pro simili caussa episcopatu priuatus, & apud Sarchinium Hasbaniæ vicum exsiliatus, in cœnobio S. Trudonis in sanctitate consummatus est.

724.	VII.	III.	III.	XIV.	XXXIII.	XXIV.

Iudæus quidam maleficus promittens Gizid, eum XL. annis principaturū, suadet vt in toto regno suo Dei Sanctorumque imagines deponi edicat. Qui spe diu regnandi seductus, edictum quidem proponit, ipse tamen mox obit. Post quem Eluelith principatur Saracenis annis XX. Karolus Baioarios armis subiugat.

Leo

R.	S.	F.	L.	A.	B.	ANNO CHR.
VIII.	IV.	IV.	XV.	XXXIV.	XXV.	725.

Leo Imperator à quodam Beser, refuga fidei, seductus, contra imagines Christi & Sanctorum eius, bellum indicit, easque vbique deponi & incendi edicit. Pro quo errore eum Gregorius Papa, scriptis multùm quidem, sed in vanum redarguit. Karolus contra Lanfridum Alemannorum Ducem dimicat, eoque victo Alemanniam sibi subiugat.

IX.	V.	V.	XVI.	XXXV.	XXVI.	726.

Mortuo Chilperico, Karolus Theodericum sibi Regem facit, qui annis XV. regnat. Karolus Saxones debellat.

X.	VI.	I.	XVII.	XXXVI.	XXVII.	727.

Constantinopolitani contra Leonem Imperatorem, pro depositione imaginum Dei, tumultuantur; aliqui etiam pro hoc martyrizantur. Karolus Sueuos & Baioarios debellat. Vuichtreth Rex Anglorum obit, filiumque suum Edilbertum heredem regni reliquit. Cormesius Bulgaribus dominatur.

XI.	VII.	II.	XVIII.	I.	I.	728.

Karolus Ligeri transito, Eudonem ducem Aquitaniæ, bello victum, fugat, & Aquitaniam grauiter deuastat.

XII.	VIII.	III.	XIX.	II.	II.	729.

Gregorius Papa, quia Leonem Imperatorem incorrigibilem vidit, Romam & Italiam, & Hesperiam totam ab eius iure descire facit, & vectigalia interdicit. *Conf. Baron. To. 9. anno 730. in princ.*

XIII.	IX.	IV.	XX.	III.	III.	DCC. XXX.

Eudo Dux, Karolo inferior per omnia, Saracenos contra eum inuitat ab Hispania. Sanctus Germanus Leoni Imperatori pro impietate sua auersus, à sede episcopali est deiectus. Obijt sanctus Echberth, Anglorum presbyter. Saraceni cum omnibus familijs suis quasi in Gallijs habitaturi, Garumnam transeunt, omnia deuastant, ecclesiasque Dei cremant. Quibus Karolus, Dei auxilio fretus, bello concurrit: & ex eis CCCLXXXV. millia, cum Rege suo Abdyrama, peremit, & mille IↃ. suorum amisit. Eudo quoque Karolo reconciliatus, castra Saracenorum diripuit, & reliquias eorũ contriuit. Mortuo Osrich Rege Nordanymbrorum, Cednulfus ei succedit. 730.

XIV.	X.	V.	XXI.	IV.	IV.	731.

Gregorius LXXXIX. Romanæ Ecclesiæ præsidet: qui & ipse Leonem Imperatorem erroris redarguit, & populum Romanum, & vectigalia Hes-

ANNO CHR.	R.	S.	F.	L.	A.	B.

periæ ab eo auertit. In Anglia Beda presbyter & monachus sanctitate, & scientia clarus obit. Karolus Lugduno alijsque ciuitatibus captis, Burgundiam sibi subiugat. Raginfredus moritur.

Conf. Baron. To. 9. pag. 106.

732.	XV.	XI.	VI.	XXII.	V.	V.

Constantinus filius Imperatoris Irenen, filiam Caiani Auarum Regis, vxorem ducit: quæ baptizata, viro suo apostatante, rectam fidem tenuit. Karolus in Vuasconia cum Eudone pugnat, eumque principatu & vita priuat. Luithprandus Rex de iure Romani Pontificis, multas vrbes & castella tulit. Ceduulfus Nordanymbrorum Rex capitur, & in clericum tondetur, & post hæc in regnum remittitur.

733.	XVI.	XII.	VII.	XXIII.	VI.	VI.

Gregorius Papa synodum DCCCCIII. Episcoporum Romæ congregat, & venerationem sanctarum imaginum confirmat, earumque violatores generali sententia anathematizat. Karolus *Vuaifero & Hunaldo* filijs Eudonis dimicando victis, Aquitaniam sibi subiugat.

Alij Guaiferum nuncupant.

734.	XVII.	XIII.	VIII.	XXIV.	VII.	VII.

Karolus Fresiam aggressus, Poponem Ducem Fresonum cum multis perimit, & Fresiam sibi subiugat.

735.	XVIII.	XIV.	IX.	XXV.	VIII.	VIII.

Obijt sanctus Hucbertus. *Succedit Florbertus.* Karolus Auenionem Galliæ vrbem à Saracenis, dolo & consensu Mauruntij Prouinciæ Ducis, captã obsidet, eaque fortiter receptã, Saracenos vsque ad internecionem delet. Abhinc regnum Anglorum annotare supersedeo, quia historias maiorum, quas sequar, non habeo.

736.	XIX.	XV.	X.	XXVI.	IX.

Saracenorum Rege Athima obsesso, intra Galliæ vrbem Narbonam, à Karolo, Saraceni ex Hispania cum alio Rege Amorei occurrunt subsidio. Qui congressi Karolo, ambobus Regibus peremtis, & ciuitate receptã ab eo, vltimo pænè attriti sunt exterminio, eoque fugientes insequente, residui demersi sunt in profundo.

737.	XX.	XVI.	XI.	XXVII.	X.

Sanctus Erminus Episcopus & Abbas Lobiensis obit. Karolus Nemausum, Agathen, aliasque Gothicæ regionis vrbes à Saracenis inuasas capit, & solo tenus destruit.

Arelato

R.	S.	F.	L.	B.	ANNO CHR.
XXI.	XVII.	XII.	XXVIII.	XI.	738.

Arelato vrbe Galliarum captâ à Saracenis, & omnibus circumquaque demolitis, Karolus ascito sibi ad auxilium Luithprando Rege Langobardorum, eis occurrit, eosque terrore nominis sui in fugam vertit. Sic Saracenis, qui totam penè Asiam, totam Libyam, multamque partem Europæ inuaserant, Karolus Dei auxilio, suâ industriâ, Francorumque fortitudine, omnem spem inuadendi Gallias abstulit. Trasamundus Dux Spoleti, contra Luithprandum rebellans, ad Romanos confugit.

XII.	XVIII.	XIII.	XXIX.	XII.	739.

Carolus Maurontium Prouinciæ Ducem, qui inuitauerat Saracenos, debellat, & Prouinciam sibi subiugat. Luithprandus Rex pro refugio Trasamundi, Romam grauiter vexat. *Sanctus VVillibrordus Episcopus moritur.*

XXIII.	XIX.	XIV.	XXX.	XIII.	DCC.XL.

Karolus Saxones sibi tributarios facit. Signa in sole & luna & stellis apparent. 740.

XXIV.	XX.	XV.	XXXI.	XIV.	741.

Post Theodericum Regem Francorum regnat Hildricus annis X. Leone Imperatore mortuo, Constantinus filius eius imperat annis XXXVII. Pacato & dilatato regno Francorum, Karolus bellicosus Princeps obit, & filios suos, Karlomannum & Pipinum, principatus sui successores reliquit. Zacharias XC. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Hic quia rempublicam à Langobardis perturbatam inuenit, statim beniuolentia sua bene omnia composuit, & cum Langobardis in XX. annos pacem firmauit. Hic libros Dialogorum Gregorij de Latino in Græcum vertit. Constantinopolis terræ motu per integrum annum nimis grauatur.

I.	XXI.	I.	XXII.	XV.	742.

Sanctus Bonefacius Archiepiscopus Moguntiæ, cœnobium Fuldense, in Bocconia silua, fundat. Luithprandus Rex Langobardorum moritur. Hildebrando, quem ipse Regem designauerat, à Langobardis reprobato, Rachis regnat post eum annis VII. Pipinus Princeps Hunaldo Duci Aquitaniæ sibi rebellanti obuiat, Karlomannus verò Alemanniam deuastat. Arthabasdus contra Constantinum, Imperium arripit.

II.	XXII.	II.	I.	XVI.	743.

Ogdilo Dux Baioariæ, raptâ sorore Pipini, contra eum rebellat; quem Pipinus pugna, quamuis damnosa, superat. Karlomannus Saxoniam petit, castrum Hocseburch capit, Theodericum Saxonem, pacis obsidem, accipit.

L 2 Elue-

ANNO CHR. R. S. F. L. B.

744. III. XXIII. III. II. XVII.

Eluelid Amiras moritur. Gyzid Saracenis anno vno principatur. Constantinus Arthabasdum capit, & ei multisque amicorum eius, oculos eruit. Cinis de cælo cecidit.

745. IV. I. IV. III. XVIII.

Gyzid peremto, Hisces principatur Saracenis anno vno. Pipinus Theodoaldum filium Gofridi Ducis debellat. *Persecutione post lapidationem Stephani protomartyris motâ, Maximinus, vnus de LXX. Christi discipulis, ad Gallias transiens, Mariam Magdalenam secum adduxit. Eam etiam apud Aquensem vrbem, cui præsidebat, defunctam, sepeliuit. Aquensi verò vrbe à Saracenis desolatâ, corpus ipsius Mariæ à Gerardo Comite Burgundiæ ad cænobium Viceliacum, à se constructum, transfertur. Quamquam aliqui scribant, quòd hæc apud Ephesum quiescat, nullum super se tegumen habens.* Petrus Damascenus Episcopus, & Petrus Maiumenus, in Syria à Saracenis martyrizantur.

Consule Baron.

746. V. II. V. IV. XIX.

Athalongus presbyter, per illatam sibi cæcitatem, admonitus quærere corpora sanctorum Chiliani sociorumque eius, inuentis Sanctorum corporibus, visum recepit. Eâque re sanctus Bonefacius, Moguntiæ Episcopus, ab Athalongo ad se relatâ, castrum Vuirziburch ad honorem Chiliani martyris, qui ad prædicandum ibi à Papa Conone Episcopus ordinatus fuerat, ibique mortis & quietis locum à Deo acceperat; episcopalis sedis priuilegio insigniri decreuit: primumque ibi Episcopum sanctum Burchardum ordinauit. Maruan principatur Saracenis annis VI. Karlomannus frater Pipini Regis, Romæ à Zacharia Papa in monachum attonsus, primò in Seraptis monte, in cœnobio quod ipse fundauit, deinde apud castrum Calsinum laudabili vita enituit.

747. VI. I. VI. VI. V. XX.

Pipinus Griphonem, fratrem suum, contra se rebellantem persequitur. Saraceni intestino bello colliduntur.

748. VII. II. VII. VI. XXI.

Pipinus Griphonem in Saxonia, & eius complices Tassilonem, Lantfridum & Suidiger, bello victos, capit: & Tassilonem quidem Baioariæ Ducem facit; Griphoni verò in Neustria XII. Comitatus concedit: quod illi non sufficit, sed ad Vuaifarium in Aquitaniam fugit. In Calabria & Sicilia fit pestilentia & mortalitas hominum nimia. In vestibus hominum, & in velis ecclesiarum apparent cruciculæ, quasi oleo designatæ.

Rachis

R.	S.	F.	L.	B.	ANNO CHR.
VIII.	III.	VIII.	VII.	XXII.	749.

Rachis Langobardorum Rex, dum rupto fœdere Romam inquietare nititur, à Zacharia Papa non solùm à malo reprimitur, sed etiam eius instinctu, cum vxore & filijs Romam veniens, monachus efficitur: cui Haistulfus frater eius substitutus, regnat annis VII.

IX.	IV.	IX.	I.	XXIII.	DCC.L.

Hildricus Rex Francorum in monachum tonsuratur: Pipinus verò Princeps, auctoritate Apostolica, & Francorum electione, à sancto Bonefacio Moguntiæ Archiepiscopo, in Regem vngitur & consecratur, & regnauit annis XVIII. *post annos circiter octoginta octo, postquam Maiores domus cœperunt principari super Reges Francorum.* 750.

X.	V.	I.	II.	XXIIII.	751.

Pipinus Rex contra Saxones pugnat. Gripho frater Pipini perimitur. *Remigius, eiusdem Pipini frater, * Rodomensis Archiepiscopus, in Gallia claret.* ** Ita mss.* *Pipinus Rex Galliarū Ecclesias cantibus Romanæ auctoritatis suo studio meliorauit.*

XI.	VI.	II.	III.	XXV.	752.

Stephanus Romanæ Ecclesiæ * XCI. præsidet. Marnan Amira peremto, Muhamath principatur Saracenis annis V. Haistulfo Langobardorum Rege contra Romanos adeò exardescente, vt tributum exigeret ab vniuscuiusque capite, Stephanus Papa, ad expetendum Pipini Regis auxilium, cogitur in Franciam venire. Cui in veniendo, in vna noctiū, apparuit magnum signum in cælo, globus scilicet igneus à parte Australi, declinans à Galliæ finibus in partes Langobardorum. Mittitur etiam Karlomannus monachus ab Haistulfo ad fratrem suum Pipinum Regem, ad perturbandam Apostolicam petitionem. Pipinus à Stephano Papa, cum filijs suis, Karlomanno & Karolo in Regem vngitur, & per eos generatio eorum in hereditatem regalis successionis, in perpetuum benedicitur; & omnis alienigena ab eius inuasione Apostolico anathemate interdicitur. *Anselmus vir illustris, cuius soror erat vxor Haistulfi Regis, transfert corpus Sancti Siluestri Papæ ad cœnobium Nonantulam, à se fundatum.*

** Vide Baron. in Annal. ad hunc an. §.10.& seqq.*

XII.	I.	III.	IV.	XXVI.	753.

Pipinus Rex Italiam aggreditur: exercitus Haistulfi à Francis vincitur. Haistulfus pacem facere cum Romanis ad nutum Francorum compellitur. Karlomannus monachus ossa sancti Benedicti Abbatis, ab Ecclesia * Floriacensi, vbi olim translata fuerant, tollere nititur, vt ea ad castrum Cassinum referret: miraculis à Deo ostensis, & Francis obsistentibus, ab incepto prohibetur. Hoc tempore terræ motus terribilis factus, quo vrbes aliæ quidem ex

** Consule eumdem, & Ioannē à Bosco, in Bibliotheca Floriacēsi, & Arn. Vuionum in Ligno vitæ.*

ANNO CHR. R. S. F. L. B.

ex toto, aliæ ex parte subuersæ sunt, aliæ autem à montanis ad subiecta campestria, cum muris & habitationibus suis integræ & saluæ plusquam vltra sex milliaria transmigrauerunt. In Mesopotamia etiam, terrâ disruptâ vsque ad duo milliaria, alia terra minùs alba & arenosa de profundo eius ascendit: & ex ea animal mulinum ascendit incontaminatum, *humana voce loquens, pronuntians incursionem gentis ab eremo aduersus Arabes.*

754. XIII. II. IV. V. XXVII.

Karlomannus monachus Viennæ moritur. Sanctus Bonefacius Moguntiæ Archiepiscopus, cum socijs suis, in Fresia ab inimicis fidei martyrizatur; & in Fulda cœnobio, quod ipse in Toringia fundauit, honorificè tumulatur.

755. XIV. III. V. VI. XXVIII.

Constantinus Imperator Constantinopoli synodum CCCXXX. Episcoporum congregat; in qua edicto promulgato, de imaginibus Dei & Sanctorum eius deponendis, Ecclesiam Dei nimis scandalizat, & contra orthodoxos tyrannizat. Haistulfus Rex, rupto pacis fœdere, Romam obsidet, Pipinus Rex Italiam repetens, eum Papiæ inclusum obsidet, & inuitum ad fœdus pacis repetendum compellit, & sancto Petro quæquæ sui iuris erant, restitui fecit. Fulradus Abbas* de sancti Dionysij Parisiensis, corpus sancti Viti martyris à Roma Parisius transtulit.

*Ita mss.

756. XV. IV. VI. VII. XXIX.

Tassilo Dux auunculo suo Pipino Regi reconciliatur. Haistulfus Rex Langobardorum iudicio Dei moritur, cui Desiderius substituitur, & regnat annis XIX.

757. XVI. V. VII. I. XXX.

*Paullus XCII. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Habdallas principatur Saracenis annis XIX. Pipinus fortiter Saxonum munitiones irrumpit, & post multam stragem eos sub tributo redigit.

*Est Onuphrio XCV

758. XVII. I. VIII. II. XXXI.

* Corpus sanctæ Petronillæ, Petri Apostoli filiæ, à Paullo Papa transponitur; in cuius marmoreo sarcophago ipsius Apostoli Petri manu sculptum legebatur, Aureæ Petronillæ dilectissimæ filiæ. Vualpertus Abbas in Italia, * Chrodegangus Mettensium Episcopus, Pipini Regis ex Landrada sorore nepos, clarent in Gallia, qui Gorziam cœnobium fundauit in Mettensi parochia. Vuaiferus filius Eudonis, Dux Aquitaniæ, res Francorum iniustè vexando, iram Pipini incurrit, eoque Aquitaniam aggresso, fœdus fictæ pacis init.

* Vide Baron in Notis ad Martyrol. 31. Maij & in Annal.
* Ita mss.

Habdalla

R.	S.	F.	L.	B.	ANNO CHR.
XVIII.	II.	IX.	III.	XXXII.	759.

Habdalla persequente, Ecclesia Dei grauiter perturbatur. Vuaifero à pacis fœdere auerso, Pipinus Rex Aruernicum pagum depopulando premit, & multa castella, ipsamque vrbem Aruernis capit, & Bladinum vrbis Comitem, cum multis abducit. Sanctus Gengulfus claret in Burgundia, qui etiam martyrij claruit gloria.

XIX.	III.	X.	IV.	XXXIII.	DCCLX.

Pipinus Bituricas vrbem capit, & captam munit. Telezas Bulgaribus dominatur. 760.

XX.	IV.	XI.	V.	I.	761.

* Caput Ioannis Baptistæ in Emesa ciuitate transfertur. Chilpingus Aruernensis & Ammingus Pictauensis Comites, congressi militibus Pipini, perimuntur cum multis. • *Caput Ioannis Baptistæ ab Alexandria in Aquitaniam transfertur hoc modo. Quidam laudabilis vitæ monachus, nomine Felicianus, ex Galliarum partibus, cum paucis sociis, Hierosolymam gratiâ orationis adijt, & post expleta piæ deuotionis obsequia, angelica allocutione commonitus, Alexandriam expetiuit, & caput Baptistæ Ioannis à loco, in quo olim à Theophilo, eiusdem vrbis Episcopo, reconditum fuerat, eodem angelo reuelante sustulit, & ad Aquitaniam in territorio Engolismo detulit. Pipinus Rex tunc morabatur ibidem in palatio, quòd Angiriacum dicitur, cernensque per eum cottidiana indigenis beneficia, sibique crebras ex hostibus Aquitanicis victorias prouenire, regij operis basilicam construxit, non longè à Vulturni fluminis litore, & in ea, ciborio constructo mirifici operis, caput decenter adornatum recondidit Præcursoris. Monachorũ etiam cœnobium illic constituit, & prædijs regijs magnificè ditauit. Idem Rex fecit fontem lacunariũ, de quo à duobus ferè millibus sub terra, per ædificia cæmentaria in palatium eius aquæductus influebat, & ipsam diuidens aquam, in basilicam sancti Ioannis Baptistæ per ferrum & æs introduxit, ita vt sub ciborio per marmoream columnam interiùs concauam ebulliret, ibique sacri baptismatis ablutio, in honore Domini nostri* IESV *Christi, & sancti Ioannis Baptistæ fieret, atque iterum in ipsa lacunaria remearet. Hoc cœnobium Angelisz vocatur.*

• Ita mss. codices Aquic. & Ortel.

• In Gemblacensi (sed recẽti manu viciato) & Lipsiano codicibus leguntur ista, quæ minori charactere hic damus.

XXI.	V.	XII.	VI.	III.	762.

A Constantino Imp. multi martyrizantur. • Theletzis Constantino Imperatori congressus cum multo Bulgarum damno & opprobrio, vincitur, & ob hoc à Bulgaribus reprobatus, cum Principibus gentis ab eis perimitur. Tassilo Dux à Rege Pipino omninò auertitur. Sabinus Bulgaribus dominatur. *Turci à Caspijs portis erumpentes, Armeniam infestant. In quorum patria cùm antiquo tempore pestilentia orta fuisset, suasu Christianorum in modum crucis se totonderunt, & quia per hoc signum salus patriæ reddita fuerat, hunc ri-*

• Variãt. mss.

tum

ANNO CHR.	R.	S.	F.	L.	B.

tum tondendi tenuerunt. Vuaiferus diffidens suis rebus, muros vrbiũ Aquitaniæ subuertit solo tenus; quos restaurans Pipinus, ad suorum tutelam, fidis commisit Principibus. *Agilfridus Episcopus Leodicensis, & Abbas sancti Bavonis Gandensis, moritur.*

763.	XXII.	VI.	XIII.	VII.	I.

Gelu magnum à Kalendis Octobris vsque ad Februarium. Pipinus Rex Lemouicinam regionem cæde & incendio depopulatur. Sabinus Bulgar cum Romanis fœdus init, pro quo à suis repudiatus ad Imperatorem fugit, Paganus Bulgaribus dominatur. Stellæ subitò visæ de cælo cecidisse, ita omnes exterruerunt, vt putarent finem mundi imminere.

764.	XXIII.	VII.	XIV.	VIII.	I.

Chrodegangus Episcopus corpora martyrum Gorgonij, Naboris, & Nazarij Roma ad Gallias transtulit, & Gorgonium quidem in Gorzia, Naborem verò in Hiliriaco cœnobio, Nazarium autem reposuit in cœnobio Lorisham, quod Canthuyr Comes illustris à se fundatum, Mettensi Ecclesiæ priori anno tradiderat.

765.	XXIV.	VIII.	XV.	IX.	II.

Pipinus Rex Agennum, Petrogoricas & Engolismam, vrbes Aquitaniæ deuastat, multamque Aquitaniæ partem sibi subiugat. Chrodegangus Mettensium Archiepiscopus obiit. Tempore Constantini Imperatoris, & Irenæ vxoris eius, in Syria, ciuitate Beritho, quæ subiacet Antiochiæ, Iudæi imaginem IESV Saluatoris nostri inuenientes, in domo cuiusdam Iudæi, ibi relictam à quodam Christiano, qui ibi manserat, eam iniuriosè deposuerunt, & omnia opprobria, quæ Iudæi Christo IESV intulerunt, imagini eius inferebant, illudentes ei, in faciem conspuentes, eamque percutientes, criminosè conuitiantes, manus & pedes eius clauis configentes, acetum & fel ei porrigentes; tandem lancea latere eius aperto exiuit de eo sanguis & aqua. Quod illi supposita ampulla suscipientes, ad experimentum, vtrum fuerint vera miracula, quæ IESVM fecisse audierunt, omnes infirmos in synagoga sua collectos, hoc sanguine aspergebant, & à quocumque languore detinebantur, omnes sanabantur. Vnde tandem Iudæi compuncti, ad Adeodatum ciuitatis Episcopum omnes cucurrerunt, eique re enarratâ, imaginem cum sanguine ei dederunt. Quibus baptizatis, Episcopus sanguinem per ampullas diuisum, longè lateque dirigens, prædicabat magnalia Dei; obtestatus omnes, vt singulis annis V. Idus Nouembris celebretur passio Dominicæ imaginis.

766.	XXV.	IX.	XVI.	X.	III.

Constantinus Imperator & Habdallas Amiras pari vesania in orthodoxos desæuiunt, multosque eorum pro Christo perimunt. Constantinus insuper

R. S. F. L. B. ANNO CHR.

per ægrè ferens gloriam Sanctorum miraculis coruscantium, etiam lipsana eorum vbique iubet effodi, & iactari in profundum. In præsentia Pipini Regis, inter Græcos & Romanos celebratur synodus de sancta Trinitate & Sanctorum imaginibus. Pipinus Rex Remistanium fratrem Eudonis, patruum scilicet Vuaiferi, quià Vuaifero ad se, & à se ad Vuaiferũ transfugerat, captum à suis in bello, suspendit in patibulo. Rex Saracenorum Amyrmonon ab Hispania missis legatis, & muneribus datis & acceptis, affectat gratiam & amicitiam Pipini Regis.

XXVI. X. XVII. XI. IV. 767.

Pipinus vltimo exterminio Aquitaniam atterit, Santonas capit, ibique Vuaiferi matrem, sorores, & neptes captas secum abducit. Romæ Paullo Papa mortuo, * Constantinus quidam subitò ordinatus sacerdos ex laico, tyrannica ambitione Papatu inuaso, Ecclesiæ Dei magno fuit scandalo. *Contra hunc Philippus à quibusdam Romanorum Papa constituitur, & non multò pòst deponitur.*

** Consule Baroniũ.*

XXVII. XI. XVIII. XII. V. 768.

Longa contentio inter Pipinum & Vuaiferum finitur, quia Vuaiferus à suis malorum pertæsis in gratiam Pipini perimitur, & non multò pòst Pipinus moritur. Karolus filius eius, pro felicitatis magnitudine agnominatus Magnus, compartito cum fratre suo Karlomanno regno, regnat post eum annis XLVII. *Et Karolus quidem Nouiomi regiam accepit coronam, Karlomannus verò in vrbe Suessonica.* Constantino pseudopapa per zelum fidelium ab Ecclesia deturbato, oculisque priuato, Stephanus XCIII. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Hic tam à Gallia quàm ab Italia Episcoporum synodum Romæ congregat, in qua omnia à Constantino ordinata exordinat, præter baptismum & chrisma: decernente synodo, vt Episcopi ab illo consecrati, ad gradum, quem ante hanc consecrationem habebant, redirent, & si digni iudicarentur, iterum electi iterum consecrarentur. Presbyteri vero ac diaconi ab illo cõsecrati, similiter ad priorem gradũ redirẽt: & ipsi si digni essent, iterum quidẽ consecrarentur: sed ad altiorem gradum vel ordinem numquam ascenderẽt. Laici vero ab illo in diaconos vel presbyteros ordinati, omnino degradarentur, & in religioso habitu perseuerarent. Venerationem etiã sanctarum imaginum confirmat, earumque profanatores anathematizat. Constituit etiam vt in omni die Dominico ad Missam, Gloria in excelsis Deo, canatur.

Consule Baronium & alios.

XXVIII. XII. I. XIII. VI. 769.

Hunaldo rebellionem in Aquitania meditante, Karolus Aquitaniam petit, omnesque Aquitanos & Vuascones in deditionem accipit. Hunaldum, qui ad Lupum Vuasconum Ducem fugerat, à Lupo sibi cum vxore remissum abducit; & sic Aquitanicum bellum finit. Desiderius Rex Langobardorum

M rum

ANNO CHR. R. S. F. L. B.

rum sub obtentu orandi Romam ingressus, aliquos nobilium Romanorum captos excæcauit.

DCC. LXX. XXIX. XIII. II. XIV. VII.

770. Constantinus Imperator omnino à Deo auersus, virum sanctum Stephanum per LX. annos inclusum, etiam gentilibus reuerendum, amara morte martyrizauit; omnes sibi subiectos iurare coëgit super sanctæ crucis lignum, ne aliquam Dei Sanctorumque eius imaginem venerarentur; eos qui Dei genitricem inuocabant, eos qui vigilias Deo agebant, eos qui ecclesijs assueti religiosè viuebant, eos qui à iuramentis & immunditijs abstinebant, eos qui reliquias Sanctorum penes se habebant, hos & huiusmodi damnans, patrimonijs priuabat, & omnibus modis cruciabat: qui reuerentiores erant, eorum barbis cera & pice illitis, eos amburebat: monachos vt vxores, monachas vt viros ducerent, cogebat: quod multi vitantes, martyrium meruerunt. Nec sub alicuius gentilis persecutione plures, quàm sub hoc, martyrizati sunt. Thelerigus Bulgaribus dominatur.

771. XXX. XIV. III. XV. I.

Karlomannus Rex, Regis Karoli frater obit: pars regni eius partibus Karoli se vnit. Vxor eius cum filijs, & Authario Franco ad Desiderium Regem Italiæ confugit. Hunaldus Dux Aquitaniæ Romam, quasi ibi perseueraturus venit; qui ad Langobardos fugiens, apostatauit, ibique non multò pòst lapidibus obrutus malè perijt. Constantinus Imperator contra Bulgares nauali prælio pugnaturus, nauibus suis ferè * duabus millibus impetu Aquilonis contritis, totum pænè amisit exercitum.

*Ita mss.

772. XXXI. XV. IV. XVI. II.

Adrianus XCIV. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Hic ad reprimendam rabiem hæreticorum, imagines Dei Sanctorumque execrantium, nimis laborauit; & libro aduersus eos edito, multis scripturarum inductionibus roborato, errores eorum infirmauit, fidemque rectam solidauit. Hic in Offertorijs & Offertoriorum versibus, quod geminatum est, geminauit. Karolus Rex ad Saxonicum bellum animum intendit, Heresburch castrum Saxonum capit, Hormensul fanum destruit, ibique siti laborante exercitu, subitò in torrente largissimæ aquæ effusæ sunt diuino nutu; votique compos Karolus, obsides pacis accepit à Saxonibus. *Obijt sancta Amalberga virgo.*

Ex ms. Lipſ.

773. XXXII. XVI. V. XVII. III.

Adriano Papa contra Desiderium Regem conquerente, de multis iniustitijs, Karolus Italiam petit, & Desiderium, intra Papiam clausum, obsidet.

Saxones

R.	S.	F.	L.	B.	ANNO CHR.
XXXIII.	XVII.	VI.	XVIII.	IV.	774.

Saxones rupto pacis fœdere, Francorum fines premunt igne & cæde; sed tamen ecclesiam in Fritislar nequeunt incendere, quam sanctus Bonefacius benedixit, eamque numquam igne cremandam prædixit. Karolus Rex offensus dissonantia ecclesiastici cantus inter Romanos & Gallos, & iudicans iustius esse de puro fonte, quàm de turbato riuo libere, duos clericos Romam misit, vt authenticum cantum à Romanis discerent, & Gallos docerent. Et per hos primò Mettensis Ecclesia, & per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus reuocata est. Inter obsidendum Rex Karolus diuiso exercitu, multas vrbes vltra Padum comprehendit: inter quas Veronam capit, in qua Autharius Francus cum vxore Karlomanni & filijs eius latens, se cum eis Regi dedit. Adelgisus verò Desiderij Regis filius, qui illuc fugerat, inde elapsus, Constantinopolim fugit. Obsidionem Papiensium pestilentiá mortalitatis aggrauante, ciuitas Regi Karolo aperitur. Desiderius Rex cum vxore & filia, & cunctis Principibus capitur, & perpetuo exsilio ad Gallias * Agilfredo Leodicensiũ Episcopo dirigitur. Quidquid per multa tempora Langobardi Romanis abstulerāt, Karolus eis restituit; regno verò Langobardorum destructo, totam Italiam sub iure regni Francorum redigit. Taliter Langobardi victi regnare destiterunt, post annos CCIV. ex quo in Italia regnare cœperunt. Karolus Rex Saxoniam repetens, tripartito exercitu concurrit Saxonibus, eique victoria prouenit in omnibus.

* *Non igitur obijt an. 762. vt ex alijs suprà notatum.*

XXXIIII.	XVIII.	VII.	V.	775.

Constantinus Imperator contra Bulgares vadit: sed pax inter eos conuenit. Non multò pòst autem rupto à Bulgaribus pacto, Imperator eos ex improuiso aggressus, nobiliter de eis triumphauit. Karolus Rex Sigiburch castrum Saxonum capit: ter cum eis confligit, & victor obsides pacis ab eis accepit. *Sanctus Rumoldus Episcopus ab impijs occiditur.*

XXXV.	XIX.	VIII.	VI.	776.

Constantinus Imperator plaga pessimi incendij diuinitus percutitur, & clamans adhuc viuus, Igni sum inexstinguibili traditus; miserabiliter moritur. Post quem filius eius Leo annis V. imperat. Habdallas etiam Amiras moritur, post quem Mady annis IX. Saracenis principatur. In Italia quibusdam rebellionem meditantibus, Italiam repetit Karolus, vrbem Forum Iulij capit, & Ducem eius Rothgandum, rebellionis incentorem, decollari præcipit; captâ quoque Taruisio vrbe, ceteris maiestate sui nominis terrorem incutit. Saxonibus Heresburch castrum obsidentibus, gloria Dei super ecclesiam apparuit omnibus, duobus scilicet scutis sanguineo colore flammantibus, quoidam motus, vt in bello, per aëra dantibus. Karolus Saxoniam velut

ANNO CHR. | R. | S. | F. | B.

tempestas proterit, munitiones irrumpit, & ad hoc eos impellit, vt se & patriam ei dedant, & datis obsidibus se Christianos futuros spondeant.

777. I. I. IX. VII.

Vuintichindus Dux Saxonum in Nortmanniam fugit. Saxones baptizati paciscuntur, vt ingenuitatem suam, & sua omnia perdant, si vmquã à fidelitate Christi & Regis desistant.

778. II. II. X. VIII.

Karolus in Hispania Cæsaraugustam vastando delet, Pampilonam obsidet, eiusque captæ muris destructis Vuascones, duosque Saracenorum regulos sibi subigit, aliquasque vrbes in deditionem accipit. Saxones suasu Vuintichindi Franciam atterunt; sed à Karolo victi, fugâ sibi consulunt. * Thelericus Bulgar ad Leonem Imperatorem fugit; quem baptizatum Imperator Patricium facit. Chardamus Bulgaribus dominatur.

* Suprà Thelerigus.

779. III. III. XI. I.

Leo Imperator Syriam incursat. Karolus Rex in Saxonia Vuestfalos sibi subiugat. Hilterandus Dux Spoleti Karolo Regi se subdit, eiusque gratiam multis muneribus redimit.

DCC. LXXX. IV. IV. XII. II.

780. Karolus Rex * Albiam fluuium transgreditur, ibique in eius gratiam Bardogauenses & Norduitæ baptizantur. Tassilo Dux Baioariæ contra Karolum Regem rebellat, hortatu vxoris suæ, quæ filia erat Desiderij Regis, & exsilium patris sui, per maritum suum, vindicare tentabat. *Obijt Sanctus Sturmius primus Abbas Fuldensis.*

* Alias Albim.

781. V. V. XIII. III.

Leo Imperator cùm insaniret cupiditate circa pretiosos lapides, adamauit magnæ ecclesiæ coronam, & accipiens portauit eam; & exierunt carbunculi in capite eius, & captus à febre mortuus est. Post quem vxor eius Irene cum filio suo Constantino imperat annis X. Mady Amiras, multos vtriusque sexus pro Christo martyrizat. Karolus Rex orationis caussâ vadit Romam, ibique filij eius vnguntur in Reges: Pipinus super Italiam, Ludovvicus super Aquitaniam. Tassilo Dux Baioariæ ab Adriano Papa Karolo Regi reconciliatur.

782. I. VI. XIV. IV.

Constantinopoli quidam laminam auream inuenit, & in ea virũ iacentem cum hac scriptura; CHRISTVS NASCETVR EX VIRGINE MARIA, ET CREDO IN EVM, SVB CONSTANTINO ET IRENE IMPERATORIBVS,

Confer. quæ ex Theophane Baronius

R. S. F. B. ANNO CHR.

BVS, O SOL, ITERVM ME VIDEBIS. Saxones rebellāt, & à Karolo bello victi, seditiosos vsque ad CCCC. millia IↃ. ei tradant, & obsides ei tribuūt. *ad an. 780 sub fin.*

II. VII. XV. V. 783.

Saxones rebellant, & à Karolo Rege victi, pænè vsque ad internecionem delentur.

III. VIII. XVI. VI. 784.

Saxones & Fresones rebellant, & vincuntur. Vuestfali à Karolo, Karoli Regis filio, debellantur. *Sanctus Gregorius Episcopus Vltraiectensis moritur.*

IV. IX. XVII. VII. 785.

Mady Amiras moritur, post quem Moyses Saracenis annis duobus principatur. Karolus Saxoniam depopulatur. Vuintichindus & Albion Duces Saxonum, Karolo reconciliati baptizantur, & motus Saxonum reprimuntur.

V. I. XVIII. VIII. 786.

Karolus Rex Adulfum, * Synescalcum suum, contra Brittones mittit, & per eum multa Brittonum castra, & Principes eorum capit. Signum crucis in vestibus hominum apparebat. ** Ita mss.*

VI. II. XIX. IX. 787.

Moyses Amiras moritur. Post quem Aaron frater eius Saracenis annis XXIII. principatur. Karolus Rex Romam venit, & contra Heregisum Beneuenti Ducem vadit. Heregisus muneribus & obsidibus datis, gratiam eius redimit. Bellum inter Francos & Auares oritur. Sanguis de cælo & terra profluxit.

VII. I. XX. X. 788.

Tassilo Dux Baioariæ contra Karolum Regem reus maiestatis adiudicatur; vnde à Karolo attonsus, cùm filio eius Theodone, in monasterio relegatur. In Italia inter Græcos & Romanos pugnatur. Secundò in Italia, inter Francos & Auares pugnatur. Tertiò inter Auares & Baioarios pugnatur. Quartò inter Auares & Francos pugnatur, & in omnibus Karolus suis prouenisse victoriam lætatur. Instantiâ Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani, & Adriani Papæ, secundò apud Niceam vniuersalis synodus CCCL. Episcoporum congregatur; in qua fides Catholica in præsentia Irenes, & filij eius Constantini, cunctorum subscriptione roboratur, & hæresis execrantium imagines Dei, in perpetuum abdicatur. Coniuratio valida facta est ab Austrasijs contra Karolum Regem, auctore Harderico. Qua detecta, multi aut membris truncantur, aut exiliantur.

M 3 Karo-

R. S. F. B. ANNO CHR.

personam Dei & hominis diuidens in duas personas: scilicet veri filij & adoptiui. Saxones in fide Dei, & fidelitate Regis vacillant.

III. VII. XXVI. XVI. 794.

Constantinus Imperator multos Principum sibi suspectos oculis priuat. Karolus Rex non solùm patriâ linguâ, sed etiam peregrinis linguis eruditus, barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum bella & actus canebantur, scripsit, & memoriæ mandauit. Incohauit etiam Grammaticam patrij sermonis: mensibus anni, iuxta propriam, id est, Teutonicam linguam, vocabula imposuit, ventos etiam duodecim proprijs nominibus appellauit, cùm antea quattuor tantùm cardinales venti nominarentur.

IV. VIII. XXVII. XVII. 795.

Saxones virtute Karoli conterriti, reddunt se Christi & Regis fidelitati. Karolus Rex Christianam religionem sanctè ac piè colens, ecclesias Dei omnimodis honorabat, & ornabat sacris vasis, ac vestibus: edicens, vt ne ianitoribus quidem liceret communi habitu in ecclesia ministrare. Exstruxit etiam Aquis-Grani basilicam plurimæ pulchritudinis, ad cuius structuram à Roma & Rauenna columnas & marmora deuehi fecit.

V. IX. XXVIII. XVIII. 796.

Leo XCV. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Qui mox clauim confessionis sancti Petri, cum vexillo Romanæ vrbis, Karolo Regi misit. Vuitthan Rex Abrotidorum à Saxonibus perimitur.

VI. X. XXIX. XIX. 797.

Heinricus Dux Forojulianorum, exspoliato in Pannonia Auarum Principe Iringo, inæstimabilem thesaurum eius misit Regi Karolo. Thudun Princeps Auarum se & patriam suam Karolo Regi dedit, & gratiam baptismi percipit.

798.

VII. XI. XXX. XX.

Irene Imperatrix, super erepto sibi Imperio fœmineo dolore abusa, Constantinum filium suum oculis & Imperio priuat, & sola annis III. imperat. Thatun Hispanus Barcinonæ præfectus, se Karolo Regi dedit, & Barcinonam, quæ ab illo desciuerat, reddit. Karolus Rex Saxones graui prælio vincit. Adelphon Rex * Galithiæ, Regi Karolo multa munera mittit. *alia mss. Sol obtenebratus est per dies XVII.

I. XII. XXXI. XXI. 799.

Constantinus Imperator moritur. In Hispania Barcinona Saracenis reddita, à Karoli militibus est obsessa. Leonem Papam celebritatem Litaniæ maioris

ANNO CHR. R. S. F. B.

maioris agentem Romani capiunt, & linguam ei oculosque euellunt. Cui voce & visu reddito diuinitus, iterum ei oculos & linguam eruunt radicitus. Qui de manu eorum erutus, ad Karolum fugit quantocyus. Heinricus Dux Foroiulianorum à suis perimitur.

DCCC. II. XIII. XXXII. XXII.

800. In mense Iulio, contra naturam aspera & gelu concreta bis fuit pruina, sed nihil fructibus nocuit. Karolus Rex Leonem Papam in sede Romana relocat, ipse quoque Romam properat, caussas examinat, reos legaliter damnat, sicque omnes Romanorum motus sedat. Gens Auarum à fide deficit. Baleares insulæ, auxilio Francorum, à Saracenis defensantur. Per Vuidonem Karoli Ducem Brittones vincuntur, & in deditionem recipiuntur. Geroldus Dux Baioariæ in Pannonia Auaribus congressus, perimitur: de quo in visione Vuetini legitur, quòd inter martyres annumeratus sit.

801. III. XIV. XXXIII. XXIII.

Romani, qui ab Imperatore Constantinopolitano iamdiu animo desciuerãt, nunc acceptâ occasionis opportunitate, quia mulier excæcato Imperatore Constantino filio suo, eis imperabat, vno omnium consensu, Karolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumque per manũ Leonis Papæ coronant, Cæsarem & Augustum appellant; Pipinum verò filium eius, Regem Italiæ ordinatum collaudant. Amymurlyn Rex Persarum, Karolo Imperatori elephantum & munera multa mittit. Barcinona capitur. In Italia quoque Theate ciuitas à Francis capitur. Sanctus Saluius Episcopus veniens ab Aquitania, ad fiscum Valentianas, à Vuinigardo, filio Gerardi procuratoris ipsius fisci, martyrizatur; & super eius corpore requirendo Karolus Magnus Imperator diuinitus tertiò admonitus, corpus quidem inuentum honorificè sepeliuit, interfectores autem eius graui pœna multauit; nec tamen per hoc in eos vltio Dei cessauit.

Immutato ordine regnorum, immutandus est etiam ordo titulorum; quia ab hinc sub vno comprehendendum est regnum Francorum & Romanorum. Et Constantinopolitanum distinguendum est à regno Romanorum.

Ex quo Byzantium, Thraciæ ciuitas, à primo Constantino in nouam ampliata, & in regiam vrbem est exaltata, & translatâ in illam omni Romanæ dignitatis gloriâ, in sedem Romani Imperij dedicata & noua Roma est appellata; euolutis annis circiter CCCC. LXVIII. diuiso à Constantinopoli Romano Imperio, Karolus primus Francorum; imperauit Romanis annis XIV.

802. I. XXXIV. XV. XXIV.

In Italia ciuitates Ortona & Luceria contra Karolum sentientes, in deditionem accipiuntur. Karolus Imperator per omne imperium suum legato

Rom. & Franc. Const. S. B. ANNO CHR.

tos ad faciendum iudicium, & iustitiam cunctis dirigit, & Legis capitula XXIII. instituit. Legati Imperatoris Karoli ab Aaron Amyra venientes inter cetera munera, etiam ossa Cypriani Carthaginiensis martyris, & Sperati primi Scillitanorum martyrum, & caput Pantaleonis martyris, in Franciam adferunt. Nicephorus Irenen imperio depositam exsilio relegat, & Constantinopolitanis annis VIII. imperat.

II. XXXV. I. XVI. XXV. 803.

Irene Imperatrix in exsilio moritur. Nicephorus Imperator Saracenis congressus, pessimè vincitur. Karolus Imperator omnes Saxones trans Albiam morantes in Franciam transtulit, pagosque eorum Abroditis dedit. Aaron Amyras cum trecentis millibus contra Nicephorum Imperatorem ascendit; quem non ferens Nicephorus, turpe fœdus init, pactus se ei daturum annuatim tricena millia numismatum, & tria numismata in tributum capitis Imperatoris, & tria pro capite filij sui. Karolus per omne imperium iustitias facit, & Legis capitula XXIX. instituit.

III. XXXVI. II. XVII. XXVI. 804.

Leo Papa ad Karolum Imperatorem in Franciam venit. Nicephorus Imperator, fœdere cum Saracenis soluto, multa incommoda contulit imperio suo. Godefridus Rex Danorum, multâ contra vicinas gentes abutens insolétiâ, pacem ab Imperatore Karolo expetit. Auares, qui & Huni, longo contra Francos bello perdomiti, adeò à fortitudine sua & potentia sunt diminuti, vt qui alios vltrò solebant lacessere, iam nec se ab alijs valeant tueri: quia in hoc bello omnis eorum gloria, & nobilitas perijt, & quidquid pecuniæ & thesauri per tot sæcula, orbem terrarum vincendo, sibi congesserant, totum modò victoriæ Francorum cessit, & nullo vmquam bello tam multa spoliorum quantitate Francia ditata fuit.

IV. XXXVII. III. XVIII. XXVII. 805.

Karolus Imperator, indignantibus contra se Imperatoribus Constantinopolitanis, propter inuidiam imperatorij nominis à Romanis sibi impositi, magna patientia & magnanimitate eos tulit. Et quia suspectam habebant suam potentiam, crebris legationibus sibi eos firmissimo fœdere conciliabat. Auares non ferentes infestationem Sclauorum, à Karolo Imperatore inter Sabariam & Karantanum impetrauerunt habitandi locum, ibique sine regni nomine resederunt sub ditione Francorum. Karolus filius Imperatoris Karoli * Behemanos rebellantes deuicit, & Lethonem eorum Ducem peremit. * *al. Bohemos.*

V. XXXVIII. IV. XIX. XXVIII. 806.

Karolus inter filios suos partitionem regni facit, & inde testamentum fa-

ANNO CHR. R. & F. C. S. B.

ctum, sua & Leonis Papæ auctoritate roborauit. Behemani, Sclauis auxiliantibus, vbique grassantur; sed à Karolo, Imperatoris filio, fortiter debellantur.

807. VI. XXXIX. V. XX. XXIX.

Chumeyd Amireus missus ab Aaron, ad exscindendam Lyciam, cùm venisset Myream, nisus sancti Nicolai conterere arcam, pro ea contriuit aliam, & pro temeritate incurrens Dei vindictam, subsequente ineuitabili tempestate, classem amisit totam. *Karolus Imperator, per manum Paulli diaconi sui, decerpens optima quæque de scriptis Catholicorum Patrum, lectiones vnicuique festiuitati conuenientes, per circulum anni in Ecclesia legendas compilari fecit.* Rex Persarum Karolum Imperatorem pretiosis muneribus per legatos honorat. Saraceni Sardiniam depopulantur, sed a Pipino Rege Italiæ superantur. Chrunnus Bulgaribus dominatur.

808. VII. XL. VI. XXI. I.

In Britannia Eardulf Rex Nordanymbrorum patria & regno pellitur. Sed ad Karolum Imperatorem veniens, per eum regno & patriæ restituitur. Aaron Amiras moritur. Post quem Muhamad annis V. principatur.

809. VIII. XLI. VII. I. II.

Vualchandus Episcopatum Leodicensem suscipit, qui in Ardenna Andagium cœnobium construxit. Pipinus Rex Italiæ Venetiam bello sibi subigit, & non multò pòst Mediolani obit; & Karolus Imperator Venetiam Nicephoro reddit. Nicephorus Imperator nouis & iniustis legibus omnes suos exacerbat, & Dei in se iram exaggerat. Godefrido Danorum Rege mortuo, Hemingus filius eius, pacem expetit ab Imperatore Karolo.

DCCC.X IX. XLII. VIII. II. III.

810. Karolus in tres partes regni sui tres exercitus misit, vnum trans Albiam, qui Hilinones debellauit, vnum in Pannoniam, qui reliquias Hunorum & Sclauos compressit, vnum contra Brittones, qui eorum perfidiam contudit; & vbique sibi victoria prouenit. Karolus Rex, filius Imperatoris maior natu, obit. Karolus Imperator rerum suarum heredem Christum testamento facit, & quidquid in re mancipi habebat, in tres partes diuiso, tertiam eorum pauperibus & famulantibus palatio delegauit, duas verò partes, in partes XX. & vnam subdiuisit, & Metropolitanis Episcopis, qui totidem sibi suberant, distribuit; vt metropolis Ecclesia tertiam assignatæ sibi partis haberet, & duas inter suffraganeos Episcopos diuideret. Nomina* Archiepiscopalium ciuitatum, quæ erant sub Karolo: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forum-Iulij, quæ & Aquileia, Gradus, Colonia, Moguntia, Iuuauum, quæ & Salzburch, Treueris, Senonis, Vesontio, Lugdunus, Vienna, Rotomagus, Remis

* Vide Baron. & alios histo ricos sacros.

Arela-

R. & F. C. S. B. ANNO CHR.

Arelas, Ebredunum, Burdegala, Turonis, Bituricas. Nicephorus Imperator Bulgariam ingreditur; & quia victoriæ temperare nesciuit, à Bulgaribus, cum multo senatorij ordinis numero, perimitur. Stauratius filius eius post eum anno vno imperat.

X. XLIII. I. III. IV. 811.

Stauratio deposito, Michaël imperat post eum annis III. Hemingus Rex Danorum moritur. Post quem duo inter se de regno contendentes, bello colliduntur, in quo pæne XI. millia Danorum perimuntur. Moguntiæ pons quingentorum passuum longitudinis, trans Rhenum, quem Karolus Imperator per decem annos ingenti labore, & mirabili opere de lignis construxerat, ita vt perpetuò durare posse videretur, ita tribus horis conflagrauit, vt ne vna quidam hastula super aquam remaneret.

XI. XLIV. I. IV. V. 812.

Karolus Imperator Ludovvico filio suo coronam imperialem imponit, & Bernardum filium Pipini Regis, Regem Italiæ facit. In Francia apud cœnobium Elnonense Sanctus Amandus à Lothario eleuatur, à depositione eius anno circiter centesimo quinquagesimo secundo; cuius corpore adhuc integro inuento, cùm eius capilli & vngues, qui exceuisse videbātur, succiderentur, & de ore eius dentes adhibitā forcipe extraherentur, sanguis inde profluxit, qui ad memoriam posterorum adhuc seruatur.

XII. XLV. II. V. VI. 813.

Karolus Imperator per totas Gallias concilia super statu Ecclesiarum ab Episcopis celebrari edicit; vnum fuit Moguntiæ, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillonis, quintum Arelati. Muhamad Amiras fratri suo Habdallæ congreditur, à quo superatus eum sibi conregnare inuitus patitur; & hoc bello regnum Saracenorum per aliquot annos discinditur. Michaël Imperator Chrunno Bulgari congressus, de bello victus fugit, & ex desperatione rerum monachus factus, imperium deponit. Post quem Leo annis VIII. imperauit.

XIII. XLVI. I. I. VII. 814.

Karolus Imperator gloriosus, regno & imperio suo ampliato & pacato, statu quoque Ecclesiæ sanctè & religiosè ordinato, moritur, & sepelitur Aquis, anno ætatis suæ LXXII. qui pro magnitudine operum agnominatus est Magnus, cuius vitam Einardus descripsit. Post quem Ludovvicus filius eius imperauit annis XXVI.

I. II. II. VIII. 815.

Inter Ludovvicum & Leonem Imperatores pax firmatur. Harioldus

ANNO CHR. R. & F. C. S. B.

Rex Danorum, patria & regno pulsus à filijs Godefridi, ad Imperatorem Ludovvicum veniens, implorat opem recuperandi. Chrunnus successu lætatus, Constantinopolitanos incursat insolentiùs, & vsque ad portas vrbis vagatur crebris incursibus.

816. II. III. III. IX.

Stephanus XCVI. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Hic mox in Franciam venit, & Ludovvicum in Imperatorem coronauit. Ludovvicus Imperator exercitum contra Danos mittit, & per eum obsides accipit.

817. III. IV. V. X.

Paschalis XCVII. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Vuascones ab Imperatore Ludovvico desciscunt, sed ab eius exercitu edomiti, citò resipiscunt.

818. IV. V. V. XI.

Scloamyr Rex Abrotidarum, ab Imperatore Ludovvico deficit, & ad Danos transit.

819. V. VI. VI. XII.

Ludovvicus Imperator Brittones sibi subigit. Murmanus Dux eorum, qui nomen Regis sibi vsurpauerat, ab eis perimitur. Bernardus Rex Italiæ, conspirationis contra Imperatorem factæ accusatur, & reus maiestatis adiudicatus, primò regno & oculis, dehinc vita priuatur. Harioldus in regnum Danorum à Ludovvico remittitur.

DCCC. XX. VI. VII. VII. XIII.

820. Scloamyr Rex Abrotidarum, & Lupus Dux Vuasconum damnati capitis ab Imperatore Ludovvico exsiliantur. Aquisf. Grani generali conuentu habito, per dispositionem Imperatoris Ludovvici, Episcoporumque & Abbatum, aliqua capitula ad vsus regularium monachorum addita sunt; & multâ sanctarum scripturarum compilatione factâ, clericorum & clericalium sanctimonialium regulæ constitutæ sunt. Deficiente historiarum relatione, cessat etiam relatio de regno Bulgarum & Saracenorum.

821. VII. VIII.

Paschalis Papa corpus sanctæ Cæciliæ virginis, ipsâ reuelante, inuenit, aureis velatum indumentis, sanguine ipsius adhuc infusis; & ipsam, & corpora sanctorum Valeriani sponsi eius, & Tiburtij, & Maximi, Vrbani quoque Papæ, in ecclesiam à se eis ædificatam transposuit. Ludovvicus Imperator partitionem regni inter filios suos factam, confirmat sacramentis optimatum suorum. Leo Imperator Græcorum perimitur in palatio suo, conspi-

R. & F. C. ANNO CHR.

ſpiratione optimatum ſuorum,& præcipuè Michaëlis domeſticorum Comitis,& ipſe Michaël imperauit annis IX.

VIII. I. 822.

In Turingia ceſpes longitudine pedum quinquagenûm,& latitudine quatuordenûm,altitudine ſeſquipedali,ſine manibus de terra præciſus & ſubleuatus eſt,& vltra pedes XXV.tranſlatus eſt. In Saxonia tellus in modum aggeris,limite vnius leugæ,intumuit.

IX. II. 823.

Eleuatio ſancti Vrſmari confeſſoris Lobienſis celebratur. Drogo frater Ludovvici Imperatoris,fit Mettenſium Epiſcopus. Lotharius filius Imperatoris à patre in Italiam dirigitur,qui à Paſchale Papa conſecratus,coronam regni,& Imperatoris atque Auguſti nomen accepit. Romæ quidam nobilium perimuntur, pro eo quòd proniores iuſtò eſſe viderentur ad fidelitatem Lotharij Imperatoris. Quod crimen cùm etiam in ipſum Papam Paſchalem intorqueretur,Papa ſe apud Imperatores excuſat, & de hoc crimine coram populo,& legatis Imperatoris, Romæ, cum magno Epiſcoporum numero, ſe iureiurando expurgat. Terræ motus factus eſt; multæ villæ & domus cæleſti igne cremantur;homines & animalia ictu fulminum exanimantur; fruges grandine vaſtantur,cum ipſa grandine veri lapides immenſi ponderis cadũt;& hæc prodigia grandinis,hominũ mortalitas ſubſequitur. In territorio Tullenſi,villa Comertiaco puella duodennis,poſt ſacrã cõmunionem in paſcha à ſacerdote ſuſceptã,primùm per decem menſes pane,deinde omni cibo & potu per trienniũ abſtinuit, & poſtea ad communem hominũ vitã redijt.

X. III. 824.

Eugenius Romanæ Eccleſiæ * centeſimus præſidet. Corpora ſanctorum Seueri Rauennatium Epiſcopi, & vxoris eius Vincentiæ, & filiæ Innocentiæ, ab Otgario Archiepiſcopo Moguntiam tranſlata ſunt. In Gallia ante ſolſtitium æſtiuale, aëre in tempeſtatem repentè conuerſo,ingens fragmentum glaciei cum grandine cecidit; cuius longitudo pedes quindecim, latitudo ſex, groſſitudo duos pedes habebat. Legati Michaëlis Imperatoris inter cetera munera detulerunt Ludovvico Imperatori libros Dionyſij Areopagitæ De Hierarchia, id eſt, De ſacro principatu, petente ipſo Ludovvico de Græco in Latinum tranſlatos. Qui libri Pariſius in ipſo ſancti martyris feſto miſſi,cum gaudio ſuſcepti ſunt. Quod gaudium virtus ſancti martyris auxit,decem & nouem ægrotis in ipſa nocte ibi ſanatis. Vualcandus Leodicenſis Epiſcopus corpus ſancti Hucberti transfert à Leodio ad Andagium monaſterium. Rabanus Sophiſta, & ſui temporis poëtarum nulli ſecundus, fit Abbas Vuldenſis; qui multa de ſanctis ſcripturis diſſeruit, qui etiam librum De laude ſanctæ Crucis, figurarũ varietate diſtinctũ, difficili & mirando poëmate compoſuit,& Sergio Papæ, ſancto Petro offerendũ, miſit.

** Ita mss. codices Gembl. Aquic. & Ortelianus. Eſt autẽ Onuphrio CI. Sed vt ſuprà ad an. 387. monuimus, in numeris Pontificũ annotãdis, ipſe ſibi Sigebertus nõ conſtat. cæterũ poſt Paſchalem rectè Eugenius immediatè ſubiungitur.*

 Hariol-

ANNO CHR. R. & F. C.

825. XI. IV.

Harioldus Rex Danorum cum vxore & filijs, & sua parte Danorum, Moguntiæ baptizatur: & ab Imperatore muneribus, & parte Fresiæ in beneficium sibi data, honoratur. Hilduinus Abbas * de sancti Dionysij, sacrique palatij Archicapellanus, Romam mittens, à Papa Eugenio sancti Sebastiani martyris corpus accepit, & Suessionis in basilica sancti Medardi collocauit: vbi dum adhuc inhumatum in loculo, in quo allatum fuerat, iaceret, tanta signorum & virtutum gratia in nomine eiusdem martyris enituit, vt à nullo mortalium vel enumerari, vel enarrari possint. Quorum quædam tanti stuporis esse dicuntur, vt humanam fidem excedant, nisi certum esset, Deum, pro quo idem martyr passus est, omnia facere posse.

* ita ms.

826. XII. V.

Corpora Marcellini & Petri martyrum de Roma sublata, & in Franciam translata, multis signis clarificata sunt. Corpus etiam sancti Gregorij Papæ ad vrbem Suesſionis translatum esse dicitur.

827. XIII. VI.

Valentinus Romanæ Ecclesiæ centesimus primus præsidet: quo post XL. pontificij dies defuncto, quartus eius nominis Papa Gregorius, Romanæ Ecclesiæ CII. præsidet, qui etiam * Quartus Leo dictus est. Rabanus Abbas tractatus in libro Sapientiæ, & in Ecclesiastico, ad Oggarium Archiepiscopum edit. Amularius librum De officijs ecclesiasticis ad Imperatorem Ludovvicum scribit. Angelomus etiam ad eumdem Imperatorem tractatus in libros Regum edit. Ansigisus Abbas Lobiensis Edicta Imperatoris Karoli Magni, & Ludovvici filij eius, ad ecclesiasticam legem pertinentia, in duobus libellis digesit. Idem Edicta eorumdem ad mundanam legem pertinentia, in duobus æquè libellis digesit.

* Ita ms. Vide infrà ad an. 840 & Baron. in Annal

828. XIV. VII.

Italicus Ludovvici Imperatoris exercitus, classe in Africam transuectus, conserto prælio magnam Afrorum stragem fecit. In Vuasconia annona de cælo pluit, frumento similis, sed grana breuiora & rotundiora habens. Corpora sanctorum Valentini & Genesij in Augiam monasteriũ translata sunt.

829. XV. VIII.

Contra Ludovvicum Imperatorem commotio & simultas filiorum eius & optimatum exoritur. Hoc anno, qui est annus ab initio mundi, quadi imillesimus IↃCCCLXXXVIII. finitur VIIII. annus magnus ab initio mundi, qui est annorum IↃ.XXXII.

Apud

R. & F. C. ANNO CHR.

XVI. IX. DCCC. XXX.

Apud Constantinopolim Theophilus imperat annis XV. Gregorius Papa dolens crebris Saracenorũ incursionibus vexari, & vastari suburbium Romanæ vrbis, circa ecclesiam Apostolorum principis Petri, intendit illic vrbem nouam ædificare: ad quod consilio & auxilio Imperatorum animatus nouam fabricam cœpit. 830.

XVII. I. 831.

Saraceni Siciliã incursantes, etiam Lipparim insulam deuastant, vbi corpus Bartholomæi Apostoli quiescebat; quod olim loculo plumbeo iniectum, & in mare demersum, à paganis non ferentibus illud, propter nimiam signorum claritatem, ab omnibus venerari, ab India vsque ad hanc insulam vltrò delatum fuerat. Cuius ossa modò a Saracenis huc illucque dispersa, & à quodam monacho ipso reuelante collecta, Beneuentum transferuntur. Ludovvicus Imperator aduersantes sibi alios exauctorauit, alios exsiliauit, alios bonis priuauit: ac per hoc filios & optimates suos magis contra se exacerbauit.

XVIII. II. 832.

Gregorius Papa in Galliam veniens, contra Imperatorem cum filijs agebat. Imperator vxorem suam Iudith, quasi caussam malorum, abdicauit.

XIX. III. 833.

Ludovvicus Imperator à suis desertus, ac proditus, & in potestatem filiorum redactus, Episcoporum iudicio arma deposuit, & ad agendam pœnitentiam inclusus est. Sol & luna per eclipsim deficiunt.

XX. IV. 834.

Ludovvicus Imperator relaxatus, arma, imperium & vxorem recipit, ac filium Lotharium in Italiam redire cogit.

XXXI. V. 835.

Monente Gregorio Papa & omnibus Episcopis assentientibus, Ludovvicus Imperator statuit, vt in Gallia & Germania festiuitas omnium Sanctorum in Kalendis Nouembris celebraretur, quam Romani ex instituto Bonefacij Papæ celebrabant. Hoc tempore reliquiæ Viti martyris à Parisius ad Corbeiam Saxoniæ transferuntur. Vnde ipsi Franci testati sunt, quòd ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones translata sit. Ebbo Remorum Archiepiscopus deponitur, alijque multi, qui cum eo in deiectionem Ludovvici Imperatoris conspirauerant, damnantur & exsiliantur.

Grego-

836. XXII. VI.

Gregorius Papa consummatam nouæ vrbis fabricam solenniter dedicauit, eamque vrbem Leonianam appellauit, vel à Leone tertio huius nominis Papa, qui huius operis fundamenta olim iecerat, vel à seipso, quia & ipse Leo * Quartus dictus est.

* Vide infrà ad an. 848.

837. XXIII. VII.

Northmanni Gallias grauiter infestant, Dorestatum vastant; Andouerpum opidum & Vuitlant emporium, situm iuxta ostium Mosæ, incendunt, à Fresonibus tributum accipiunt. Gregorius Papa plures Italiæ vrbes, aut vetustate aut hostilitate dirutas, nouis fabricis aut muris restaurat. Saracenis ad deprædandum vsque ad portum Romanum venientibus, Romani instantia Leonis Papæ, auxiliantibus sibi etiam Neapolitanis, eos bello excipiunt, & cooperante sibi diuinitus graui turbine ventorum, vsque ad internecionem pænè victos delent.

838. XXIV. VIII.

Cometes in signo Libræ apparet. Northmanni Vualacram insulam vastant, & tributum exigunt.

839. XXV. IX.

Ludovvicus Imperator filio suo Lothario, sub fide ad se venienti, reconciliatur, eique dignitatem imperij & regni coronam tribuit. Cometes in signo Arietis apparet, & per aliquot dies plurimi, instar stellarũ, igniculi per cælum discurrere videntur.

DCCC. XL. XXVI. X.

840. Ludovvicus Imperator moritur, & Lotharius solus imperium vsurpans, imperat annis XV.

841. L. XI.

Karolus & Ludovvicus filij Imperatoris, dolentes se à fratre suo Lothario debita regni parte priuari, contra eum insurgere parant.

842. IL. XII.

Cometes in signo Aquarij apparuit. Tribus fratribus de regni partitione discordantibus, conseritur inter eos pugna in pago Alciodorense, apud villam Fontiniacum: & tanta cædes vtrimque facta est, vt nulla ætas meminerit, tantam stragem hominum fuisse factum in gente Francorum; & ita eorum vires ibi attenuatæ sunt, vt iam nec suos terminos ab externis tueri possint: victoria tamen Karolo & Ludovvico prouenit.

Fra-

III. XIII. 843.

Fratribus nondum à bello desistentibus, consilio optimatum tandem de pace agitur, & de partibus singulorum XL. primores eliguntur, qui in vnum conuenientes regnum æqualiter diuiderent; & ita pax in annum sequentem induciatur. Ludovvicus interim pergens in Saxoniam, validissimam libertorum conspirationem, dominos suos opprimere volentium, fortiter compescuit, auctoribus factionis capitali sententia damnatis.

IV. XIV. 844.

Sergius Papa Romanæ Ecclesiæ centesimus III. præsidet. Ad huius electionem * confirmandam Ludovvicus, filius Imperatoris Lotharij, à patre missus, ab eodem Papa in Regem Langobardorum vnctus est. Mauri Beneuentum occupant. Descripto in tres partes regno, fratres ad vrbem Galliæ Viridunum conueniunt, & inter se pacificantur; & datis & acceptis inuicem sacramentis, quisque ad descriptas sibi partes regni tuendas reuertuntur. Karolus accepit Occidentalia regna à Britannico Oceano vsque ad Mosam fluuium: in qua parte ex tunc & modò nomen Franciæ remansit. Ludovvico Orientalia regna cesserunt: omnis scilicet Germania vsque ad Rheni fluenta, & aliquæ trans Rhenum ciuitates, cum adiacentibus pagis, propter vini copiam. Lotharius, qui maior natu erat, & Imperator appellabatur, omnia Italiæ regna tenuit cum ipsa Roma, nec non & Prouinciam, & mediam partem Franciæ inter Scaldim & Rhenum, quæ mutato nomine ab eo denominatur Lotharingia. Post factam ergò diuisionem Karolus regnat in Francia annis XXXIV. Ludovvicus frater eius in Germania XXXIII.

Omnino vide quæ Baron. de ista re habet ad annum Domini 844. tom. 10. & quæ ad annum 847. de electione Leonis 4.

V. I. XV. 845.

Ludovvicus Rex Germaniæ Abrotidas, à se deficere molientes, bello perdomuit, occiso Rege eorum, eorumque terram & populum sibi diuinitus subiugatum, per Duces ordinauit. Apud Constantinopolim Michaël & Theodora imperant annis XI.

VI. II. I. 846.

Northmanni regnum Karoli grauiter infestant, & vsque Parisius nauigio veniunt; cum Fresonibus tribus prælijs confligunt, in primo victi, in duobus victores existunt. Karolus cum Brittonibus infeliciter pugnat. Ludovvicus Rex quattuordecim Duces Boëmanorum cum suis baptizari fecit.

VII. III. II. 847.

Leo V. huius nominis Papa, Rom. Ecclesiæ CIV. præsidet. Hic decreuit, vt, dum Missarũ sacra solennia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio stare vel sedere vel ingredi præsumat; nisi tantùm sacra plebs, quæ ad ministrationem

Hunc alij vocant Leonem Quartum.

ANNO C HR. R. F. C.

tionem sacri officij constituta est. Decreuit etiam, vt Octauæ Assumtionis sanctæ Mariæ in Ecclesia Romana celebrentur, quod antè non fiebat.

848. VIII. IV. III.

Rabanus Abbas Fuldensis, ordinatus Moguntiæ Archiepiscopus, celebratâ synodo Moguntiæ, iussu Ludovvici Regis, multa Ecclesiæ vtilia decreuit. Quædam pseudoprophetissa, dicens instare diem iudicij, Moguntiam sollicitabat, ita vt etiam aliquos sacri ordinis ad se inclinaret: quæ ab Archiepiscopo correpta, confessa est, se per suggestionem cuiusdam presbyteri, quæstus caussâ, hoc fecisse.

849. VIIII. V. IV.

Godescalcus hæreticus à Rabano Archiepiscopo rationabiliter, vt multis visum est, conuincitur; sed tamen in suo perseuerauit errore. *Sancta Helena Imperatrix à filio suo Constantino Magno, primo huius nominis Imperatore, Romæ in ecclesia sanctorum Marcellini & Petri martyrum, in Mausoleo purpureo sepulta, ad Franciam à Theogiso monacho transfertur, & in diœcesi Remensi, magna Francorum veneratione excolitur, recondita in cœnobio S. Petri, quod *Altū Villeyr dicitur.*

* Altum-Villare.

DCCCL. X. VI. V.

850. Franci à Boëmanis prælio grauiter vincuntur. Cui bello spiritus malignus, se præfuisse, per os abreptici, publicè protestatus est, & per se & per suos socios, spiritus scilicet superbiæ & discordiæ, egisse, vt Franci terga verterent.

851. XI. VII. VI.

Reliquiæ sancti Hermetis martyris per Lotharium Imperatorem in Gallias mittuntur, & apud Indam monasterium honorificè conduntur. Fames valida Germaniam attriuit, vt etiam pater filium suum deuorare voluerit: quo tempore Rabanus Archiepiscopus multam pauperibus beniuolentiam exhibuit.

852. XII. VIII. VII.

Karolus Rex Francorum, filios fratris sui Pipini Regis, Pipinum & Karolum, regnum inquietantes capit, & in monachum attonsos, in monasterium trudit.

853. XIII. IX. VIII.

Northmanni per mare Britannicum ostia Ligeris ingressi, vrbem Nannetem inuadunt, Episcopum sabbatho sancto paschæ baptismum celebrantem trucidant, clerum & populum perimunt. Inde Andegauis, deinde Turonis occupant, & vt tempestas, omnia diruunt, templum etiam sancti Martini incendunt.

Hinc-

R. F. C. ANNO CHR.

XIV. X. IX. 854.

Hincmarus Remorum Archiepiscopus in Francia claret, qui vitam sancti Remigij scripsit.

NOTATIO.

Hoc loco nulla in Gemblacensi, Aquicinctino, Lipsiano aut Orteliano manuscriptis codicibus, quibus vsi sumus, Ioannæ Papissæ fit mentio. Imò ne in margine quidem vllius è dictis codicibus, quid tale adscriptum legitur; vt sunt interdum nonnulla recentiore manu ad margines adiecta. Itaque certum est, hanc de Ioanna Papissa fabulam Sigeberto nostro falsissimè adtribui. De ea quid Cl. V. I. Lipsius senserit, hic libet opponere. Is in Epistola ad Franciscum Svvertium an. 1595. V. Kal. Martij data, cuius autographum adseruo, sic scribit: De quæstiuncula, quod petis, super Pontifice Ioanna femina, vt nugantur: vides quid sentiam, cùm appello nugas. Reuera fabella est, haud longè ab audacia & ineptijs poetarum. Vis clarè tu, & consortes illi rem videre? adite librum Gallicè nuper scriptum & editum Burdigalis, auctore *Florimundo Ræmundo*, Consiliario Regio: qui totus est in hoc argumento. Auctor ipse ad me misit, & ita plenè omnia exsecutus est, vt nobis nihil reliqui sit præter credere & adsentiri. *Hactenus Lipsius. De his plura qui volet, Onuphrium, Baronium, Ræmundum, aliosque legat. Quod ad Marianum Scottum attinet, quem aduersarij quoque nobis obiiciunt, Chronicon eius in pergameno, charactere vetustissimo exaratum, ex bibliotheca Gemblacensi ad me misit R. V. Ludouicus Sombrchus, illius loci Abbas, nostra pariter cura, si Deus vitam dederit, aliquando euulgandum. In eo nulla prorsus Ioannæ Papissæ mentio, ne ad oram quidem. Ex quibus liquet, Marianum & Sigebertum, iniustè à Baronio Annal. tomo 10. tamquam fabulæ huius adsertores, accusari & castigari.*

Benedictus centesimus V. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Hoc conspiratione quorumdam malignorum deposito, Anastasius præsulatum inuadit. Sed Anastasio a * legatis Imperatoris Lotharij deiecto, & in carcerem truso, Benedictus honorificè relocatur. Northmanni, qui per XX. annos Franciam nimis attriuerant, in patriam suam reuersi, intestino inter se bello, vsque ad internecionem delentur, vt de regia stirpe eorum nullus, nisi puer vnus, remaneret.

* Omnino vide Barō. anno 855. tom. 10.

XV. XI. X. 855.

Terræ motus, aëris insolita commotio, turbines, tempestates, grandines, fulmina multa multis modis incommoda hominibus inferunt. Quidam etiam homo igne cælesti consumtus est, veste illæsâ manente.

Lotharius Imp. partito inter filios regno, abrenuntiat sæculo, & in Prumia monasterio habitu monachi suscepto, non multò pòst dormiuit in Domino. Ludovvicus filius eius, olim à Sergio Papa, in Regem vnctus, imperat annis XXI. Lotharius verò frater eius Lotharingiam tenet.

I. XII. XI. 856.

Rabanus egregiæ vitæ & scientiæ Archiepiscopus obijt. Maginradus eremita martyrizatur. Apud Constantinopolim Michaël solus imperat annis XII.

II. XIII. XII. 857.

Nicolaus centesimus VI. Romanæ Ecclesiæ præsidet; cuius ordinationem Ludovvicus Imp. sua præsentia * roborauit. Coloniæ ortâ tempestate, populo in basilicam S. Petri confugiente, fulmen subitò, instar ignei dracoꝛ

* Vide meliùs narrantem Baronium an. 858. tom. 10.

 nis,

ANNO CHR. R. F. C.

nis, basilicam scidit ac penetrauit, & tres homines diuersis quidem locis, sed vno ictu in mortem deiecit. Alios etiam sex eodē impetu semiuiuos reliquit.

858. III. XIV. II.

Franci super crudelitate Karoli Regis sui, apud Ludovvicum fratrem eius expostulant: & eum ad regnandum super se contra Karolum inuitant. Quod ille inconsultò aggressus, turpiter alienis excessit finibus. In parœcia Moguntina malignus spiritus euidens nequitiæ suæ dedit indicium. Nam primò lapides iaciendo, & parietes domorum, quasi malleis pulsando, inde manifestè loquendo, furta etiam prodendo, discordias inter vicinos seminando, homines inquietabat. Denique animos omnium contra vnum hominem commouit; quasi pro eius peccatis ceteri talia paterentur: cuius fruges in vnum coaceruatas incendit; qui vbicumque intrasset, statim domus illa exurebatur, vt iam ei nisi in agris, locus manendi nullus esset. Propter hoc presbyteris litanias agentibus, & benedictam aquā spargentibus, inimicus multis, lapides iaciendo, cruentatis, tandem aliquamdiu quieuit. Presbyteris recedentibus, inimicus flebiliter vlulans, tandem presbyterum quemdam nominatim exprimens, se, quando aqua benedicta spargebatur, sub cappa illius, quasi familiaris sui latuisse, professus est; accusans eum cum filia procuratoris concubuisse. Sic per triennium institit, donec ibidem cuncta ædificia incendio consumeret.

859. IV. XV. III.

Probus presbyter obijt, cuius conuersatio & studium Moguntinam ecclesiam illustrauit. Ludovvicus Rex Germaniæ plurima prælia contra Sclauos strennuè gessit: & capto Principe eorū, Rastrix nomine, propter violatam fidem, oculos eruere iussit. Principibus Karoli Regis inter se discordantibus, Brittones destitutam auxilio terram inuadentes, vsque Pictauis, omnia vastando veniunt; quos redeuntes Rex Karolus prosecutus Britanniam intrat, & pugnā consertā, Franci vincuntur, Brittones in cæde eorum grassantur.

DCCC. LX. 860. V. XVI. IV.

Numeneus Rex Brittonum, dum instaret regnum Francorum depopulari, visum est ei, adsistere sibi sanctum Maurilionem, Andegauensis vrbis olim Episcopum, à quo in capite baculo percussus, iram Dei morte persensit. Hoc tempore Leutulfus Dux Saxonum, pater Othonis Ducis, auus autem Heinrici Regis, corpus sancti Innocentij Papæ à Roma in Saxoniam transtulit.

861. VI. XVII. V.

Herispous, filius Numenei, Rex Brittonum, Karolo Regi confœderatur, & muneratus eius se dominationi subdit.

Lotha-

R.	F.	C.	ANNO CHR.
VII.	XVIII.	VI.	862.

Lotharius Rex Lotharingiæ, Vualdradam pellicem superducens coniugi suæ Tietbergæ, consentientibus sibi Archiepiscopis Gunthario Coloniensi, & Tietgaudo Treuerensi, magnam sibi calamitatem parauit.

VIII.	XIX.	VII.	863.

Hugbertus Abbas & Dux, frater Tietbergæ Reginæ, pro repudio sororis suæ, contra Lotharium insurgit. Guntharius & Tietgaudus Archiepiscopi, Romæ à Papa Nicolao pro adulterio Lotharij Regis examinati, cùm & suis synodalibus gestis quæ præferebant, & suo etiam ore conuicti fuissent, episcopatu & sacris gradibus exordinati, anathematizati sunt, eisque tantùm laicalis communio concessa est. *Theodericus Episcopus Cameracensis Nonis Augusti moritur.*

IX.	XX.	VIII.	864.

Excommunicatâ pellice Vualdradâ à Legato Apostolico, videns Lotharius Rex, etiam sibi excommunicationem intentari, Tietbergam vxorem recepit, sed id non multùm profuit: quia non multò pòst eâ repudiatâ, pellicem recepit, nec vltrà vllo correptionis modo, ab ea separari potuit.

X.	XXI.	IX.	865.

Corpora sanctorum martyrum Eusebij & Pontiani, dono Nicolai Papæ, ad Gallias translata, in monasterijs voto religiosorum sancto Petro collatis, honorificè tumulantur. Rex Bulgarum ad Christianismum cum sua gente conuersus, missis ad eum à Sede Apostolica sacri ordinis ministris; acceptis etiam à Rege Ludovvico subsidijs, adeò in fide solidatur, vt non multò pòst filio maiore in regnum ordinato, ipse abrenuntians sæculo, monachus factus sit. Sed cùm filius eius iuueniliter agens, ad gentilitatis cultum vellet redire: militiæ cingulo & cultu regio resumto, filium persecutus cepit, & oculis eius effosis eum in carcerem trusit; & filio iuniore in regnum locato, sacrum habitum recepit, & in eo vsque ad finem perseuerauit.

XI.	XXII.	X.	866.

Herispoo à suis peremto, Salomon filius eius, super Brittones regnat, & Karolo contra se venienti confœderatur. Northmanni Galliam repetentes, Nannetis, Andegauis, Pictauis, & Turonis terminos depopulantur. Quibus occursantes Dux Aquitaniæ Ramnulfus, & Rotbertus fortis Marchio, dum ipsi incautè præliantes perimuntur, ceteri à Northmannis, vt oues à lupis, aceruatim sternuntur,

ANNO CHR. R. F. C.

867. XII. XXIII. XI.

Saracenis Beneuentanam regionem incursantibus, Ludovvicus Imperator viriliter occurrit: ad cuius auxilium Lotharius frater eius properans, multa quidem prælia cum eis strennuè gessit; sed exercitu suo propter intemperiem aëris, morbis & morsibus aranearum nimis grauato, cum multo suorum dispendio redijt.

868. XIII. XXIV. XII.

Adrianus Romanæ Ecclesiæ centesimus VII. præsidet. Cometes manifestissimè apparet. Michaël Græcorum Imperator, sensu diminutus, adeò mente excedebat, vt familiares suos iuberet occidi; quos tamen ad se rediens, sibi repræsentari exigebat.

869. XIV. XXV. * XIII.

Basilius, quem Michaël Imperator pauperem ex familia vnius Abbatis sibi adsciuerat, & Cubicularium factum ad tantos honores prouexerat, vt alter ab Imperatore appellaretur, sæpè ab Imperatore per insaniam occidi iussus, timens ne tali occasione occideretur, elegit magis ipse Imperatorem interficere, quàm ab eo interfici; & imperauit annis XVII. *Corpus sancti Mauri, qui fuit discipulus sancti Benedicti, asportatum à Glandifolio in Burgundiam, propter timorem Normannorum, transfertur ad Fossatense cœnobium, quod construxit sanctus Babolenus, sancti Columbani discipulus.*

DCCC. LXX. XV. XXVI. I.

870. Lotharius Rex Romam ad Adrianum Papam se excusatum vadit: à quo dum pro comprobatione innocentiæ suæ, ad examinationem Corporis & Sanguinis Domini, tam ipse, quàm optimates regni inuitati essent, & ipse & omnes, qui Corpus Domini cum eo temere accipere præsumserunt, intra ipsum annum perierunt, ipso statim in redeundo Placentiæ defuncto. *Corpus sanctæ Amalbergæ virginis in Blandinio defertur.*

* Ex ms. Lips.

871. XVI. XXVII. II.

Coloniæ celebratâ synodo, ad dedicationem ecclesiæ, à tribus Lotharingiæ Metropolitis, Luitperto Moguntino, Bertulfo Treuerensi, Vuilliberto Coloniensi, cùm ab eis etiam maior ecclesia, quæ est sancti Petri, deberet dedicari, præcedente nocte, auditæ sunt voces malignorum spirituum, inter se dolendo conquerentium, se à possessis diu sedibus debere expelli. Karolus Rex Francorum, defuncto fratruele suo Lothario, dum Lotharingiam solus vsurpare nititur, per moderantiam & industriam fratris sui Ludovvici Germanorum Regis, ad hoc attractus est, vt æqualiter inter se regnum fratruelis diuiderent. Ab exercitu Ludovvici Germanici, vario euentu, varia bella contra Sclauos geruntur.

Karolum

R.	F.	C.	ANNO CHR.
XVII.	XXVIII.	III.	872.

Karolū Regem Francorum domestica calamitas in filijs suis afflixit. Siquidem Karlomannum in clericatu vsque ad diaconatus officium prouectum, ipse pater cepit & excæcauit; pro eo quòd ad apostasiam conuersus, & omni genere nocendi regnum perturbans, alter quidam Iulianus effectus erat. Porrò alter filius eius Karolus, dum inconsultè voluisset experiri expertam cuiusdam Albuini militis fortitudinem, & solus soli congressus fuisset, ab eodem Albuino, ignorante quis esset, peremtus est. Basilius Imperator Græcorum, inter cetera munera, mittit Ludovvico Regi Germanorum, crystallum miræ magnitudinis, mirè auro gemmisque ornatam, cum parte non modica sanctæ Crucis.

XVIII.	XXIX.	IV.	873.

Ioannes centesimus VIII. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Ad hunc Ioannes, Romanæ Ecclesiæ diaconus, vitam primi Gregorij Papæ scribit, in quattuor libellis laudabiliter editam. Adalgisus Dux Beneuentanorum à Græcis seductus, contra Ludovvicum Imperatorem rebellat, & multas Italiæ vrbes ab eo deficere facit. Cui Imperator viriliter repugnans, Beneuentum & Capuam capit. Sed dolis Adalgisi persuasus exercitum dimittere, ita ab eo est circumuentus, vt non posset euadere, nisi turpi fœdere facto compulsus, iurasset Adalgiso, se numquam in vita sua Beneuenti fines intraturum. Ob hoc Adalgisus a Senatu Romanorum reus maiestatis, & hostis publicus diiudicatus, & bello contra se decreto, in Corsicam fugit. Karolus iunior Ludovvici Germanorum Regis filius, à dæmonio grauiter in præsentia patris, & optimatum eius vexatur, & in ipsa vexatione confitetur, hoc sibi ideo contigisse, quia contra patrem suum conspirationem facere moliebatur.

XIX.	XXX.	V.	874.

In Italia Brixiæ tribus diebus ac noctibus, sanguis de cælo pluisse narratur. Northmanni etiam à regno Ludovvici Germanorum Regis tributum exigentes, ab exercitu illius grauiter cæsi, vincūtur. Locustæ Galliam depopulantur innumerabiles, ceteris locustis maiores, sena alarum remigia, sex pedes, duos dentes lapide duriores habentes, vt castrorum acies turmatim volantes, duces cum paucis itinere vnius diei præmittentes, ad metanda loca venturæ multitudini, circa horam nonam ad locum præuisum venientes, ibique solis ortum exspectantes, per spatium vnius diei aërem velabant, ipsum solis splendorem obnubilantes; ore lato, extenso intestino, omnia viridia in herbis & arboribus vastabant, spatium diurni itineris, quattuor aut quinque millibus extendentes. Hoc miserabili spectaculo vsque ad mare Britannicum peruenientes, tandem flatu ventorum in profundum maris demersæ sunt; sed æstu Oceani ad litus reiectæ, ex putredine sua aëre corrupto, multos

perire

ANNO CHR. R. F. C.

perire fecerunt. Secuta fames valida multos consumsit inedia, vt pænè tertia pars hominum consumta sit.

875. XX. XXXI. VI.

Conf. Baron. to. 10. an. 874. in princ. Hiems solitò asperior & prolixior: nix & gelu à Kalendis Nouembris, vsque ad vernale æquinoctium. Ludovvico Regi Germanorum apparuit in somnis genitor suus, Ludovvicus olim Imperator, adiurans eum per nomen sanctæ Trinitatis, vt eum eriperet à tormentis, in quibus detinebatur, vt tandem æternam requiem mereretur habere. Ob hoc ad diuersa monasteria eleemosynis destinatis, obnixè filius succurrebat patri. Vnde dabatur intelligi, quia licèt idem Imperator multa Deo & hominibus placita fecisset, plura tamen Deo contraria in regno suo fieri consensit. In quibus grauiora videbantur, quòd hæresi Nicolaitarum non restitit: & monita Gabrielis Archangeli • duodecim capitulis comprehensa, quæ Emarcus ei legenda & obseruanda obtulit, seruare non studuit. Northmanni vrbem Andegauis, quasi in ea habitaturi, cum suis omnibus occupant. Ad quam oppugnandam Karolus Rex, adscito Salomone Brittonū Rege, multis diebus eam obsedit. Sed cùm Northmanni ad desperationem adducti fuissent, Rex inuito exercitu, pecuniâ ab eis acceptâ, egressum eis annuit, eisque hoc pacto peiora faciendi locum dedit.

• Conf. Baron. to. 9. an. 828. aliquantò post initiū.

878. XXI. XXXII. VII.

Cometes solitò rutilantior apparuit. Subita & nimia aquarum inundatio facta est in Iunio, ita vt in Saxonia villa quædam, longè à torrentibus & fluminibus remota, in momento cum hominibus & bestijs, cum arboribus & ædificijs, cum ecclesia & altari penitus absorpta sit, vt nullum habitationis remanserit vestigiū. Ludovvicus Imperator in Italia moritur, & patruus suus Karolus Rex Francorū Romam pergit, & Ioanne Papa, & Romanis sibi per munera conciliatis, Imperator creatur, & imperat annis tribus. Sed ei statim à Ludovvico fratre suo bellum paratur: quòd se inconsulto, solus imperium fratruelis vsurpauerit. Brittones Rege suo Salomone mortuo, pro contentione regnandi, intestino inter se bello colliduntur; sicque inuiti cessant à Galliæ exterminio. Karolus Imperator post adeptum imperium vltra se elatus, consuetudines Francorum vilipendens, Græcas glorias, & insolitos habitus adfectabat, & talari dalmatica indutus, & desuper balteo accinctus, pendente vsque ad pedes, capite verò inuoluto velamine serico, & diademate superimposito, procedebat. Et cùm esset lepore timidior, & hostes fugere, quàm fugare paratior, fratrem suum Ludovvicum lacessebat, minatus tantas copias se conducturum, vt ab equis flumine exhausto ipse per aridum alueum Germaniæ regnum intraret. *Rollo Dux Northmanniam cum suis penetrauit, & LIII. annis in ea regnauit. Ab hoc deriuatur genealogia Ducum Northmannorum & Regum, qui ex eis nati præfuerunt postmodùm genti Anglorum.*

Hoi-

R.	F.	C.	ANNO CHR.
I.	XXXIII.	VIII.	877.

Heiricus monachus vitam ſancti Germani Antiſiodorenſis, heroico metro in ſex libellis luculenter exaratam, Karolo Imperatori obtulit. Ludovvicus Rex Germanorum moritur, relinquens tres filios ſuos heredes, Ludovvicum iuniorem, & Karolum, qui non multò pòſt imperauit, & Karlomannum, patrem Arnulfi Imperatoris. Karolus Imperator de morte fratris ſui gauiſus, iniuſtitiam, quam contra fratrem conceperat, contra filios fratris perficere paratus, cum quinquaginta & eo ampliùs hominũ millibus regnum eorum aggreſſus, Coloniam vſque venit, filijs Ludovvici aliàs occupatis. Ludovvicus iunior, legatione ad patruum miſſâ, rogabat ea quæ pacis ſunt. Quod cùm impetrare non poſſet, viriliter eum bello excepit, eumque victũ cum nimio exercitus damno & multo dedecore, fugere compulit. Ingruente in Germania pecorũ peſtilentiâ, dum canes vndique collecti cadaueribus incumberent, ita diſparuerunt, vt nec viui, nec mortui reperirentur.

II.	XXXIV.	IX.	878.

Karolus Imperator, Romam ſecundò profectus, Boſoni germano vxoris ſuæ, neptem ſuam, filiam Ludovvici Imperatoris, vxorem dedit, & datâ ei Prouinciâ, in Regem eum coronauit, vt etiam Regibus imperare videretur. Qui audiens fratrueles ſuos, Karlomannum & Karolum contra ſe exercitum adducere, pauore ſolutus, reditum parat, & inter redeundum à quodam Sedechia Iudæo malè potionatus, Mantuæ moritur. Filius eius Ludovvicus, cognomento Balbus, ſecundus poſt diuiſionem, regnat in Francia annis duobus. Iunior verò Karolus, filius Ludovvici Germanorum Regis, imperium adeptus eſt, adnitentibus ſibi quibuſdam nobilium Romanorum: Ioanne autem Papa ſatagente, imperium transferre ad Ludovvicum Balbum, filium recèns defuncti Karoli Imperatoris.

I.	I.	X.	879.

Ioannes Papa iniuriatus à Romanis, ita vt etiam in cuſtodia teneretur, pro eo quòd Karolo non fauebat, in Franciam veniens, cum Rege Ludovvico Balbo pænè annum moratus eſt. Northmannorum pluſquam quinque millia, à Francis in Gallia cæſa ſunt. Hoc tempore clarebat Milo monachus * de ſancti Amandi, qui vitam ſancti Amandi metricè edidit, & librum De ſobrietate ad Karolum Caluum ſcripſit. Sub hoc Milone adoleſcebat etiam nepos eius Hubaldus, qui in ſeptem liberalium artium peritia clarus, egregiè præter cetera in muſica claruit, & de multis Sanctis cantus dulci & regulari modulatione compoſuit. * Ita ms.

II.	II.	XI.	DCCC. LXXX. 880.

Sol hora diei nona ita obſcuratus eſt, vt ſtellæ in cælo apparerent. Rex Fran-

P

ANNO CHR. R. F. C.

Francorum Ludovvicus Balbus moritur, vxorem suam ex se grauidam relinquens. De regno eius Francis variè sentientibus, alijs illud filijs Ludovvici Balbi ex concubina deberi iudicantibus, alijs Bosoni Prouinciæ regulo ad illud iniustè inuadendum adsentientibus, alijs verò illud regno Germaniæ resociare volentibus; nascitur interim ex legitima vxore Ludovvici Balbi filius, qui ex nomine aui, Karolus nominatus est. Filij tamen Ludovvici Balbi ex concubina, Ludovvicus & Karlomannus dicti, interim regnum Francorum inter se diuidentes regnant annis quattuor, & Bosonem semper persecuti sunt. In silua Franciæ Carbonaria, plusquam nouem millia Northmannorum à Francis cæduntur.

881. I. I. XII.

Karolus Imperator, fratre suo Karlomanno defuncto, & non multò pòst Ludovvico altero fratre suo immatura morte prærepto, post claras de inimicis victorias, regnum Germaniæ obtinuit. *Northmanni V. Kal. Januarij Cameracum ingressi, indeque pòst Atrebatum progressi, ferro & igne omnia vastant.*

882. II. II. XIII.

Karolus Romæ à Papa Ioanne in Imperatorem benedicitur. Northmanni, adiunctis sibi Danis, Franciam & Lotharingiam peruagantes, Ambianis, Atrebatis, Corbeiam, Cameracum, Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Bracbatensium, omnemque circa Scaldim fluuium terram, monasteria sanctorum Vualarici & Richarij, ferro & igni deuastant. Inde Vual fluuium ingressi, totam Batuam, palatium etiam Neomagi incendunt. Eodem anno Godefridus & Sigifridus Reges Northmannorum, cum inæstimabili multitudine, iuxta Mosam in loco Haslon considentes, Leodiũ, Traiectum, Tungris, Coloniam Agrippinam, Bonnam cum adiacentibus castellis comburunt: Aquis in palatio equos stabulantes, opidum & palatium incendunt, præterea monasteria Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam. Sacri ordinis in vtroque sexu ministri, vbi poterant oportuniùs, latebant; & Sanctorum corpora & pignora locis tutioribus absconderant. Ad hæc mala, Hug filius Lotharij Regis ex Vualdrada pellice, in Lotharingia, & Boso suprà scriptus in Burgundia tyrannizabant.

883. III. III. XIV.

Northmanni vrbem Treuerim incendunt, & Mettim vsque pertendunt, ibique conserto prælio Christianos vincunt. In hoc prælio Vualo Mettensium Episcopus cæsus est.

884. IV. IV. XV.

Karolus Imperator, à Gallis & Germanis ad auxiliandum regno euocatus, Northmannos obsidet. Cum quo Godefridus Rex facto fœdere, vt sibi Fresia

R. F. C. ANNO CHR.

Fresia prouincia, & Gisila, filia Lotharij Regis, vxor daretur, baptizatus est, & ab Imperatore de sacro fonte susceptus est. Sigifrido quoque Rege nimis munerato, eos à regno suo recedere fecit. Qui mox Franciam repetentes, post multas incursiones, à Karlomanno Rege Francorum duodecim millia argenti probati pro tributo exigunt, & sic in duodecim annos pacem promittentes, mare repetunt. *Hoc tempore Rodulfus quidam corpus sancti Callisti Papæ, & martyris, à Romana vrbe in Franciam transfert, qui Callistus ieiunium quattuor temporum * celebrari instituit.* *Confer. Baron. tomo 2. an Christi 226. § 6.

V. V. XVI. 885.

Karlomanno Francorum Rege mortuo, cuius frater Ludovvicus iam priori anno obierat, Northmanni Franciam repetunt, dicentes se cum Rege Francorum tantùm, non cum Francis, pacis pepigisse pactum. Hinc compulsi Franci, Karolum Imperatorem ad auxiliandũ sibi inuitantes, Franciam ei subijciunt. Qui contra Northmannos apud * Louanium castra metatos, semel & bis exercitum misit, sed nihil dignum fecit. Regnauit ergò Karolus etiam in Francia annis IV. Hincmarus Remorum Archiepiscopus obijt. *Vide Reginonis chronicon.

VI. I. XVII. 886.

Marinus Romanæ Ecclesiæ centesimus nonus præsidet. Apud Constantinopolim Basilio Imp. mortuo, Leo filius eius imperat annis XVIII. Hug filius Lotharij Regis, ex Vualdrada pellice, paternum Lotharingiæ regnũ rebellando assequi sperans, Godefrido Northmannorũ Regi, cui soror sua Gisila nupserat, medietate affectati regni promissâ, persuadet, vt ab Imperatore imperiales fiscos ad libitum suum sibi addi peteret, per hoc vtrimque Imperatorem circumveniri putans; si daret, Northmanni, hostes regni, in visceribus regni immitterentur; si negaret, iustam rebellandi caussam habere videretur. Ad hoc tractandum iussu Imperatoris, Heinrico Duce, & Godefrido in Batuam ex condicto conuenientibus, inter agendum Godefridus cum suis perimitur. Nec multò pòst etiam Hug ab Heinrico captus excæcatur, & nouissimè in monachum Prumiæ attondetur.

VII. II. I. 887.

Northmanni à Louanio exeuntes, Parisius obsident. Contra quos Heinricus Dux exercitum ducens, dum incautè equitat, in foueam quam Northmanni factam quisquilijs operuerant, lapsus trucidatur. Hug Dux & Abbas miræ potestatis & prudentiæ moritur. *Post Rotradum, Dodilo XVI. Kal. Aprilis Cameracensis Episcopus ordinatur.*

VIII. III. II. 888.

Agapitus Romanæ Ecclesiæ centesimus X. præsidet. Hic in aliquibus libris * non annumeratur. Karolus Imp. cùm Northmannos nequiret expellere, *Nec eũ habet Baronius, in Annal.

ANNO CHR. R. F. C.

pellere, tandem facto fœdere concessit eis regiones, quæ erant vltra Sequanam, quarum incolæ contra se rebellabant. *Quæ pars Franciæ à Northmannis Northmannia est dicta, quamuis esset eius regio propria, sed non ita, vt nunc est, dilatata.*

889. VIIII. IV. III.

Adrianus Romanæ Ecclesiæ centesimus XI. præsidet. Karolus Imp. zelatus vxorem suam, pro eo quòd plùs iustò familiariùs ageret cum Luitvvardo Vercellensi Episcopo, protestatur in concione, se numquam cùm ea coisse: illa verò se virginem esse gloriata, accepto repudio monasterium perijt.

DCCC. XC. X. V. IIII.

890. Karolus Imp. corpore & animo deficiens, ab optimatibus regni repudiatur, & Arnulfus filius Karlomanni Regis, fratruelis eius, in regnum sublimatur, & regnauit annis XII. Hic Arnulfus patruo suo Karolo * ex Imperatore etiam necessarijs egenti, fiscos in Alemannia delegauit, qui sequenti anno obijt. Romanum imperium & regnum Francorum miserè discerpitur. In Italia nempe Berengarius & Vuido de regno contendunt. Franci verò, neglecto Karolo, filio Ludovvici Balbi, puero vix decenni, Regem sibi præficiunt Odonem, filium Rotberti Ducis, quem à Northmannis occisum suprà diximus. Rodulfus autem, coronâ sibi impositâ, Rex Burgundionum statuitur, quod regnum multo tempore durauit. *Franco Episcopus adquisiuit episcopatui Legiensi abbatiam Lobiensem, & præposituram Fossensem, cum appendicijs suis.*

* Eximperatori.

Id tradit Fulcuinus in Chronico Lobiensi.

891. I. I. V.

Ab hoc tempore Luitprandus, diaconus Ticinensis ecclesiæ, historiam suam orditur. Basilius Romanæ Ecclesiæ centesimus XII. præsidet. Hic in aliquibus libris * non inuenitur. Northmanni Parisius expugnare non valentes, Burgundiam aggrediuntur, & Senonis vrbem oppugnant, sed non expugnant. In Italia Saraceni castrum quoddam Fraxinetum occupantes, magno exitio Italiæ esse cœperunt.

* *Et merito. Vide Baron. an. 885.*

892. II. II. VI.

Northmanni à Senonis Parisius repetunt, & inde repulsi, per Matronam fluuium Trecas vrbem incendunt, & vsque Viridunum & Tullum vrbes, cuncta depopulantur. Vuido Berengarium bis victum ex prælio fugat. Odo Rex Danos super Axonam fluuium bello vincit.

Ita pu-

893. III. III. VII.

Arnulfus Rex Zuendebaldo Duci Marahensium Ducatum Boëmanorum addens,

R. R. C. ANNO CHR.

addens, & Boëmanos per hoc sibi infestos fecit, & Zuendebaldo, per adiectionem potentiæ, materiam contra se rebellandi dedit. Ad quem debellandum cùm non sufficeret, apertis clusis, gentem Vngarorũ, Deo inimicam, regno immisit, eorumque auxilio Zuendebaldum deuicit, & tributarium fecit. *Sanctus Vldaricus in Baioaria nascitur.*

IV. IV. VIII. 894.

Northmanni iterum à Parisius repulsi, fines Brittonum incessunt, & primò victores, postea à Brittonibus vincuntur, in duobus prælijs duodecim millibus suorum peremtis. Odone Rege, per consilium Francorum, in Aquitania demorante, Franci Karolum puerum duodennem, Ludovvici Balbi filium, in regnum paternum reuocant, & Remis à Folcone Archiepiscopo in Regem benedici faciunt; & oritur longa concertatio inter eum & Odonem.

V. V. VIIII. 895.

Stephanus Romanæ Ecclesiæ centesimus XIII. præsidet. Northmanni Lotharingiam repetentes, circa Leodium cum Christianis pugnant, & vincunt. Sunderoldus Moguntiæ Archiepiscopus à Northmannis Vuormatiæ martyrizatur. Arnulfus Rex, auditâ cæde suorum, à Baioaria, contra Northmannos pugnaturus, properat cum valido exercitu; quos supra fluuium, qui Thilia dicitur, pedestri prælio adortus, tantam ex eis stragem fecit, vt ex innumerabili multitudine vix superesset, qui ad classem aduersum nuntium ferret. Northmannorum residui, transuadato Mosa, Ribuariam & Arduennam vastando peruagantes, trans mare recedunt. *Hoc tempore claruit in Burgundia Berno, ex Comite Abbas Gigniacensis cœnobij à se fundati, qui etiam ex dono Auæ Comitissæ construxit Cluniacum cœnobium in cellam Gigniacensem. Claruit hoc tempore Remigius Antissiodorensis, in exponendis scripturis diuinis & humanis studiosus.*

VI. VI. X. 896.

Arnulfus Rex Zuendebaldum, filium suum ex concubina, facit Regem Lotharienfium. Karolus Rex opem Arnulfi Regis contra Odonem implorat, ad cuius auxilium Arnulfus Rex exercitum misit, sed parum commodi contulit. Karolus Rex Hundeum Regem Northmannorum baptizari fecit, eumque de sacro fonte suscepit.

VII. VII. XI. 897.

Arnulfus Rex à Berengario Italico interpellatus, ad auxilium sui contra Vuidonem, Zuendebaldum filium suum cum exercitu mittit in Italiam: sed Vuido viriliter agens, & primores exercitus donis corrumpens, eos inefficaces redire fecit.

ANNO CHR.	R.	F.	C.
898.	VIII.	VIII.	XII.

• Bergomum.

Arnulfus Rex Langobardiam potenter ingressus • Pergamum vrbem armis cepit, cuius Comitem Ambrosium ante portam vrbis laqueo suspendens, ceteris vrbibus terrore incusso, ad obsequelam suam omneis adduxit. *Odo musicus ex clerico Turonensi monachum profitetur, sub Bernone Abbate.*

899.	VIIII.	VIIII.	XIII.

Odo Rex Francorum moritur, obtestatus primates, vt Karolum in regno reciperent. Karolus regno Francorum toto recepto, regnauit annis XXVI. Apud Triburias celebratâ synodo, contra laicos, qui auctoritatem episcopalem imminuere tentabant, plura super statu sanctæ Ecclesiæ decreta sunt.

DCCCC.	X.	I.	XIV.

900.

• Ita mss. sed alios consule.

Formosus, Portuensis Episcopus, Romanæ Ecclesiæ cêtesimus • XIV. præsidet, contra voluntatem quorumdam Romanorum, qui Sergium diaconum Romanæ Ecclesiæ Papam facere voluerant, sed non præualuerant. Hic Formosus cùm aliquando in sinistram suspicionē venisset octauo Ioanni Papæ, timore eius fugiens, episcopatum Portuensem reliquit. Et quia reuocatus à Papa redire noluit, anathematizatus est, & tandem ad satisfaciendum Papæ in Galliam veniens, vsque ad laicalem habitum degradatus est, iurans se non ampliùs Romam intraturum, nec episcopatum suæ vrbis repetiturum; confirmans etiam propriæ manus subscripto, se in laicali cōmunione perseueraturum. Pòst à Marino, successore Ioannis in episcopatu, contra datum sacramentum restitutus, non solùm Romam intrauit, sed etiã Romanæ Ecclesiæ Papatum suscepit. Propter quod cũ multo scandalo, multa per multos annos quæstio & controuersia agitata est in Ecclesia; alijs eius & ab eo ordinatorum consecrationem irritam esse debere præiudicantibus, alijs è contra, qualiscumque fuerit Formosus, tamen propter sacerdotalis officij dignitatem, & fidem eorum qui ordinati fuerant, omnes consecrationes eius ratas esse debere, • saniori consilio iudicantibus: præsertim cùm ipse Formosus à Marino Papa absolutus fuerit à sacramenti periurio. Ab hoc Formoso Arnulfus Rex inuitatus Romam venit, sed non admissus, Romam Leonianam obsedit. Lepusculo fortè versus vrbem fugiente, & exercitu cum clamore nimio sequente, Romani timentes, se de muro proijciunt, & hostibus per factos aceruos murum ascendendi locum faciunt. Sic Româ captâ, illos qui Papam iniuriauerant, decollari fecit, & à Papa in Imperatorem benedicitur. Fulco Remorum Archiepiscopus perimitur à Vuenemaro satellite Balduini Flandrensium Comitis, pro eo quòd abbatiam sancti Vedasti Atrebatis à Karolo in beneficium acceperat, quam Balduinus iam per aliquot annos, quamuis nullo concedente, inuaserat.

Vide Baronium & alios Pontificia historia scriptores.

• Ita mss. Sed cōsule Baronium & alios.

Confer. Baron. to. 10. anno 896.

Lege Frodoardum, Remensis eccl. sia historiã.

Vuido

R.	F.	C.	ANNO CHR.
XI.	II.	XV.	901.

Vuido Rex Arnulfum Imperatorem, se vsquequaque persequentem, non ferens, quippe cui nec vrbes nec castra naturâ munita resistere poterant, dum se fugiendo tutaretur, Imperator vxorem eius obsedit, quæ iam rebus suis diffidens, per vnum Imperatoris familiarem, multa pecunia corruptum, ei poculum mortiferum dedit: quo hausto per triduum excitari non potuit, apertis oculis nil sentire aut loqui valens. Quæ res eum repedare coëgit; quem recedentem Guido persecutus, à Domino percussus obijt. *Bonefacius Romanæ Ecclesiæ CXV. præsidet. * Conf. Baron. to. 10. an. 897.

XII.	III.	XVI.	902.

Arnulfus Imp. longa ægritudine dissolutus, vel, vt quidam ferunt, afflictus à minutis vermibus, quos * pedunculos vocant, adeò in corpore eius scaturientibus, vt à nullo medicorum minui possent, moritur, & Ludovvicus filius eius post eum regnat annis decem. Stephanus CXVI. Romanæ Ecclesiæ præsidet * mensibus quattuor. Hic primum à Formoso Papa Episcopus Anagninæ Ecclesiæ ordinatus, ipsum Formosum persequitur, & omnes ordinationes eius irritas esse debere decernit, & alia horribilia dictu in eum fecit. Legitur enim, quià ipse, non Sergius, corpus Formosi à sepulcro in concilio protractum, & papali veste exutum, laicali induit, & abscissis duobus digitis dextræ manus eius, in Tiberim præcipitari fecit. * Romanus CXVII. Romanæ Ecclesiæ præsidet. In Italia pro Guidone filius eius Lambertus contra Berengarium regnat. * pediculos. * Annos 4. habet & distinguit Baro. Vide eundē an. 897. * Legatur Baron. sub finem anni 900.

I.	IIII.	XVII.	903.

Theodorus CXVIII. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Hic contra Stephanum Papam sentiens, reconciliauit ordinatos à Formoso, quos Stephanus per vim intus Romæ, & non foris exordinauerat, nec tamen præsumserat eos iterum consecrare. His reconciliatis Theodorus Papa libellos abrenuntiationis reddidit, & igni cremari præcepit. Idem an. 901.

Ioannes CXIX. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quam Stephanus deposuerat, synodū LXXIV. Episcoporum, præsentibus Francorum Archiepiscopis & Rege, apud Rauennam statuit; & coram eis combusta est synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat. Lamberto filio Guidonis mortuo, Berengarius regno potitur. Vngarorum gens barbara, quæ quibusdam clusis remota, nec ad meridianam, nec ad occidentalem plagam excundi antea habuerat facultatem, per Arnulfum ruptis clusis emissa, quæ Arnulfo viuente, aliquantulum temperauerat rabiei suæ; modò eo mortuo, per totam Galliam, Germaniam Italiamque, vt fera tempestas, diffunditur. Lege Baro. an. 901.

Zuendebaldus Rex à Lotharienſibus bello perimitur; in qua conspiratione

ANNO CHR. R. F. C.

ne & bello quicumque vulneratus est, aut mortem non euasit, aut numquam sanari potuit. Francone Leodicensium Episcopo mortuo, Stephanus Episcopus subrogatur, vir sanctitate & scientia clarus, qui vitam & passionem sancti Lamberti martyris ad Herimannum Archiepiscopum vrbaniùs edidit. Cantum quoque nocturnum de eodem martyre, cantumque de sancta Trinitate, & de Inuentione Stephani protomartyris, dulci & regulari modulatione composuit. Conradus Comes, pater Conradi, qui post Ludovvicum regnauit, perimitur in bello à Comite Alberto.

904. II. V. XVIII.

Baron. an. 905. Benedictus Romanæ Ecclesiæ CXX. præsidet. Ludovvicus Rex conserto cum Vngaris prælio, miserabiliter vincitur. Apud Constantinopolim Leone Imp. mortuo, Constantinus filius eius, & Alexander frater ipsius Leonis, imperant anno vno.

905. III. VI. I.

Vide Baro. an. 907. Leo Romanæ Ecclesiæ CXXI. præsidet. Hunc post XXX. dies ordinationis suæ Christophorus presbyter suus capiens, & in carcerem trudens, per inuasionem Romanæ Ecclesiæ CXXII. præsidet. Vngari superioris anni victoria elati, regnum Ludovvici sub tributo redigunt. Apud Constantinopolim Alexandro Imp. mortuo, Constantinus imperat annis XXXVIIII.

906. IIII. VII. I.

Vngari victos Græcos sub tributo redigunt. Apud Græcos Romanus humilis quidem genere, sed quia leonem ferocem occiderat, expertæ fortitudinis habitus, & per hoc à Leone Imp. dux naualis exercitus constitutus, volens fieri tutor Constantini Imp. qui admodùm puer erat, tutorem à patre illi deputatum, & omnes principes palatij, ad se extra vrbem arte euocatos, capit, & palatio eliminat, & sibi fauentes officijs curialibus honorat. Phocas autem qui terrestrem exercitum, contra Simeonem Bulgarum Regem duxerat, hoc nuntio perterritus, fugit à bello, & omnes fugere fecit: sicque animos & vires Bulgaribus addidit Græcos acriùs debellandi, & ipse à Romano captus, oculis priuatur.

907. V. VIII. II.

Conf. Baron. an. 908. Sergius Romanæ Ecclesiæ CXXIII. præsidet. Iste est Sergius diaconus propter Formosum à papatu reprobatus, qui ab eodem Formoso Episcopus factus, ad Francos tamen se contulit, & eorum auxilio Christophorum inuasorem capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingressus, papatum inuasit, & Romanos minis & terroribus perpulit, vt omnes ordinationes Formosi irritas haberent, & in vltionem suæ repulsæ, quod dictu nefas est, Formosum sepulcro extractum in sedem pontificatus, sacerdotaliter indu-

R. F. C. ANNO CHR.

indutum decollari præcepit, & insuper tribus digitis abscissis, in Tiberim iactari fecit, & omneis quos ille ordinauit, iniustè exordinauit, & iniustiùs reordinauit. Quem à piscatoribus inuentum, & in basilica Apostolorum principis loculo deportatum, quædam Sanctorum imagines adorasse, & venerabiliter salutasse palàm omnibus visæ sunt. Apud Græcos Romanus pater Basileos factus, vt securiùs ageret, matrem Constantini Imp. vxorem duxit, suam verò filiam ipsi Constantino despondit. Vngari Bulgares victos tributarios sibi faciunt.

Contrarium vide suprà an. 904. Consule Baronium, Alfonsum Ciacconium & alios Pontificiæ historiæ scriptores.

VI. VIII. III. 908.

Romanus impetrato à principibus, vt etiam indumenta imperialia & diadema imperij acciperet, non iam tutor Imperatoris, sed super Imperatorem Imperator videbatur esse; qui etiam Christophorum filium suum in Imperio adscitum, Constantino Imperatori in procedendo præferebat. Sed Christophorus non multò pòst obijt. *Hoc anno passus est in Hoyo Comes, Dux & martyr beatus Mengoldus, Arnulfi Imp. Romanorum ex sorore nepos.*

VII. VIIII. IV. 909.

Vngaris Italiam depopulantibus, Rex Berengarius, bello congressus, miserabiliter vincitur. Romanus Græcorum Imperator Bulgares, Græcos fortiter debellantes, facto fœdere, mitigauit.

VIII. X. V. DCCCCX.

Saraceni ex Africa à Rege suo missi, in Italiam, vt Apuliam & Calabriam 910. contra Romanum Imperium rebellantes, sub ditione illius redigerent pugnando, Apulis & Calabris fortiter debellatis, Romam versus girantes, Garelianum montem occupant; ibique munitione sibi factâ, multas Italiæ vrbes debellauerunt. Regino Abbas Prumiensis Chronicam suam à natiuitate Domini incohatam, vsque ad hunc annum perduxit. Adelbertus quidam ex primoribus Austrasiorum per septennium Ludovvico Regi rebellis, dolo Hattonis Moguntini Archiepiscopi, ad Regem deductus, decollatur.

VIIII. XI. VI. 911.

Vngari Germaniam vastant. Ludovvicum filium Bosonis ex filia Ludovvici Imperatoris, ab Italiensibus à Burgundia inuitatum in regno, Berengarius excipiens bello, iurare illum compulit, vt si redire permitteretur, non vltrà in Italiam veniret.

X. XII. VII. 912.

Ludovvicus Rex Germaniæ moritur, qui propter tyrannorum in Italiam insolentiam, & multam malorum ingruentiam, non meruit imperialem benedictionem. Cui succedens Conradus regnauit annis VII. qui & ipse caruit

Q bene-

ANNO CHR. R. F. C.

benedictione imperiali. *Berno Abbas moriturus, Odonem, olim musicum, constituit Abbatem Cluniacensis cœnobij, ea conditione, vt ecclesia Cluniacensis solueret annuatim ecclesiæ Gigniacensi censum XII. denariorum. Stella cometes apparuit.*

913. I. XIII. VIII.

Ludovvicus ab Italiensibus ad regnandum reinuitatus, tam citò oblitus iuramenti, in Italiam contra Berengarium vadit, & eo expulso, regnum Italiæ vsurpat. *Hoc anno cæpit Abbas Gerardus ædificare Broniense cænobium.*

II. XIIII. VIIII.

914. Contra Conradum Regem potentiores regni principes rebellionem meditati, scilicet Arnoldus de Baioaria, Burchardus de Sueuia, Euerardus de Francia, Gisilbertus de Lotharingia, & horum omnium præcellentior Heinricus Dux de Saxonia & Turingia, tam sapientia quàm fortitudine Regis, ad gratiam eius reducuntur. Solus Arnoldus ad Vngaros, cum vxore & filijs fugiens, vsque ad mortem Regis ibi mansit.

915. III. XV. X.

Ludovvicus Veronæ captus à Berengario, à custodibus vrbis auro corruptis, in vrbem immisso, oculis priuatur. Vngari Berengario cōfœderati Alemanniam vastant, & à Baioarijs & Alemannis grauiter cæduntur. *Hoc anno translatum fuit corpus beati Eugenij ad monasterium Broniense, in diœcesi Leodicensi, & Comitatu Namurcensi per sanctum Gerardum dicti monasterij fundatorem & Abbatem, à monasterio sancti Dionysij in Francia.*

916. IV. XVI. XI.

Karolus Rex Francorum regnum Lotharingiæ recepit. Saraceni à Fraxineto & Gareliano monte exeuntes, Calabriam, Apuliam, Beneuentū, Romanorum quoque vrbes ita occupant, vt vnamquamque mediam Romani, mediam Saraceni tenerent; & grauissime Italiam premebant.

917. V. XVII. XII.

Baron. an. 910. & 911. Anastasius CXXIV. & post hunc Lando centesimus XXV. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Vngari Alemanniam totam deuastantes, vsque Fuldam perueniunt.

918. VI. XVIII. XIII.

Romanus Græcorum Imperator, filios suos Stephanū & Constantinum, cum domino suo Constantino Imperatore, imperare constituit; ipso Constantino Imp. opere manuum suarum, picturam scilicet pulchrè exerçendo, sibi

R. F. C. ANNO CHR.

sibi victum quærente. Hattonem Moguntinum Episcopum, cuius dolo olim Adelbertus perierat, Rex Conradus sollicitat etiam contra Heinricum Saxonum Ducem, propter potentiam ipsius sibi suspectum. Ad quod cùm iam torquem auream Episcopus fabricasset, quæ collo Ducis secum conuiuantis inijceretur, dolo prodito frustratus est; & post triduum morbo & angore, vel, vt alij dicunt, fulminis ictu perijt. Complices consilij etiam à Duce patria eliminati sunt. Misso autem exercitu à Rege contra Heinricum, tanta cæde Saxones debacchati sunt in eos, vt à mimis declamaretur, vbinam esset tantus ille infernus, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset. Vngari per Alemanniam in Alsatiam, & vsque ad Lotharingiam perueniūt. *Balduinus Comes Flandrensis obit, & in Blandinio sepelitur.*

Vide historiam Episcoporum Moguntinorum, Nic. Serrarij.

VII. XIX. XIV. 919.

* Ioannes Rauennas Episcopus, centesimus XXVI. Romanæ Ecclesiæ præsidet. Conradus Rex moriens, coram principibus regni, Regem designat Heinricum, filium Othonis Saxonum Ducis. Hic ergò regnat annis XVII.

** Baron. an. 912. to. 10.*

I. XX. XV. DCCCC. XX.

Heinricus Rex contra Arnoldum ab Vngaris regressum, cum exercitu in Baioariam profectus, eum virtute & sapientia sua ad gratiam suam inflexit, addens ei ordinationem Episcoporum totius Baioariæ. Burchardum etiam Ducem Alemanniæ bello deterritum, ad se inflexit. Rotbertus Dux, frater Odonis Regis, appetens regnum Francorum, contra Karolum, inquietabat Franciam, eiusque instinctu omnes penè primores Franciæ aduersabantur Karolo. 920.

II. XXI. XVI. 921.

Stephano Leodicensium Episcopo defuncto, Richarius vir catholicus, à Karolo, per auctoritatem Papæ Rom. ordinatur Episcopus, repudiato Hilduino, qui pecuniâ datâ Duci Gisleberto, ambiebat ab eo sibi dari Episcopatum. Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingiæ, sanctus pater noster Guicbertus, qui nostrum, Gemmelacense scilicet, cœnobium fundauit, qui diuitijs, nobilitate & potentia clarus, cingulum mundanæ militiæ deponens, cingulo sanctæ religionis in monachico habitu se accinxit. Ziptineus Dux Boëmiæ ad fidem Christi conuersus, iustè & religiosè in Boëmia principabatur, & post eum Vuatizlaus filius eius. Post Vuatizlaum Vuencezlaus filius eius, iustitia & sanctitate præclarus, *cui frater suus Bolizlaus nimis aduersabatur.*

III. XXII. XVII. 922.

Vngaris Franciam, Alsatiam, Alemanniam, Saxoniamque depopulantibus, Heinricus Rex iuxta vrbem Merelburch congressus, vouens Deo, pro

ANNO CHR. K. F. C.

adipiscenda victoria, se hæresim simoniacam de regno suo eradicaturum; inæstimabili cæde eos vsque ad internecionem pænè deleuit. Rex Heinricus quoscumque fures, latrones aut sicarios manu fortes, & bellis aptos esse videbat, indultâ eis veniâ, agros & arma dabat, & legionem ex eis faciens, ad debellandos barbaros exponebat, edicens omnino, vt ciuibus tantùm parcerent. Karolus Rex Francorum cum auxilio Lothariensium, iuxta vrbem Suessionis pugnans, contra Rotbertum fratrem Odonis Regis, qui contra se regnum Francorũ inuadebat, eum cum multis peremit, & se & Franciam Heinrico Regi submittit, eiq́ue in pignus perpetui fœderis & amoris, mittit manum pretiosi martyris Dionysij Parisiensis, auro gemmisq́ue inclusam.

923. IV. XXIII. XVIII.

*Bonnã. Reges Heinricus & Karolus apud * Bunnam confœderantur; & Karolus reddit Heinrico Regi regnum Lotharingiæ, Episcopis & Comitibus vtrimque iurando rem confirmantibus. Sanguis Domini crucifixi venit in Augiam; fortè ille sanguis, qui de imagine Domini fluxit, cùm secundò Dominus in imagine sua à Iudæis peiora pateretur. Africani, qui per munitionem Gareliani montis totam Italiam laniabant, per militiam Ioannis Papæ, & per auxilium Romani Græcorum Imperatoris, consertâ cum eis pugnâ, ita atteruntur, vt ne vnus quidem superfuerit, qui non aut trucidaretur aut caperetur; multis testantibus, Apostolos Dei Petrum & Paullum in illo bello visos fuisse, ad auxilium Christianorum.

924. V. XXIV. XIX.

Rex Heinricus pacem cum Vngaris in nouem annos firmat. Karolus Rex Francorum à Comite Heriberto captus, in custodiam Peronæ truditur, ob necem Rotberti Ducis ab eo peremti. Rodulfus Rex Burgundionum ab Italiensibus ad regnandum contra Berengarium inuitatus, consertâ cum Berengario pugnâ, eoq́ue victor expulso, regnum Italiæ tribus annis tenuit.

925. VI. XXV. XX.

Rex Heinricus vrbem Sclauorum Brennaburch capit, & victis Sclauis tributum imponit. Rex Heinricus agrarios milites recensens, edixit vt octo eorum in agris, nonus verò in vrbe moraretur; vt octo & sibi & nono in agris laborarent, nonus verò in vrbe tertiam partem omnium frugum illorum reseruaret in ædibus, à se ad hoc exstructis; vt in bello nihil alicui eorum deesset, vrbesq́ue rebus & viris plenæ essent. Berengarius Rex ab Italiensibus impiè perimitur. Vngari, Salardo Duce, Italiam peruagantes Papiam obsident & incendunt.

926. VII. XXVI. XXI.

Karolus Rex Francorum sub custodia Heriberti exul & martyr moritur.

Rodul-

R. F. C. ANNO CHR.

Rodulfus regnat in Francia annis duobus. Simeon Bulgar, qui ex philosopho monachus, ex monacho miles factus, dominabatur Bulgaribus, Græcos grauiter atterit; sed Romanus Græcorum Imperator eius insaniam, facto fœdere mitigauit.

VIII. I. XXI. 927.

Post mortem Karoli Regis, nolentibus Lotharingis Heinrico Regi subesse, quidam Lotharingus nomine Christianus, simulatâ infirmitate, Gislebertum Ducem, ad se dolo euocatum, cepit, Regique misit, vt per eum Lotharingiam sibi subijceret. At Rex inspectâ industriâ & potentiâ Gisleberti, filiam suam Gerbergam ei despondet, & eum iterum Lotharingiæ præficit. Ludovvicus filius Karoli Regis insidiantes sibi fugiens, per mare transit in Angliam. Mater enim eius fuerat filia Regis Anglorum. Rodulfus Rex ab Italiensibus repudiatur, & Hugo Comes Arelatensium in regnum subrogatur.

VIIII. II. XXIII. 928.

Ludovvicus in Franciam reuersus, & licet ærumnosè, tamen in regno restitutus, regnat annis XXVII. Rex Hugo quosdam Italiensium suspectos sibi, consilio & virtute Samsonis Comitis circumuentos sibi substrauit. Ratherius Lobiensis monachus, vir nimiæ simplicitatis, sed experientia liberalium artium nominatus, cum Hilduino, qui in Lotharingia Episcopatum Leodicensem olim ambierat, in Italiam ad Hugonem Regem profectus, Veronæ Episcopus ab Hugone constituitur, Hilduino Mediolani Archiepiscopo ordinato. Rex Heinricus Granam vrbem * Dalamantiæ capit, * & Dalamancis tributum imponit. *Eleuatio sancti Folquini Episcopi Morinensi.*

* Dalmatiæ.
* Dalmatis.

X. I. XXIV. 929.

Lanceam mirandi operis, & clauis IESV Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur primi & Magni Constantini Imp. fuisse, donatam Rodulfo Regi Burgundionũ & Italiæ, à Samsone Comite, Rex Heinricus precibus, minis, muneribus, additâ etiam parte prouinciæ Sueuorum, à Rodulfo Comite extorquet; & hanc ad insigne & tutamen Imperij posteris reliquit.

XI. II. XXV. DCCCC. XXX.

Ioannes Papa, à militibus Guidonis Marchionis captus, & in custodiam 930.
trusus, ceruicali super os eius imposito, pessimè strangulatus est. In cuius loco alter Ioannes subrogatus est, frater Alberici, Romam, expulso Hugone, regentis. Alibi legitur hoc in loco * Leo Papa præsedisse. Vuencezlaus Princeps Boëmiæ, à Rege Heinrico in Praga vrbe obsessus, se & vrbem Regi dedit, & impositam Boëmiæ multam tributi soluit.

* *Hoc verius est. Vide Baron. an. 928.*

ANNO CHR. R. F. C.

931. XII. III. XXVI.

Heinricus Rex Reges Northmannorum & Abrotidorum Christianos facit. Hubaldus monachus & philosophus, de sancti Amandi Elnonensis, obijt. Redarij vsque ad CC. millia hominum conspirantes, contra Heinricum Regem rebellant, & regnum eius grauiter infestant, & vicinas gentes ad rebellandum animant. Sed à Ducibus Regis Bernardo & Tietmaro, graui bello victi, omnes penè perimuntur, aut fugientes in mari vicino demerguntur, & hoc facto vicinæ gentes à rebellione deterrentur. *Arnulfus Comes Flandriæ cepit castellum sancti Vedasti.*

932. XIII. IV. XXVII.

Arnoldus Dux Baioariorum, in Italiam contra Hugonem Regem veniēs, à Veronensibus suscipitur, & cum Hugone confligens vincitur. Ratherius Episcopus à Rege Hugone episcopatu pulsus, quia Baioarijs fauerat, Papiæ exsiliatur, vbi & librum de suis ærumnis luculenter edidit. Scripsit & alia multa legentibus vtilia. *Eduinus Rex Anglorum obijt.*

933. XIIII. V. XXVIII.

Baron. an. 929. Stephanus Romanæ Ecclesiæ CXXVIII. præsidet. Beneuentani contra Græcos bellum agentes, quotquot Græcorum capiebant, eunuchizabant.

934. XV. VI. XXIX.

Vngari tributum à Saxonibus repetentes, ab exercitu Heinrici Regis occiduntur aut capiuntur, eisque ad internecionem deletis, tributum quod repetebatur, Deo pro gratiarum actione in ecclesijs & pauperibus exsoluitur. Otho filius Regis Heinrici vxorē ducit filiam Eathmundi Regis Anglorum. *Stephanus Cameracensis Episcopus, III. Idus Februarij moritur.*

935. XVI. VII. XXX.

Baron. an. 931. Ioannes Romanæ Ecclesiæ centesimus XXIX. præsidet. In Genuensi vrbe fons sanguinis largissimè effluxit, portendens fortè vrbis ipsius imminentem ruinam, quæ eodem anno ab Africanis, cum classe illuc venientibus, capta, cunctis ciuibus, exceptis paruulis & mulieribus, captis aut occisis, etiam thesauris suis est euacuata. Rex Heinricus Danos, qui per piraticum Fresones incursabant, vicit, & tributarios facit, & Chiupam Regem eorum baptizari facit.

936. XVII. VIII. XXXI.

Baron. an. 936. Leo Romanæ Ecclesiæ centesimus XXX. præsidet. Rodulfus Rex Burgundiæ moritur. Inger Rex Russorum sciens exercitus Græcorum esse ductos contra Saracenos, & ad insularum custodias dispersos, ad expugnandam

R. F. C. ANNO CHR.

dam Constantinopolim, cum mille & eò ampliùs nauibus venit, adeò de victoria iam securus, vt Græcos non occidi, sed capi præciperet. Quibus Imperator Romanus cum paucis viriliter occurrens, circumcirca Græco igni iniecto, pænè omnes cum nauibus exussit, paucis euadentibus, omnesque captiuos decollari iussit.

XVIII. VIIII. XXXII. 937.

Hoc anno prodigia apparuêre. Sol sereno cælo obscuratur; per fenestras verò domorum radios quasi sanguineos emittebat. Mons, vbi postea Rex Heinricus sepultus est, flammas multis in locis euomebat. Hominis cuiusdam sinistra manus ferro amputata, post annum pænè integrum ei dormienti restituta est; qui pro signo miraculi linea quasi sanguinea loco coniunctionis notabatur. Heinricus Rex moritur, qui licèt in vincẽdis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, vt effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductiui mercenarij, alter alteri succedentes, Imperium dilaniabant, benedictionem imperialem accepisset. Post quem filius eius Otho ex Mathilda filia Theoderici Ducis Saxonũ imperauit annis XXXVI. *Obijt sanctus Odo primus Abbas Cluniacensis: succedit ei Ademarus. Vualbertus Nouiomensis ac Tornacensis Episcopus moritur. Succedit Transmarus.*

I. X. XXXIII. 938.

Contra Othonem Imp. rebellant Euerardus Comes palatij, & Gislebertus Dux Lotharingiæ, qui Gerbergam sororem ipsius Imperatoris vxorem habebat. Vngari per Austrasiam & Alemanniam, multis ciuitatibus igne & gladio consumtis, Vuormatiæ Rheno transito, vsque ad Oceanum Gallias vastant, & per Italiam redeunt. Princeps Boëmiæ Vuencezlaus vir sanctus martyrizatur à fratre suo Bolizlao, ambitione præripiendi principatus seducto: in cuius vltionem Rex Otho bellum Bolizlao indixit, & longa inter eos concertatio per XIV. annos protracta est.

II. XI. XXXIV. 939.

Euerardus & Gislebertus Heinricum fratrem Imperatoris obsessum capiunt, eumque pellacia sua ab Imperatoris fidelitate seiunctum, factioni suæ applicant, suggerentes ei, regnum magis competere illi in patris regno nato, quàm Othoni ante regnum nato. Vngari à Saxonibus grauiter cæduntur. Otho Imp. interim à Baioarijs sibi resistentibus rediens, Euerardum exsiliat, iterumque Baioarios aggressus, omnes sibi subdidit, præter vnum filium Arnoldi. Rex Otho construit vrbem * Magathaburch, quæ & Patheno- * Magdeburch.
polis, id est virginum ciuitas, dicitur. *Italiam vexat hæresis Anthropomorphitarum, id est, corpoream formam Deum habere dicentium: contra quam Ratherius Veronensium Episcopus & verbis & scriptis reclamabat.*

Otho

ANNO CHR. | R. | F. | C.

DCCCC. XL. | III. | XII. | XXXV.

940. Otho Imp. in Lotharingiam vsque ad Capræ-montem venit. Berengarius iunior, Berengarij senioris ex filia nepos, timens Regem Hugonem se persequentem, pro eo quòd contra eum regnum Italiæ affectaret, ad Herimannum Sueuorum Ducem, & per eum ad Othonem Regem fugit. Rex Otho Bolizlaum bello superat. At Bolizlaus pro victoria securos circumveniens, principem militiæ Regis cum multis trucidat. Rex verò Boëmiam deuastat.

IV. XIII. XXXVI.

941. Ludovvicus Rex Francorum Lotharingiam inuadens, vsque ad Alsatiam venit, ductu Euerardi & Gisleberti. Rex Hugo, misso sibi Græco igne ab Imperatore Græcorum, Fraxinetum oppugnat, & nauibus Saracenorum exustis, illud expugnat, & inde eos fugat. Tangmarus frater Othonis Regis, ab eo ad hostes eius transit, & inter cetera mala Heresburch castrum Regis capit, ibique à Rege conclusus, telis intra ecclesiam confossus perijt.

942. V. XIV. XXXVII.

Marinus Romanæ Ecclesiæ * CXXXI. præsidet. Ad hunc sanctus Vdalricus Romam veniens, ab eo agnouit se futurum Episcopum Augustæ Vindelicorum; quod post annos XV. factum est. Gislebertus & Euerardus, cum Heinrico fratre Imperatoris, iuxta Rhenum contra Imperatorem bellum parantes, milites Imperatoris offendunt, & multi cum paucis congressione factâ, interim Imperatore in alio Rheni litore, ante clauos Domini lanceæ suæ infixos, in oratione prostrato, victi terga dederunt; Heinrico in brachio insanabiliter vulnerato. Ortâ dissensione inter principes de varietate legis, vtrum deberent auis superstitibus, filij filiorum post patres defunctos hereditare, an exheredatis fratruelibus, deberet hereditas ad patruos redire, ex Regis Othonis omniumque principum sententia, cognitio veritatis commissa est gladiatorio iudicio. Cessitque victoria his, qui censebant fratrum filios debere cum patribus hereditare.

* Precedere debebat Stephanus IX. dictus VIII. Vide Baron. an. 940.

943. VI. XV. XXXVIII.

Otho Rex obsedit Brisagam opidum Alsatiæ, quod Ludovvicus Rex per milites Euerardi & Gisleberti tenebat. In qua obsidione, suasu Friderici Moguntini Episcopi, qui animo iam ab Imperatore defecerat, multi ab Imperatore defecerunt, eaque re alijs territis, solus Rex interritus manet. Interim fideles Regis, Vdo videlicet & Conradus frater Herimanni Sueuorum Ducis, Euerardum & Gislebertum, prædando regno securè intentos, iuxta Rhenum inopinatò aggressi, acerrimè debellant. Euerardo gladijs peremto, Gisleberto autem Rheni vndis submerso, ceterorum vix aliquis fugit, qui

non

non aut trucidaretur aut caperetur. Hoc nuntio infideles Regis corde franguntur, & Ludovvicus ab Alsatia discedit, & Rex & fideles eius cum ipso gratantur. Vxorem Gifleberti Gerbergam, sororem scilicet Othonis Imp. Ludovvicus Rex duxit vxorem; filiam verò Gifleberti, neptem suam Imperator Bertaldo Duci Baioariorum despondet. Ducatus eius Othoni datur. *Ademarus Cluniacensium Abbas substituit sibi Abbatem Maiolum.*

VII. XVI. XXXVIIII. 944.

Otho Dux Lothariensium obijt. Conradus gener Regis Othonis succedit. Stephanus & Constantinus Impp. filij Romani Imperatoris, ægrè ferentes se iusta patris sui seueritate à iuuenili leuitate coërceri, dispositis in palatio insidijs, ignorante altero Constantino, Leonis Imperatoris filio, patrem de palatij solio deponunt, & tonso ei, vt moris est, capite, ad vicinam insulam, in qua cœnobitæ philosophabantur, transmittunt. Sol horribilem eclipsim passus est feria VI. hora diei tertia. Quo die in Hispania Addaram Rex Saracenorum à Radamiro Christianissimo Rege Galitiæ, in bello superatus est. In Italia cometa miræ magnitudinis apparuit, portendens famem, quæ secuta est. Rex Otho corpus Innocentij martyris in vrbem Magathaburch transfert.* *Aduentus corporum sanctorum Vuandregisili, Ansberti, Vulframni in Blandinio.* * Ex ms. Lips.

VIII. XVII. I. 945.

Otho Imp. totam Lotharingiam sibi subiugauit, resistente sibi solo Mettensium Episcopo Adelberone, fratre Ducis Frederici. Stephanus & Constantinus videntes, post patris sui depulsionem, Constantinum filium Leonis Imperatoris, ab omnibus sibi præferri, & se iam vix in secundis haberi; cùm deliberarent hoc quod de patre fecerant, etiam de Constantino facere, publicato eorum consilio, per Diabolinum incentorem huius consilij, cùm ad conuiuium ex condicto consedissent, & de prioratu sedendi inter se consultò decertarent, dato signo à viris Constantini, ambo fratres solio deturbantur, & tonsis capitibus ad idem monasterium, ad quod patrem transmiserant, & ipsi ad philosophandum cum monachis transmittuntur. Ita euacuato palatio abusiuis Imperatoribus, ipse Constantinus & Romanus filius eius, ex filia Romani Imperatoris, imperant annis XVI. Barbaros occasione intestini belli vndique irruentes, Gero Comes fortiter ac frequenter debellat. Rex Otho Burgundiam sibi subiugat. Regi Francorum Ludovvico Hugo Comes Parisiensis nimis aduersatur. *Hic Hugo filius fuit Rotberti tyranni in bello Suessonico peremti à Karolo Rege.*

VIIII. XVIII. II. 946.

a Agapitus Romanæ Ecclesiæ CXXXII. præsidet, & b Benedictus CXXXIII. Heinricus frater Imperatoris in vrbe Mersburch a fratre obsessus, pro- a Baronio an. 946. b Ioannes XII. Baro. an. 955.

R iectis

ANNO CHR.	R.	F.	C.

ac deinde Benedictus V. apud eũdẽ an. 964. tom. 10.

iectis armis, ad pedes eius procidẽns, & misericordiam implorans, in custodiam includitur. Fridericus etiam Archiepiscopus Moguntia à ciuibus excluditur. Rex Otho multos contra se rebellare molientes capit aut occidit. Mortuo Bertaldo Duce, Rex Otho fratri suo Heinrico dat Ducatũ Baioariæ, & sic eum reprimit à rebellione.

947. X. XIX. III.

Berengarium à Sueuia in Italiam reuersum videns Rex Hugo ab Italiensibus, se deserto, recipi, Lotharium filium suum, vt saltem Berengario conregnet, Italiensium fidei commendat: ipse Arelatum, vnde venerat, repetit.

948. XI. XX. IV.

Rege Hũgone mortuo, Lotharius filius eius, in Italia solo nomine regnat. Berengarius actu & potestate Rex, & cunctis acceptus, per Italiam tyrannizat, Dux Baioariæ Heinricus Aquileiam in Italia capit, Vngaros bis superat, Ticinum transit, & cum multis manubijs redit. Immunitas nostræ, Gemmelacensis scilicet, ecclesiæ hoc anno imperiali confirmatur edicto, & annuli impressione corroboratur. Erluinus primus eius loci Abbas à sancto patre nostro Guicberto electus, in sanctitate & religionis feruore claret. Ludovvicus Rex Francorum à Ducibus suis circumuentus, à Normannis capitur, & consilio Hugonis Lugdunum missus, publicæ custodiæ traditur. Karlomannus verò maior filius eius à Normannis abductus, Rotomagi moritur.

949. XII. XXI. V.

Taxis Rex Vngarorum in Italiam veniens, decem modios nummorum à Berengario pro reditu accipit. Rex Otho cum triginta duabus legionibus Franciam ad liberandum Ludovvicum, aggreditur. Ludovvicus eius metu à custodia relaxatur. Rex Otho Lugdunum capit, Hugonem intra Parisius concludit, Remim capit; Hugonis nepote, qui episcopatũ vsurpauerat, expulso, legitimum Episcopum restituit; vsque Rothomagum potenter accedit, & castellis ac vrbibus, quas ceperat, Ludovvico redditis, in Saxoniam redit.

DCCCC. L. XIII. XXII. VI.

950. Per loca Galliæ & Germaniæ plurimi & magni terræ motus facti sunt. Rex Otho in Boëmiam contra Bolizlaum proficiscitur. Bolizlaus verò Regi reconciliatur, eique tandem fideliter subijcitur. Rege Othone secundam expeditionem in Franciam parante, Hugo virtutem eius non ferens, ei iuxta fluuium Charum occurrit, & pacto pacis secundùm nutum Regis facto, manus ei dedit.

Mogun-

R. F. C. ANNO CHR.

XIV. XXIII. VII. 951.

Moguntia ab Othone Imp. obſeſſa eſt. Fridericus Archiepiſcopus captus & in cuſtodiam truſus, non multò pòſt per indulgentiam Regis relaxatus eſt. Rex Otho filium ſuum Liedulfum, natum ex filia Regis Anglorum, teſtamento Regem poſt ſe deſignat. *Sol defecit hora diei tertia, quartodecimo Kalendas Auguſti, & apparuit ſtella ab Oriente ardens, vſque ad menſem Septembrem.*

XV. XXIV. VIII. 952.

Liedulfus filius Othonis Imperatoris, inſtinctu Conradi Ducis, cum eo contra patrem ſuum rebellauit, Reineſburch capit; & multas alias vrbes & Principes à patre ad ſe auertit. Rex illum intra Moguntiam concluſum obſidet.

XVI. XXV. IX. 953.

Bellum fuit ſuper Moſam inter Conradum & Raginerum Haginoenſium Comitem. Mortuo Vuicfrido, Colonienſium Archiepiſcopatum ſuſcepit vir glorioſus Bruno, frater Othonis Imperatoris: qui quantus qualíſue fuerit apud Deum & homines, lector ediſcat in vita ipſius, quam Rogerus luculenter deſcripſit. Huius ſtudio tranſlata ſunt à Roma Coloniam corpora ſanctorum *Eliſij, Patrocli, Priuati, Gregorij, cum baculo ſancti Petri. Vngari VIII. Idus April. ad Cameracum obſidendum aduolant; ſed triduo elapſo, ſine effectu diſcedunt, Fulberto Epiſcopo in omnem partem aduigilante.*

XVII. XXVI. X. 954.

Ratherius bis epiſcopatu Veronenſi depulſus, Leodicenſium Epiſcopus per Brunonem Archiepiſcopum ordinatur poſt Farabertum. Immunitas noſtræ, Gemmelacenſis ſcilicet, eccleſiæ etiam Apoſtolica auctoritate à Benedicto Papa corroboratur, anno ſeptimo pontificij eius. Rex Otho vxorem ſecundam ducit, relictam Ludovvici Italorum Regis, & per eam Papiam accipit.

XVIII. XXVII. XI. 955.

Liedulfo ad gratiam patris reducto, Conradus Dux, Dei & Imperatoris transfuga, ad Vngaros ſe conferens, eos in Lotharingiam, vſque ad Carbonariam ſiluam perduxit; & virtute Dei apud Lobias contra eos * oſtenſâ, vltrà prodire prohibiti, impunè redeunt. Ludovvico Francorum Rege mortuo, Lotharius filius eius ex Gerberga ſorore Imperatoris, regnauit annis XXXII. Berengarius Rex Italiæ in Germaniam ad Regem Othonem venit, eique ſuis ſuique filij manibus datis, ſe ei committit. A Baioarijs contra Sclauos proſperè pugnatur.

* *Id IV. Nō. April. an. 954. factū ut tradit Fulcuinus, Abbas & chronographus Lobienſis.*

ANNO CHR. | R. | F. | C.

956. XIX. I. XII.

In Italia lapis miræ magnitudinis, tonitru ac tempestate turbulenta de cælo iactus, ingens miraculum videntibus præbuit. Templa plerisque in locis valida tempestate concussa sunt. Vtriusque ordinis sacerdotes ictu fulminis interierunt, & plura horrenda dictu portenta monstrata sunt. Friderico Moguntiæ Archiepiscopo mortuo, Guillelmus filius Othonis Imperatoris substituitur. Ratherio ab episcopatu Leodicensium eiecto, Baldricus, annitente auunculo suo Raginero Comite Montensi, Episcopus substituitur.

957. XX. II. XIII.

Liedulfus, filius Othonis Imp. in Italia moritur. Vngaris iterum regnum Othonis Imp. ductu Conradi Ducis, depopulantibus, Imperator eos bello excepit, Conrado ab Vngaris ad eum pænitendo refugiente, & orante Deũ, vt pro pœna perfidiæ suæ, in ipso bello ab Vngaris perimeretur. Quo bello in tantum sunt Vngari victi & attenuati, vt vltra iam nec mutire ausi fuerint. In tantum quippe contriti sunt, vt nullus aut rarus eorum euaderet: Conradus tamen secundùm votum suum ibi occubuit. Tres reguli Vngarorum in bello capti, suspendio perierunt. Bruno Archiepiscopus, & Ducatum Lothariensium post Conradum adeptus, cœnobium sancti Pantaleonis Coloniæ construxit. Heinricus Dux Baioariæ frater Regis Othonis moritur. Filius eius Heinricus ei succedit.

958. XXI. III. XIV.

Erluinus primus Abbas Gemmelacensis, *à quibusdam contrarijs sanctæ religioni*, lumine oculorum priuatur. Bruno Archiepiscopus plures Northmannorum, cum principibus eorum, baptizari fecit. Guigmannus rebellis à facie Regis Othonis trans * Albiam fugiens, Sclauos in regnum eius conduxit: quos Rex fortiter debellauit, occiso regulo eorum cum multis, & IↃCC. captiuis capite cæsis.

* Albim.

959. XXII. IV. XV.

Baron. an. 965. & alibi consule. Nam Sigebertus in recensendis Pontificibus Rom. sæpe labitur.

Ioannes Romanæ Ecclesiæ centesimus XXXIIII. præsidet. Bruno Archiepiscopus & Archidux Lotharingiæ, secundas partes in regno fratris sui potenter & industriè administrans, Raginerum Montensem Comitem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentianas euocatum capit, & irreuocabili exsilio damnauit, pro eo quòd regnum bellis inquietabat; vel, quòd verius fuisse dicitur, pro eo quòd mortuo Gisleberto Duce, consanguineo suo, ea quæ Gislebertus vxori suæ Gerbergæ, sorori Imperatoris, in dotem contulerat, violenter ei auferre præsumebat. Bonis Ragineri ad fiscum publicatis, filij eius Raginerus & Lambertus, ad Lotharium Francorum Regem confugerunt. Prodigiosa res multos terret & à vitijs coërcet, notis crucis in veste

R. F. C. ANNO CHR.

veste plurimorum apparentibus, quorumdam autem vestibus quasi lepra sordentibus. *Obijt sanctus Gerardus fundator Broniensis cœnobij.*

XXIII. V. XVI. DCCCC. LX. 960.

Hoc tempore per industriam Othonis meliorato Imperij & Ecclesiæ statu, multa monasteria & cœnobia, ad laudem Dei & honorem Sanctorum, aut restaurantur, aut ampliantur, aut ædificantur. Inter quos & Euraclus, post Baldricum Episcopus Leodicensium factus, duo in vrbe monasteria construxit, ad titulũ sancti Paulli Apostoli, & ad titulum sancti Martini Episcopi. *Hoc anno ab Arnulfo Marchiso Flandrensi, Blandiniense cœnobium in maiori elegantia est constructum; quod opus mense Maio est inceptum.*

XXIV. VI. XVII. 961.

Apud Constantinopolim Romano Imperatore defuncto, Nicephorus imperat annis X. Sanctus Vdalricus Augustæ Vindelicorum Episcopus sanctitate claret in Gallia & Germania. Galliâ & Germaniâ iam benè pacatâ, intendens Imperator Otho etiam Italiam pacare, præsertim eum ad hoc anxiè euocantibus Ioanne Papa, ceterisque Italiæ Episcopis, vt eos liberaret de manibus tyrannorum Berengarij atque Adelberti, filium suum Othonem puerum septennem Aquis-Grani, die sancto Pentecostes, in Regem inungi fecit, eoque commendato Archiepiscopis fratri Brunoni, & filio Guillelmo, ad Italiam tendit.

XXV. VII. I. 962.

Sanctus pater noster Guicbertus fundator nostri, Gemmelacensis scilicet, cœnobij, apud Gorziam, vbi Deo militabat, propter amorem feruentis ibi sanctæ religionis, in Christo dormiuit; & qui omnia reliquerat, centuplum & vitam æternam recepit. *Corpus verò eius relatum est ad cœnobium Gemmelacense.*

XXVI. VIII. II. 963.

Otho Imp. Italiâ peruagatâ, & tyrannis Italiæ maiestate nominis sui ita exterritis, vt in locis natura munitis laterent, aut Saracenorum patrocinia quærerent, Romæ à Ioanne Papa in Imperatorem benedicitur. Tyranni à Papa Ioanne & à Romanis abiurantur. Eo repatriante, Adelbertus à Papa *Ioanne è Fraxineto Romam reuocatur, sed Imperatore redeunte refugiunt. Collecto in tota Italia Episcoporum concilio, Ioannes de nefarijs caussis infamatur: qui tertiò euocatus, dum se excusatum venire cunctatur, post multa tandem eo à cunctis præiudicato, Leo adhuc laicus, electione omnium, & consensu Imperatoris, Papa substituitur. *Sic Leo, præsidens Apostolicæ Sedi, fecit ordinationes & alia quæ erant Apostolica. Nec longum, Romani alteratâ fide apud Imperatorem; Papam recipiunt Ioannem. Ille synodo collectâ, Leonem*

** Non de illo Ioanne XIII. sed de XII. ista narrantur & expenduntur apud Baronium an. 963.*

ANNO CHR. R. F. C.

Consule Baronium. *nem deposuit, & eius acta cassauit. Statutum quoque est publico omnium iudicio, synodum à Leone habitam, nec nominandam synodum, sed prostibulum fauens adulteris. Quicumque ergò eo ordinante erant damnati, iussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta, hæc continente verba; Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit. Et sic depositi, remanserant in illis gradibus, si quos habuerant, nondum à Leone ordinati. Si qui autem digni iudicantur, vt non acceptâ priùs consecratione, ordinantur, indicto illis eodem decreto, quod & damnatis à Constantino Neophyto.* Romani à Papa Ioanne pecunia illecti, Imperatorem cum paucis Romæ morantem subitò aggressi, ita ab exercitu Imperatoris sunt attriti, vt nisi ab Imperatore & Papa Leone, milites Imperatoris à cæde reuocarentur, vsque ad internecionem Romani delerentur. Romanis per Leonem Papam Imperatori reconciliatis, post abscessum Imperatoris Leo Papa insidias sibi parari sentiens, ad Imperatorem fugit.* Ioannes Expapa se cum vxore cuiusdam oblectans, à diabolo in tempore percutitur, ac sine viatico Dominico moritur. Romani contra iuramentum, quod Imperatori fecerant, se numquam electuros Papam, sine eius & filij eius Othonis consensu, Benedictum Papam sibi statuunt. Imperator Româ obsessâ, Romanos cæde & fame adeò afflixit, vt Leonem Papam se recepturos promitterent. Benedictus reiectus non solùm papatu, sed etiam sacerdotio à Leone exordinatur.

* Confer. Baron. an. 964.

964. XXVII. VIIII. III.

Adelberoni Mettensiũ Episcopo mortuo, Deodericus, consobrinus Othonis Imperatoris, Episcopus subrogatur. Hic, vt legitur, inspiciens primas litteras nominũ omnium Mettensiũ Episcoporũ, quas angelus Domini dicitur dedisse sancto Clementi, primo Mettensium Episcopo, & notans alias auro, alias viliore metallo, pro multorum qualitate, esse annotatas; cùm videret etiam litteram sui nominis argento esse prænotatam, dixisse fertur, se in episcopatu tanta bona fore facturum, vt ipsa nominis sui littera meritò deberet auro annotari. Cuius bonæ intentionis initium ostendit in cœnobio sancti martyris & leuitæ Vincentij, fundato in ipsius vrbis insula. *Arnulfo sene Flandrensium Comite mortuo, Lotharius Rex Francorum grauiter Flandrias infestat & vastat.*

965. XXVIII. X. IIII.

Otho Imperator Pentecostem Aquisgrani celebrauit, concurrentibus ibi à Francia sororibus suis, Reginâ scilicet Francorum Gerbergâ, matre Lotharij Regis, & Karoli Ducis, & Hathuide vxore Hugonis Parisiorum Comitis: quorum filius fuit Hugo, qui pòst regnauit in Francia. Vbi omnis illa regalis prosapia tanto ad inuicem congratulationis iubilo est affecta, vt in omni vita eorum vix aliquid gaudij huic lætitiæ potuerit æquiparari. Otho Italiam repetit. Bruno Dux & Archiepiscopus in Franciam pergens, ad pacificandos nepotes suos, Lotharium Regem & filios Hugonis, vbi Compendium

R. F. C. ANNO CHR.

pendium venit, febre correptus Remis redit. Vbi quidquid habuit iure mancipi, per testamentum ecclesijs Sanctorum delegato, mortuus est. Corpus eius à Deoderico Mettensi Episcopo Coloniam refertur.

XXVIIII. XI. V. 966.

Guillelmus, filius Imperatoris, Archiepiscopus Moguntiæ moritur. Hoc tempore Danis, qui Christum IESVM & idola simul colebant, cum Popone clerico in conuiuio altercantibus, super cultura Dei & Deorum; Danis asserentibus IESVM Christum quidem esse Deum, Deos verò, maiores & antiquiores illò esse; Popone è contra affirmante, IESVM Christum solum verum Deum esse, vnum in substantia, trinum in personis, Rex Danorum Araldus condixit clerico, vt fidem propositam à se probaret testimonio veritatis. Quod annuente clerico, ingentis ponderis ferrum valdè ignitum, manibus illius ferendum imponitur; quod cùm clericus vsque ad placitum omnium tulisset, absque vlla læsione, Rex penitus abiectâ idololatriâ, se suosquè ad colendum verum solum Deum conuertit; clericus verò ad episcopatum promotus est.

XXX. XII. VI. 967.

Ioannes Romanæ Ecclesiæ centesimus XXXVI. præsidet. Guigmannus diu contra Imperatorem Othonem rebellis, à Misacha Sclauorum Regulo, Imperatoris amico & milite, perimitur. Hoc tempore Bulgaribus dominabantur filij Simeonis Petrus & Baianus: quorum Baianus in arte magica adeò valebat, vt quoties vellet, lupus vel quælibet fera fieri videretur. Baron. an. 965. paulo post init.

XXXI. XIII. VII. 968.

Otho minor à patre euocatus Romam, à Ioanne Papa in Imperatorem benedicitur. Otho Imp. Beneuentanos Duces potentia sua ad subiectionem sui inflexit. Otho Imp. in terra Saxonica venas auri & argenti primus industria sua aperuit.

XXXII. XIV. VIII. 969.

Quidam Comes Othonis Imperatoris, ei familiaris, Romæ ante oculos omnium à diabolo arreptus, ita vt seipsum dentibus decerperet, iussu Imperatoris ad Papam Ioannem adductus, vt cathena sancti Petri collo eius circumdaretur, dum à fallacibus clericis semel & bis alia cathena furenti adhiberetur, nec quidquam remedij proueniret, vbi nihil erat virtutis, tandem verâ sancti Petri cathenâ allatâ, & collo furentis circumdatâ, diabolus spumans & multùm clamans abscessit. Quam cathenam Deodericus Mettensis arreptam, cùm diceret se eam nisi manu abscissa non dimissurum, tandem Imperator sedato litigio à Papa Ioanne obtinuit, vt annulum huius catenæ exsectum Episcopus mereretur. Imperator Otho, dum partem exercitus

ANNO CHR. R. F. C.

ad Græcos misisset, vt vxorem filio suo Othoni acciperent, Græci super eos irruunt, castra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt & Constantinopolim mittunt. Ad hoc dedecus vindicandum Imp. Otho eminentiores ex suis in Calabriam mittit, qui Græcos aggressi, plures occidunt, plures naribus truncatis dehonestant, & per Apuliam & Calabriam à Græcis tributum exigunt. Constantinopolitani audientes à suis malè pugnatum esse in Calabria, contra Imperatorem suum Nicephorum insurgunt.

DCCCC. LXX. XXXIII. XV. IX.

970. Deodericus Mettensium Episcopus, Imperatori sanguine, dilectione ac familiaritate ceteris deuinctior, dum in Italica expeditione per triennium sub eo militaret, multa corpora & pignora Sanctorum de diuersis Italiæ locis, quocumque potuit modo collegit. Primùm à Marsia sanctum Elpidium confessorem, cuius socium Eutychiū ipse Imperator iam sustulerat, ab Amiternis Eutychetem martyrem, cum reliquijs Maronis & Victorini sociorum eius, à Fulginis Felicianum Episcopum & martyrem, à Perusio Asclepiotatum martyrem, à Spoleto Serenam martyrem cum Gregorio Spoletino martyre, à Corduno pignora Vincentij martyris & leuitæ, ab Hispania olim à duobus monachis Capuam, à Capua verò illuc deportata; à Meuania alterum Vincentium Episcopum & martyrem, à Vincentia Leontium Episcopum & martyrem, à Florentia Miniatem martyrem, ab vrbe Tudertina Fortunatum Episcopum & confessorem, à Corfinio Luciam Syracusanam virginem & martyrem, à Faroaldo Duce Spoletinorū olim à Syracusis illuc translatam; à Sabinis partes corporū Proti & Iacynthi martyrum. Hæc omnia cum parte cathenæ S. Petri Apostoli, cum capillis eiusdem, & sanguine sancti Stephani protomartyris, & parte de craticula sancti Laurentij martyris, à Papa Ioanne sibi donata, cum alijs multis Sanctorum pignoribus, præsul Deodericus in Galliam hoc anno transtulit, & in ecclesia sancti Vincentij martyris à se in insula vrbis constructa locauit.

971. XXXIIII. XVI. X.

Apud Constantinopolim Nicephorus Imp. timens à filijs suis imperio expelli, quia senex erat, volebat eos eunuchizare. Quorum mater regina, quia nullo alio modo poterat eos liberare, suasit Ioanni Nicephorum occidere, & imperare. Ioannes itaque occultè cum funibus intrauit palatium, & occiso Nicephoro imperauit.

972. XXXV. XVII. I.

Otho Imp. Romæ Othoni Coimperatori suo neptem Ioannis Constantinopolitani, Theophanij nomine, à Ioanne Papa coronatam in legitimo matrimonio sociauit. Notgerus ordinatur Episcopus Leodicensium. *Hic*

vrbem

R. F. C. ANNO CHR.

vrbem muro circumcinxit, ædificijs honestauit, maiorem ecclesiam corpore sancti Lamberti insignitam à fundamento renouauit, cænobium sancti Ioannis Euangelistæ in insula ædificauit.

XXXVI. XVIII. II. 973.

* Stephanus Romanæ Ecclesiæ CXXXVII. præsidet. Otho senior Imperator obijt, cuius vitam Guindichindus monachus descripsit, qui etiam historiam Saxonum vsque ad hunc annum conscripsit. Otho secundus imperat annis X. Raginerus & Lambertus, filij Ragineri Longicolli, paullatim resumtis viribus, à Francia redeunt, & cum Guarnero & Rainaldo, qui Comitatum patris eorum occupauerant, bello apud Peronam confligunt, eosque cum multis perimunt, & super Hagnam fluuium, castello Buxude munito, Lotharingiam infestant. Vuencezlaus Princeps Boemiæ à fratre suo Bolizlao, propter præripiendum principatum martyrizatus, vrbem Pragam, vbi requiescit, multis miraculis illustrat.

** Baron. ponit Donnum, qui tres meses, deinde Benedictum Sextũ, qui annum vnum, menses tres sederit, * anno Christi 972. & duobus seqq. deinde Benedictum Septimum, an. 975.*

I. XIX. III. 974.

Ratherius, de quo est hoc monostichum; Veronæ Præsul, sed ter Ratherius exul, apud Lobias moritur. Contra Othonem Imp. rebellat patruelis eius, Heinricus Dux Baioariorum. Otho Imp. castellum * Buxudis obsidet, captum diruit, captos in eo exsiliat: nec tamen Raginerus à rebellione desistit.

* *Hodie arx est Hannoniæ, vulgò* Boſſut *nuncupata, titulo Comitatus insignis.*

II. XX. IV. 975.

Gelu magnum à Kalendis Nouembris vsque ad æquinoctium vernale. Otho Imp. Heinricum Ducem sibi subiugat. Maiolus Abbas Cluniacensis sanctitate & religione claret. * *Dedicatio ecclesiæ Blandiniensis ab Adelberone Remensi Præsule.*

** Ex ms. Lips.*

III. XXI. V. 976.

Obijt sanctus Vdalricus Ausburgensis Episcopus, cuius vita qualis fuerit, mox miraculorum gloria patefecit. Otho Imp. contra Sclauos proficiscitur. Filij Ragineri Longicolli, auxilio Francorum, & maximè Karoli, postea Ducis, freti, lacessunt bello Godefridum & Arnulfum Comites, qui post Guarnerum Comitatum Montensem inuaserant, montem Castrilocum obsident; multis vtrimque in conflictu fusis, obsidio remota est, victoria anceps, datur tamen palma Comitibus.

IIII. XXII. VI. 977.

Sanctus Guicheht Pragensis Episcopus, cognomento Adelbertus, sanctitate & doctrina apud Vuinidos claret. Gens Leutitiorum ad idololatriam

ANNO CHR. R. F.

reuoluitur. Ducatus Lotharingiæ datur Karolo, fratri Lotharij Regis Frãcorum, multis insuper conducto beneficijs, vt & ipse ab insolentijs desistat, & fratris sui Lotharij motibus obsistat. Filij Ragineri, vt pro se viriliter agerent, animati Francorum auxilio & affinitate (Raginerus quippe Hathuidem filiam Hugonis, postea Regis, Lambertus verò Gerbergam filiam Karoli Ducis duxêre vxores) in terra patrum suorum relocati sunt.

978. V. XXIII.

Pacato vndique regno, cùm Otho Imp. Aquisgrani moraretur, Lotharius Rex Francorum subitò ad inuadendam Lotharingiam contendit, & cedente Imperatore, quia ad pugnam imparatus erat, Rex post multam vastationem repatriauit. Quem cum inæstimabili exercitu Imperator prosecutus, condicto die, scilicet Kalendis Octobris, Franciam intrauit: quam vsque ad Kalendas Decembris peruagatus, fines Remensium, Laudunensium, Suessionum & Parisiensium diuersa clade vastauit, ecclesijs tantùm Dei omni immunitate concessâ. In redeundo tamen, circa Axonam fluuium, partem impedimentorum amisit. De his quidam reclusus prædixit, quòd omnes huius mali incentores ante septennium morerentur.

979. VI. XXIIII.

Igneæ acies visæ sunt in cælo per totam noctem V. Kalendas Nouembris. Hoc anno complentur mille anni à natiuitate Christi, secundùm veritatem Euangelij, qui secundùm cyclum Dionysij, anno abhinc XXI. finiuntur, sicque in anno Dominicæ passionis veritati Euangelicæ contraitur.

DCCCC.XXX. VII. XXV.

980. Otho Imp. & Lotharius Rex, conuenientes super Charũ fluuium, pacificantur, datis inuicem sacramentis, & Rex Lotharius Lotharingiam abiurat. Otho Imp. Italiam petit. Corpora sanctorum Landoaldi, Adriani, Amantij * & aliorum, à Vuentresf houo Hasbaniæ vico, transferuntur Gandauum, cum multa miraculorum gloria.

* *Item S. Lãdradæ virginis. Lege Molani Natal. SS. Belgij.*

981. VIII. XXVI.

Stéphanus Romanæ Ecclesiæ CXXXVIII. præsidet. Otho Imp. Apuliam & Calabriam Italiæ prouincias, ad ius regni Græcorum appendentes, transferre ad Imperium Romanum conatur; maximè propter affinitatem, quam per vxorem suam Theophano cum Imperatore Græcorum habebat.

Baronio adhuc sedet Benedictus VII Vide protestationẽ Sigeberti ad an. 995

982. IX. XXVII.

Græci infensi, quòd Imperator Otho prouincias Græcorum inuaderet, conducto sibi Saracenorum auxilio, Imperatori in Calabria bello congrediuntur; in quo bello omnes Romanorum copiæ vsque ad internecionem panè

pænè deletæ ſunt. Imperator natando euadere nitens, à nautis ignorantibus eum, capitur, & à quodam eorum, qui negotiator Sclauorum erat, agnitus nec proditus, per illum re delatâ ad Imperatricem & Deodericum Mettenſem Epiſcopum, qui in ciuitate Rhoſan rei euentum præſtolabantur, difficulter per Sclauum & Epiſcopum liberatur. Nautis quippe ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus, Imperator aſcenſo equo vix euaſit. Omnibus pro infortunio Reipublicæ animo conſternatis, ſola Imperatrix feminea & Græca leuitate inſultabat eis, quòd ab exercitu ſuæ nationis victi eſſent Romani, ac per hoc cœpit primatibus exoſa haberi.

X. XXVIII. 983.

Otho Imp. tædio & angore animi deficiens, Romæ moritur, & de Imperatore ſubſtituendo inter primates diſſentitur, alijs filio ipſius Othoni Imperium deberi certantibus, alijs odio Imperatricis, à filio eius Imperium transferri volentibus ad Heinricum Ducem, filium Heinrici, qui fuit pater primi Othonis. Hic Heinricus ipſum Othonem puerum factiosè raptum in cuſtodia tenet, ſed principes puerũ de manu Heinrici extorquentes, in regno ſublimant, & imperauit annis XVIII.

I. XXIX. 984. Hoc anno Baronius ponit Ioãnem XIV.

Lotharius Rex Francorum ad inuadendam Lotharingiam rurſum laborans, vrbem Virdunũ, & Godefridum ipſius vrbis Comitem capit. Deodericus Mettenſium Epiſcopus obijt, & ſecundùm prophetiam viri Dei, vix aliquis principum, qui in bello Calabrico euaſit, diu ſupervixit. Epiſcopatum Mettenſem ſuſcepit Adelbero, vir ſanctus & nobilis, filius Friderici Ducis.

II. XXX. 985. Hoc anno Ioannem XV.

Lotharius Rex, videns Othonem Imperatorem, virtute militum ſuorum proficere, vrbem Virdunum & Godefridum Comitem reddit.

III. XXXI. 986.

Lothario Francorum Rege mortuo, Ludovvicus filius eius regnat in Francia anno vno.

IIII. I. 987.

Ludovvico Francorum Rege mortuo, Francis regnum transferre volentibus ad Karolum Ducem, fratrem Lotharij Regis, dum ille rem ad conſilium * differt, rem Francorum vſurpat Hugo, filius Hugonis Pariſienſis, ex Hathuide ſorore primi Othonis Imperatoris, & regnauit annis IX. Erluinus primus noſtri, Gemmelacenſis ſcilicet, cœnobij Abbas, longo in longa cæcitate martyrio cruciatus moritur. *Succedit Heriuuardus.* * defert.

ANNO CHR. | K. | F.

988. V. I.

Inundatio aquarum frequens & vltra solitum ac diutina. Æstas postea feruentissima & pluribus perniciosa, vnde & fruges minoratæ sunt. Karolus Dux regnum Francorum ex paterna & auita successione sibi debitum, contra Hugonem Regem, suum nepotem, repetit, eumque bello perurgens, Laudunum vrbem capit. Hugo Rex Karolum in Lauduno obsidet, sed secundo obsidionis mense obsessi prosilientes, castra obsidentium incenderunt, & ipse Rex Hugo, plurimis suorum peremtis, turpiter fugiens, vix euasit.

989. VI. II.

Baronio adhuc sedet Ioãnes XV. Marinus Romanæ Ecclesiæ CXXXIX. præsidet. Siccitas magna vernalis, vnde & satio primitiua impedita, & fames ingens secuta est. Fertur annonam pluisse de cælo in Hasbania. Alij etiam pisciculos paruos de cælo pluisse ferebant. Nix nimia decidit, imber postea continuus, qui autumnalem sationem omnimodò denegaret. Karolus Dux Montem-acutũ expugnat, Suessionis vsque vastando peraccedit, inde Remim aggreditur, & Laudunum multa cum præda reuertitur.

DCCCC. XC. III. III.

990. Karolus Dux Remim occupat, Archiepiscopum, quem Hugo Rex præfecerat, & quosdam primates capit, & Lauduno relegat. * *Fulcuinus Abbas & chronographus Lobiensis moritur.*

** Exstat eius chronico apud me ms.*

991. VIII. IIII.

Karolus Dux moritur. Otho filius eius succedit ei in Ducatu Lothariensium. *Obijt Herriwardus Abbas Gemmelacensis, succedit Erluinus minor.*

992. IX. V.

Remis synodo totius Franciæ congregatâ, Arnulfus nepos Karoli Ducis, quem ipse Karolus Episcopum Remis substituerat, omnium iudicio exordinatus damnatur, & Adelgarius presbyter, qui vrbem prodidit, & portas Karolo aperuit, insolabiliter excommunicatur. Gerbertus substituitur Episcopus; sed quibusdam caussam ventilantibus, non potuisse degradari Arnulfum absque scientia & auctoritate Papæ Romani, Gerbertus depositus ad Othonem Imperatorem se contulit: quem Imp. receptum primò eum Rauennæ Archiepiscopum, & postea constituit Papam Romanum. Vnde est illud eius monostichum,

Scandit ab R. Gerbertus ad R. post Papa vigens R.

In

R. F. ANNO CHR.

X. VI. 993.

In Burgundia Odilo Aruernæ oriundus, ex clerico Briuatensi monachum professus in Cluniacensi cœnobio, post Maiolum præficitur ipsi cœnobio; quod per annos LVI. miro religionis feruore rexit & prouexit. Qui egregiè præter cetera pietatis insignia, non solùm vitæ exemplis, sed etiam miraculis in vita sua claruit; qui cùm reprehenderetur, quòd in peccantes misericordior iustò esse videretur, Si damnandus sum, inquit, malo damnari de misericordia, quàm de duritia. Otho in Imperatorem benedicitur.

XI. VII. 994.

Florebant hoc tempore in scientia litterarum, in Lotharingia Herigerus Abbas Lobiensis, Adelboldus Episcopus Vultraiectensis; in Francia Fulbertus Episcopus Carnotensis, Abbo Abbas Floriacensis, qui super calculum Victorij commentatus est.

XII. VIII. 9

[a] Gerbertus, qui & Siluester, Romanæ Ecclesiæ CXL. præsidet, qui & ipse inter scientia litterarum claros, egregiè claruit. [b] Quidam transito Siluestro Agapitum Papam hoc in loco ponunt, quod non otiosè factum esse creditur. Quia enim is Siluester non per ostium intrasse dicitur; quippe qui à quibusdam etiam nigromantiæ arguitur, de morte quoque eius non rectè tractatur, à Diabolo enim percussus dicitur obijsse, quam rem nos in medio relinquimus: à numero Paparum exclusus videtur. Vnde Lector, quæso, vt & hic & alibi, si qua dissonantia te offenderit, de nominibus, vel annis, vel temporibus Paparum, non [c] mihi imputes, qui non visa, sed audita vel lecta scribo.

a Baronio etiamnum praeest Ioannes XV.

b Hos refutat Baron. an. 999 & an. 1003. § 2. & Onuphrius. Consule eosdem.

c Notet Lector Sigebertum suos hic & alibi lapsus candidè agnoscere.

XIII. IX. 996.

Hugone Francorum Rege mortuo, Rotbertus filius eius regnat in Francia annis XXXV.

Baronio incipit sedere Gregorius V.

XIIII. I. 997.

Heribertus ordinatus Coloniensium Episcopus, multa sanctitate claret. Clarebat etiam hoc tempore inter Gallos Ansfridus, qui cùm fuisset Comes Bratuspantium, non minùs iustitia quàm potentia sæculari famosus, deposito militiæ cingulo tonsuratus in clericum, eò prouectus est, vt ordinaretur Episcopus Vultraiectensis Ecclesiæ. *Iste Ansfridus dedit Comitatum Hoyensem ecclesiæ Leodicensi.*

XV. II. 998.

Agapitus Romanæ Ecclesiæ CXLI. præsidet. Hoc tempore quidam religiosus

Baronio sedet Gregorius V.

ANNO CHR. | R. | F.

giosus ab Hierosolymis rediens, in Sicilia reclusi cuiusdam humanitate aliquamdiu recreatus, didicit ab eo inter cetera, quòd in illa vicinia essent loca eructantia flammarum incendia, quæ loca vocantur ab incolis Ollæ Vulcani, in quibus animæ reproborum luant diuersa pro meritorum qualitate supplicia, ad ea exsequenda deputatis ibi dæmonibus: quorum se crebrò voces, iras & terrores, sæpè etiam eiulatus audisse dicebat, plangentium quòd animæ * damnatorum eriperentur de manibus eorum per eleëmosynas, & preces fidelium, & hoc tempore magis per orationes Cluniacensium, orantium indefelsè pro defunctorum requie. Hoc per ipsum Abbas Odilo comperto, constituit per omnia monasteria sibi subiecta, vt sicut primo die Nouembris solennitas omnium Sanctorum agitur, ita sequenti die memoria omnium in Christo quiescentium celebretur. Qui ritus ad multas ecclesias transiens, fidelium defunctorum memoriam solennizari facit.

* Intellige non in perpetuum, sed ad tempus damnatos, seu purgatorijs pœnis addictos. Et sic etiã B. August. interdum accipere condemnationẽ, patet ex c. 110. Enchirid.

999. XVI. III.

Baronio incipit sedere Siluester II.

In Italia Crescens, Patriciatu Romanorum arrepto, contra Othonem Imp. rebellat.

M. XVII. IV.

1000. Anno Iesv Christi millesimo, secundùm supputationem Dionysij, multa prodigia visa sunt. Terræ motus factus est permaximus, cometes apparuit; nonodecimo Kalendas Ianuarij, circa horam nonam, fisso cælo, quasi facula ardens, cum longo tractu instar fulguris illabitur terris, tanto splendore, vt non modò qui in agris erant, sed etiam in tectis, irrupto lumine ferirentur. Quâ cæli fissurâ sensim euanescente, interim visa est figura quasi serpentis, capite quidem crescente, cum cæruleis pedibus.

1001. XVIII. V.

Baronio adhuc sedet Siluester II.

Octauianus secundùm quosdam Romanæ Ecclesiæ CXLII. præsidet. Otho Imp. Romæ Crescentem Patricium bello aggreditur, sed victus Crescens, & ex fuga retractus capitur, vilique iumento auersè impositus circumducitur, & paullatim membris truncatus, ad vltimum ante vrbẽ suspenditur.

1002. XIX. VI.

Otho Imp. degens Romæ, dum cum Romanis se remissiùs agit, tractans qualiter iura regni & Ecclesiæ ad antiquum statum reformaret, Romani per hoc ad contemtum eius adducti, subitò contra eum conspirant, & aliquot militum eius peremtis, eum in palatio obsident. Vnde per industriam Heinrici Ducis Baioariæ & * Hugonis Marchionis Italiæ, simulato pacto vix extractus, Roma decedit cum Siluestro Papa. Et quia vxor Crescentis Imperatorem, spe regnandi, ad amorem suum pellexerat, dolens pro eius discessu, venenum ei misit; quo ille consumtus, inter remeandum in Italia moritur. Mili-

* Vide Baron. in Appendice correctionu ad hũc annum.

R. F. ANNO CHR.

Milites transalpini corpus Imperatoris defuncti, cum insignibus Imperij ad Galliam referentes, crebris Italorum incursibus lacessiti, armis sibi viam parant. Sed cùm iam res in tuto esse putaretur, Dux Baioariæ Heinricus, iniuriato Heriberto Coloniensium Archiepiscopo, à cuius ore omneis pendebant, insignia regni ab eo violenter extorsit, quasi iure hereditario sibi competentia. Fuit quippe filius Heinrici Ducis, qui fuit genitus de Heinrico, fratre primi Othonis Imperatoris. Heinricus Dux, conciliatis sibi animis quorumdam principum regni, vngitur in Regem, à Vuilligiso Moguntino Archiepiscopo, & imperat annis XXII. * *Obijt Siluester Papa, qui & Gerbertus Sapiens, II. Nonas Maij. Magna inundatio aquarum Kalendis Iunij. Item inundatio aquarum Kalendis Augusti.* * Ex ms. Lipf. Consule Baron.

I. VII. 1003.

Heinricus Imp. potentiores regni viros, bella sibi concitare volentes celeriter deuincit, & Reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui Vuinidi dicuntur, tributarios sibi facit. *Abbo Abbas Floriacensis in Vuasconia martyrizatur.*

Hoc anno Baronius ponit Ioannem XVI. dictum XVIII. & post V. menses, Ioannem XVII. dictum XIX.

II. VIII. 1004.

Gerardus Cameracensium Episcopus, & Adelboldus Vultraiectensis Episcopus, magni in Ecclesia & in palatio habentur. Heinricus Imp. Babenbergensem ecclesiam Episcopalis sedis honore sublimat, & quia liberis carebat, eam omnium suarum rerum heredem facit. Vnde Deodericus Mettensium Episcopus, dolens dotem & patrimonium sororis suæ Cunigundis Imperatricis delegari ab Imperatore ecclesiæ Babenbergensi, rebellat.

III. IX. 1005.

Cometes horribili specie flammas huc illucque iactans in Australi parte visus est. Mortuo Othone Duce, Ducatus Lotharingiæ datur Comiti Godefrido, filio Godefridi Ardennensis. * *Iste Dux Godefridus dictus est Eibamensis. Erat autem Eibam opidum & castrum munitissimum, & sedes principalis Ducatus regni Lotharici. Qui Dux Godefridus duxit Mathildem filiam Herimanni Ducis Saxonum, viduam relictam Balduini Comitis Flandriæ, qui erat filius Arnulfi Magni Marchionis. De qua idem Godefridus genuit tres filios, Godefridum,* [a] *Gozcelonem, Hezcelonem.* [b] *Hezcelo Comes, post mortem Ducis, castrum Eibam, cum prouincia Bracbatensi suscepit, & diu tenuit. Hic enim genuit filium nomine Hermannum, & filiam nomine Berthildem, qui dum adhuc iuuenis essent, defuncti sunt, & in ecclesia apud Felsekam sepulti: qui postea multis miraculorum signis claruerunt, sed à Verdunensibus monachis furtiuè ablati sunt. Alteram quoque filiam tradidit nuptui Reginero Montensi Comiti, simul cum tota prouincia Bracbatensi. Deinde cùm omnia sua ad votum ordinasset, relicto in manus Regineri castro & Comitatu, apud Verdunum*

* Ex ms. Lipf.

a Gothelonem, infra an. 1019

b Hethelo infra an. 1015.

ANNO CHR. R. F.

dunum effectus est monachus. Chilpericus librũ De ratione computi hoc anno scripsit, vt apparet ex argumento, ad inueniendos annos Domini per Indictiones. Si vis, inquit, scire, quot sint anni incarnati Christi, LXVI. ordines Indictionum, qui fluxerunt ab eius incarnatione, multiplica per XV. fiunt DCCCCXC. His adde duodecim, quia tertia Indictione natus est Christus. Adde Indictionem præsentis anni, id est, tres. Ecce habes hoc anno annos Christi M. V.

1006. IIII. X.

Fames & mortalitas iam grauiter per totum orbem inualuit, vt tædio sepelientium, viui adhuc spiritum trahentes, obruerentur cum mortuis. Castrum Valentianas, situm in Marcha Franciæ & Lotharingiæ, quod Balduinus Comes Flandrensium inuaserat, Imp. Heinricus obsidet, concurrentibus ad auxilium eius Rotberto Rege Francorum, & Richardo Comite Northmannorum.

1007. V. XI.

Heinricus Imp. quia de obsidione Valentianensi inefficax redierat, contra Balduinum profectus, castrum Gandauum inuadit, & depopulatá terrâ, aliquot Flandrensium primores capit. Vnde Balduinus perterritus Imperatori satisfacit, Valentianas reddit, datisque obsidibus, cum sacramento fidelitatis, manus ei dedit.* Postea Imperator seditione suorum coactus, Valentianas Balduino beneficiauit, vt sibi contra motus suorum auxilio esset. Postea ei etiam Vualachras addidit. *Gandaui aduentus corporis S. Liuini Hibernensis Archiepiscopi & martyris pijssimi, XVI. Kal. Septembris, ex villa Holthem.*

* *Chron. Gandense ista refert ad an. 1010.*

1008. VI. XII.

Baldricus Leodicensium Episcopus ordinatur. Burchardus quoque fit Vuormacensium Episcopus, qui in scripturis studiosus, magnum illud Canonum volumen edidit, Scripturarum sententijs vndique compilatis defloratum, collaborante sibi in hoc magistro suo Olberto Abbate, viro vndecumque doctissimo.

1009. VII. XIII.

Baronius ponit Sergium IV.

Leo Romanæ Ecclesiæ CXLIII. præsidet. Eclipsis solis facta est, hora diei secunda. Northmanni Fresiam infestantes, Thile opidum incendunt. Heinricus Imp. Mettim vrbem obsidet, propter Deodericum fratrem vxoris suæ contra se rebellantem, qui episcopatum ipsius vrbis vsurpauerat. Dux enim Mosellanorum Deodericus, post fratrem suum Alberonem, dato episcopatu Mettensium filio suo adhuc puero, tutorem ei substituit ipsum Deodericum, qui puero vrbe excluso, & episcopatu vsurpato, ipsum etiam Deodericum Ducem bello cepit. Vrbe ergo per obsidionem pænè desolatâ; tandem pax conuenit.

Bruno

R. F. ANNO CHR.

VIII. XIV. M.X. 1010.

Bruno Episcopus martyrizatur. Northmanni Fresiam repetunt, & multis cæsis Vultraiectum opidum incensum est. Gens Vngarorum, hactenus idololatriæ dedita, hoc tempore ad fidem Christi conuertitur, per Gislam sororem Imperatoris, quæ nupta Vngarorum Regi, ad hoc sua instantia Regem adduxit, vt se & totam Vngarorum gentem baptizari expeteret: qui in baptismo Stephanus est vocatus, cuius merita per Vngariam multa miraculorum gloria commendat. *In cœnobio Florinensi pro clericis, qui ad hoc vsque tempus deseruiebant, ibi monachi sunt constituti.*

IX. XV. 1011.

In Lotharingia iuxta montem Castrilocum fonticulus aquæ multis saluberrimus, in sanguinem conuersus est. Quod probauit mulier, quæ faciem suam ex huius fontis aqua lotam, ostendit multis sanguinolentam.

X. XVI. 1012.

Erluinus iunior Abbas Gemmelacensis obit. Olbertus nostræ, Gemmelacensis scilicet, ecclesiæ ordinatur Abbas, vir moribus, religione, gemina scientia, bonis doctisque viris aut conferendus aut præferendus. Heinricus Imp. Godefridum Ducem cum exercitu in fines Bratuspantium mittit, *ad obsidendum castrum Louanium, sed inefficax rediit.*

XI. XVII. 1013.

Heinricus Imp. Italiam petens, vt subueniret suis, quos Græci premebant circa Beneuentum, Salernum & Capuam debacchantes, Troiam ciuitatem capit. Baldricus Episcopus, cum in villa, Huguardis dicta, castellum muniret; Lantbertus Comes Louaniensis eum aggreditur, & Episcopus, Lantberto vincente, multis suorum captis & occisis, graui atteritur infortunio. Terræ motus factus est maximus circa meridiē, XIV. Kal. Decembris. * *Depositio sancti Macarij, Antiocheni Archiepiscopi apud Gandauum.*

Baronio Benedictus VIII. sedere incipit.

* *Lege Molani Natales SS. Belgij, 9. Maij.*

XII. XVIII. 1014.

Heinricus Rex in Imperatorem benedicitur. Baldricus Episcopus in insula Leodicensi cœnobium sancti Iacobi Apostoli fundauit, vbi Olbertus Abbas primus præfuit. Dux Godefridus Gerardum Comitem, multis modis regnum inquietantem, bello vicit; in quo filio eius cum multis occiso, complures eius deterruit. *Hoc anno facta est magna inundatio maris, ad vesperas, VII. Kal. Octobris.*

XIII. XIX. 1015.

Hoc tempore sanctus Guithbert, qui & Adalbertus, Pragensis Episcopus, apud

ANNO CHR. R. P.

Brucnos. • *Bructios martyrizatur.* Godefridus Dux Comitatum Montensem depopulatur, quem Raginerus, cum patruo suo Lantberto Louaniensi, insecutus, apud Florinas pugnam conserunt, vbi plusquam quadringenti viri cecisi sunt, & ipse Lantbertus occubuit. Vbi res mira contigit. Cùm Lantbertus spem victoriæ iam haberet (habebat quippe phylacterium à collo vsque ad pectus pendens, Sanctorum reliquijs refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat,) instante ei termino vitæ, phylacterium illud à collo eius exiens, super tumulum campi exsiluit, & mox Comes antea inuictus perimitur. Quidam militum phylacterium accipiens, in caliga abscondit, sed coxâ eius & crure intumescente, rem prodidit, & phylacterium domino suo • Hetheloni fratri Ducis, dedit. *Baldricus Episcopus Florinensem Abbatiam adquisiuit ei, cui præerat Leodicensi episcopatui.*

Hæc fusiùs narrantur in chronico Cameracensi, ad Gerardum eius vrbis Episcopum scripto.

• *De ipso suprà, an. 1005.*

1016. XIIII. XX.

Simeon Syracusis Siciliæ oriundus, & postea monachus in monte Sina, hoc tempore clarebat: qui Hierosolymam veniens, longam pro Christo peregrinationem suscepit, & cum Poppone Treuirorum Archiepiscopo ad Gallias veniens, Treueris in altitudine turris inclusus est, ibique post multas hominum persecutiones, post multas dæmonum tentationes, beato fine quieuit, cuius merita frequens miraculorum gloria declarauit.

1017. XV. XXI.

• Baronio hic est annus quintus aut sextus Benedicti VIII.

• Benedictus Romanæ Ecclesiæ CXLIV. præsidet. Cometes solitò mirabilior, in modum trabis maximæ, per IV. menses apparuit.

1018. XVI. XXII.

Guolbodo in episcopatu Leodicensium Baldrico succedit. In Fresonia Deoderico Comite, filio Arnulfi Gandauensis, debellante Fresones, in vindictâ patris sui ab eis occisi, Godefridus Dux ad eum debellandum ab Imperatore mittitur; & conserto prælio, repentè voce, nescitur vnde, emissâ, Fugite, fugite, cunctis fugientibus, multi à paucis Fresonibus perimuntur. Dux verò capitur.

Vide chronicon Cameracense.

1019. XVII. XXIII.

Godefridus Dux, impetratâ Fresonibus ab Imperatore totius iniustitiæ impunitate, à captiuitate soluitur, & non multò pòst moritur. Frater verò eius Gothelo in Ducatu substituitur.

M.XX. XVIII. XXIV.

1020. Rodulfus Rex Burgundiæ, insolentijs Burgundionum irritatus, regnum Burgundiæ Heinrico Imperatori dare tractat; sed eum ab hac intentione reuocat simulata Burgundionum satisfactio. Benedictus Papa in Gallia ad Hein-

R. F. ANNO CHR.

Heinricum Imp. venit. * *Secunda incursio hostilis exercitus Regis Heinrici in Gandauum, Nonis Augusti.*

** Ex ms. Lipſ.*

XIX. XXV. 1021.

Heinricus Imp. Coloniæ natalem Domini celebrans, Heribertum Archiepiſcopum olim à ſe iniurioſè tractatum, humili ſatisfactione placat; cui reconciliatus Archiepiſcopus prædixit ſe propediem moriturum, & non multò pòſt mortuus, magnis cœpit clarere virtutibus. Pilegrimus ei in epiſcopatu ſuccedit. * Durandus fit Epiſcopus Leodicenſium: quod quaſi fabula in theatro mundi fuit, quòd vir ex humillimo & pauperrimo ſeruilis conditionis genere, dominis ſuis carnalibus dominabatur.

** Qualis vir fuerit hic Durandus, vide apud Baron. an. 1035. & in chronicis Leodicenſibus.*

XX. XXVI. 1022.

Aquis-Grani conuentu regali & ſynodali per aliquot dies celebrato, tanta ſiccitas & intemperies aëris excanduit, vt multi præ nimio ardore deficerent, multa etiam animalia ſubitò deficerent, pauimento & marmoreis columnis tanto madore ſudantibus, vt aqua eſſe reſperſa crederetur à neſcientibus.

XXI. XXVII. 1023.

Heinricus Imp. & Rotbertus Rex Francorum ſuper Charũ fluuium apud * Euoſium conueniunt, de ſtatu Eccleſiæ, regni & Imperij tractaturi: & condicto, vt ſuper his confirmandis etiam Papam Romanum ſimul ambo Papiæ oportunè conuenirent, Imperator Regem & ſuos, multos etiam qui tantùm ad demirandam imperatoriam maieſtatem conuenerant, tanta liberalitate donauit, vt opibus Regum Perſarum aut Arabum poſſet comparari Imperatoris munificentia. In paſcha eclipſis ſolis facta eſt. * *Obijt Godefridus Dux.*

** Iuodiũ.*

** Ita ms. Lipſ.*

XXII. XXVIII. 1024.

Heinricus Imp. conſulentibus ſe Principibus ſuper ſubſtitutione regni, deſignans Conradum virum regij generis & egregiæ libertatis, quippe qui numquam ſe ſubmiſerat alicuius ſeruituti, moritur. Huius vitam Adelboldus Epiſcopus Vultraiectenſis ſcripſit. Cono Dux præpotens, cùm ad Imperium adſpirare vellet, repudiatur, inſtinctu Arbonis Moguntini Archiepiſcopi, & aliquorum regni primatum, & Conradus ad Imperium ſublimatus imperauit annis XV.

Baronio incipit ſedere Ioannes XVIII. dictus XX.

I. XXIX. 1025.

Ioannes Portuenſis Epiſcopus, * frater Stephani Papæ nuper defuncti, præſidet Romanæ Eccleſiæ CXLV. [b] Huic Stephanus Papa frater ſuus apparens, dixit ſe [c] infernalibus pœnis cruciari, ſed ſperare ſe interuentu

ANNO CHR. | R. | F.

Odilonis Abbatis, veniam posse consequi. Pro quo Odilo tamdiu omni orandi genere laborauit, donec sibi reuelaretur, se pro illo exauditum esse. [d] Raginardus Leodicensium ordinatur Episcopus, qui Leodij in monte publico cœnobium sancti Laurentij instituit, eique Stephanũ virum sanctæ memoriæ, Abbatem primum præfecit.

a Baronius ostendit Ioannem XX. non fuisse Episcopum Portuensem, neque fratrem Stephani, sed Benedicti VIII. ad an. 1024. b *Melius hoc totum Baronius ibid.* c *Pœnam purgatorias intellige. Nam & purgatorius locus nomine inferni comprehenditur; vt & limbus veterum patrum iustorum.* d *At Baronius ostendit Durandum Episcopum Leodiensem, de quo suprà* 1021. *sedisse adhuc anno Domini* 1035.

1026. II. XXX.

Rotbertus Rex Francorum ad inuadendam Lotharingiam animum intendit, sed citò ab hoc conatu destitit. Gothelone Duce, qui propter priuatum odium grauabat regnum Conradi, & alijs principibus ad pacis vnitatem adductis, Regi prosperitas, & regno accreuit tranquillitas.

1027. III. XXXI.

Conradus Rex filium suum Heinricum adhuc puerum in regnum sublimat Aquis. Ipse in pascha Romæ in Imperatorem consecratus, quorumdam Italorum contra se sentientium motus compescit. Florebat hoc tempore ecclesiastica religio per Abbates nominabiles: in Francia quidem & Burgundia per Odilonem Cluniacensem, pietate insignem, per Guilelmum Diuionensem seueritate reuerendum, in Lotharingia per Richardum Virdunensem pia grauitate, & grata pietate discretum, per * Poponem Stabulensem, per Heliam Coloniensem, per Olbertum & Stephanum Leodicenses, per Bernonem Augiensem.

*Poppo- nem.

1028. IV. XXXII.

Claruit hoc tempore in Italia Guido Aretinus, multi inter musicos nominis, in hoc etiam philosophis præferendus, quòd ignotos cantus etiã pueri faciliùs discunt per eius regulam, quàm per vocem magistri, aut per vsum alicuius instrumenti: dum sex litteris vel syllabis modulatim appositis, ad sex voces, quas solas regulariter Musica recipit, hisque vocibus, per flexuras digitorum læuæ manus distinctis, per integrum diapason se oculis & auribus ingerunt intentæ & remissæ eleuationes, vel depositiones earumdem VI. vocum.

1029. V. XXXIII.

Conradus Imp. rebellantibus Sclauis, ad eos debellandos proficiscitur.

M. XXX. 1030. VI. XXXIIII.

Conradus Imp. rebellantibus Vngaris, ad eos debellandos proficiscitur.

R. F. ANNO CHR.

tur. * *Comes Balduinus, qui dictus est Barbatus, congregatis Marchisiæ suæ Sanctorum corporibus, Bauonis, VVuandregisili, Amandi, Vedasti, Bertini, VVinnoci, cum alijs innumerabilibus Sanctorum reliquijs, præsente Hugone Noniomensi Episcopo, cum alijs pluribus Episcopis & Abbatibus, congregatis totius regni sui primatibus apud Aldenardum, pacem ab omni populo coniuratam firmari fecit.*

** Ex ms. Lips.*

VII. XXXV. 1031.

* Rotberto Francorum Rege mortuo, Heinricus filius eius, regnat in Francia annis XXX. Hoc tempore, iussu Conradi Imperatoris, regali & synodali conuentu apud Triburias, inter cetera Episcopi hoc capitulum decernere voluerunt, vt si quando ieiunium primi mensis eueniret, infra hebdomadam, qua caput ieiunij in quarta feria constat, amborum ieiuniorum celebritas vnius officij expletione compleretur. Sed Gerardus Cameracensis, & pauci cum eo, huic multorum decreto contradicentes, obtinuerunt, vt ieiunium primi mensis, in altera hebdomada, in qua habetur officium, celebretur, secundùm antiquorum consuetudinem.

** Baronius vult obijsse an. 1033. Vide § 9.*

VIII. I. 1032.

Sanctus Bardo ordinatur Moguntiæ Archiepiscopus. Rotbertus & Richardus, minuendæ domo multitudinis caussa, hoc tempore à Nortmannia Francorum digressi, Apuliam expetunt, & Italis inter se dissentientibus, dum alteri contra alterum auxilium præstant, hac oportunitate Italos callidè & fortiter debellant, & successus vrgendo suos, nomen suum dilatant, & futuræ prosperitatis sibi viam parant.

IX. II. 1033.

Eclipsis Solis facta est circa meridiem III. Kal. Iulij. Huiusmodi decretum à Franciæ Episcopis datum est seruari subiectis sibi populis. Vnus eorum dixit cælitus sibi delatas esse litteras, quæ pacem monerent renouandam in terra. Quam rem mandauit ceteris, & hæc tradenda dedit populis. Arma quisquam non ferret, direpta non repeteret, & sui sanguinis vel cuiuslibet proximi vltor minimè existens, percussoribus cogeretur indulgere, ieiunium in pane & aqua omni VI. feria obseruarent, & in Sabbatho à carne & liquamine abstinerent, soloque hoc contenti ieiunio, in omnium peccatorem remissionem, nullam sibi scirent aliam adijciendam pœnitentiam, & hæc se seruare sacramento firmarent. Quod qui nollet, Christianitate priuaretur; & exeuntem de sæculo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Alia quoque importabilia quamplura dedêre mandata, quæ oneri visa sunt replicare. Hanc mandatorum nouitatem cùm multi cupidi nouarum rerum libentiùs iustò amplecterentur, Gerardus Cameracensis, qui solus Lotharienſium appendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hæc recipienda, sed singula capitula refellebat, dicens genus hominum ab initio

Conf. Baron. an. 1034.

ANNO CHR. R. F.

trifariam esse diuisum, in oratoribus, pugnatoribus, agricultoribus, & vnum duorum, & duos vnius egere auxilio. Ideò debere arma ferre, & rapinas reddi, per auctoritatem legis & gratiæ; vltorem percussi, vel occisi non exacerbari cogendo, sed secundùm Euangeliũ ei reconciliari, ieiuniũ in VI. vel VII. feria nec omnibus vnũ esse imponendum, quia non est vna omnibus possibilitas, nec omnes hoc vno ieiunio contentos esse, quia non est vna omnibus pœnitendi qualitas; hæc sacramento firmare, vel sacramenti violationem periurio augere, non esse vtile; his contradicentes excommunicari, infirmis visitationẽ, vel mortuis sepulturam negari, esse detestabile, sufficere authentica Patrum decreta, & super his neglectis impositum congruentis pœnitentiæ modum. * *In diebus Ragineri Longicolli traditum est fraudulenter castrum, quod dicitur * Eibam, & datum est Balduino Barbato, qui castrum funditùs destruxit. Cunegundis Imperatrix moritur.*

Lege Baron. cit. loco.

* *Ex ms. Lips.*

* Einham

1034. X. III.

Baronius ponit ingressum Benedicti IX.

Friderico Mosellanorum Duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelo Dux, impetrato ab Imperatore etiam Mosellanorum Ducatu, in Lotharingia potentiùs principatur.

1035. XI. IIII.

Burgundionibus non desistentibus à consueta contra Regem suum insolentia, Rex Rodulfus regnum Burgundiæ Conrado Imperatori tradidit: quod à tempore Arnulfi Imperatoris per annos plusquam CXXX. gentis suæ Reges tenuerant; sicque Burgundia iterum redacta est in prouinciam.

1036. XII. V.

Odo Campanensis regnum Rodulfi Regis, auunculi sui, à Conrado Imperatore nepote suo repetens, vt sub eo regat Burgundiam, efflagitat.

* Heinricus Rex, filius Conradi, vxorem ducit filiam Regis Anglorum. Odo contra Imperatorem bellans, Lotharingiam incursat, castella oppugnat, vrbem Leucorum, quæ Tullus dicitur, obsidet, & in nullo temperat furori suo. *Obijt Raginardus Episcopus Leodicensis, succedit Nithardus.*

* *Ita ms. codex Gembiacensis hic & infrà annorum numeros distinguit. Ceteri mss. codices hoc loco & infrà in ijs variant.*

1037. XIII. VI.

Herimannus Coloniæ ordinatur Archiepiscopus. Odo Barum castrum obsidet & capit. Gothelo Dux ægrè ferens insolentiam Francorum, cum Lotharingis occurrit Odoni, & conserto prælio apud Barum, Odo perimitur, & Francorum exercitus graui cæde attritus, à Lotharingia fugere compellitur.

North-

R. F. ANNO CHR.

XIV. VII. 1038.

Northmanni in Apulia copijs suis à Northmannia paullatim adauctis, ad inuadendam Apuliam, fortitudine sua & Italorum imbecillitate animati, castellis & vrbibus aut dolo aut virtute captis, in Apulia potenter agunt, vicinisque gentibus terrorem sui nominis incutiunt. a *Heinricus Louaniensis Comes domi suæ perimitur à captiuo* b *Harmanno, eique succedit filius suus Otho. Cui immatura morte preuento, succedit patruus eius Balaricus, qui & Lanthertus.*

a *Ex mss. Gembl. Aquic. & Lips.*
b Herimanno.

XV. VIII. 1039.

In mense Aprili, VIII. Idus, visa est in cælo inter Australem & Orientalem plagam, ignea trabs miræ magnitudinis, quæ currens super solem, iam ad occasum vergentem, visa est in terram cadere, cuius vestigia diu videri potuerunt. Conradus Imp. Italiam adit, vt rebellionem meditantes debellaret. Et quia omnes Langobardi coniurauerant, vt non paterentur quemlibet dominium, qui aliud quàm ipsi vellent, contra se ageret, quosdam Episcopos in vincula coniecit, & quia Episcopus Mediolanēsis fugâ lapsus est, Imperator suburbia Mediolani incendit. Die pentecōstes, cùm Imperator in parua ecclesia secus vrbem ad Missam coronaretur, tam grauia fuerunt tonitrua & fulgura, vt aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. Bruno verò Episcopus, qui Missam canebat, & Secretarius Imperatoris, cum alijs tribus, dixerunt se, inter Missarum solennia, vidisse sanctum Ambrosium, Imperatori indignando comminantem. Imperator Italia decessit. Pridie Idus Maij eclipsis solis fuit, & pridie Nonas Iunij Imperator * obijt. Post quem Heinricus filius eius imperauit annis XVII. *Hoc anno castrum Dionantense construitur, & in eo capella in honorem sancti Benedicti, sub Nithardo Leodicensi Episcopo.*

* *Schaf. ait obijsse Traiecti, ad Rhenū scilicet, quod hodie Vltraiectū dicitur.*

I. IX. *M.XL.* 1040.

Heinricus Imp. vadit ad debellandum Odelricum Boëmanorum Ducem, sed Boëmanis viriliter resistentibus, inefficax redit.

II. X. 1041.

Heinricus Imp. per orationes sanctorum virorum, auxilio Dei sibi procurato, superioris anni infortunium vltus, * Odelricum Ducem Boëmiæ subiugat. *Hoc anno facta est magna inundatio maris, IV. Nonas Nouembris.*

* *Brētlaū nuncupat Schaf.*

III. XI. 1042.

Inter Vngaros bello intestino moto, Petrus Rex ab eis depulsus regno, auxilium Heinrici Imp. interpellat, qui potenter ei patrocinans, Vngariam deuastat. *Obijt Nithardus Episcopus Leodicensis.* * Guatho ex clero sancti

* Vuazo.

Lant-

ANNO CHR. | R. | F.

Lantberti, vir ſpiritu ſapientiæ & ſcientiæ, & feruore religionis inſignitus, ordinatur Leodicenſium Epiſcopus.

1044. IV. XIII.

** A Schafnaburgẽſi vocatur Vban, regniq; in-maſor.*

Apud Conſtantinopolim Conſtantinus Monomachus imperat. Heinricus Imp. iterum Vngariam ingreſſus cum paucis, * Obbonem Regem de bello fugauit, & lanceam, inſigne Regis, recepit: Petrum verò, quem Obbo expulerat, Vngarorum regno reſtituit, & Vngariam ſibi tributariam fecit.

1045. V. XIIII.

* Fames valida Galliam & Germaniam profligat. Gothelo Dux obijt, cuius filius Godefridus, dum ei Ducatus Moſellanorum denegatur, altero Ducatu repudiato, contra Imperatorem rebellat.

** Baron. ponit initium pontificatus Gregorij VI. hoc anno, § 5.6. & ſeqq.*

1046. VI. XV.

** Lege de his omnibus Barõ. an. 1044.*

Godefridus, hortatu quorumdam Dei fidelium, ad recuperandam Imperatoris gratiam adductus, ab Imperatore capitur, & cuſtodiæ mancipatur, ſed filium ſuum obſidem dans, relaxatur. Quo defuncto in obſidatu, ad rebellandum graſſatur. * Benedictus ſimoniacè papatu Romano inuaſo, cùm eſſet rudis litterarum, alterum, ad vices eccleſiaſtici officij exequendas, ſecum Papam conſecrari fecit. Quod cùm multis non placeret, tertius ſuperducitur, qui ſolus vices duorum impleret.

1047. VII. XVI.

Omnino vide Barõ. an. 1046.

Cedente Gregorio VI. ingreſſum Clementis II. ponit hic etiã Barõ.

Eccleſia ſanctæ Gertrudis Niuigellenſis, quæ ante aliquot annos, poſt negligentiam & incuriam effuſi ſanguinis Domini, concremata fuerat, in nouam reædificata, benedicitur, præſente Heinrico Imperatore. Romæ vno contra duos, & duobus contra vnum de papatu altercantibus, Rex Heinricus contra eos Romam vadit, & eis canonica & imperiali cenſura depoſitis, Suidigerus Babenbergenſis Epiſcopus, qui & Clemens, Romanæ Eccleſiæ CXLVI. præſidet, & ab eo Rex Heinricus in Imperatorem benedicitur, iurantibus Romanis, ſe ſine eius conſenſu numquam Papam electuros. Inſtinctu Godefridi, Comes Flandrenſium Balduinus contra Imperatorem rebellat. Deoderico Mettenſium Epiſcopo defuncto, ſuccedit Adelbero fratruelis eius, vir magnæ prudentiæ & ſanctitatis.

1048. VIII. XVII.

Baronius initium pontif. eius tradit an. ſeq.

Poppo, qui & Damaſus, Romanæ Eccleſiæ CXLVII. præſidet. Godefridus palatium Neomagi incendit, & inreparabiliter deſtruit. Vrbem quoque Claborum, quæ Virdunus dicitur, cum maiori ſanctæ Mariæ eccleſia incendit. Franco Scholaſticus Leodicenſium, & ſcientia litterarum & morum

rum probitate claret, qui ad Herimannum Archiepiscopum scripsit librum De quadratura circuli: de qua re Aristoteles ait, Circuli quadratura, si est scibile, scientia quidem nondum est, illud verò scibile est. Nix tanta in Occidente cecidit, vt siluas frangeret.

IX. XVII. 1048.

Viri religiosi & illustres sanctitate, in Christo dormiunt, Odilo Abbas Cluniacensis, Poppo Stabulensis, * Guatho Episcopus Legiensis, Olbertus sanctæ memoriæ Abbas Gemmelacensis. Guathoni Deoduinus in episcopatu succedit. Albertus, qui Ducatum Mosellanorum, Godefrido negatum, susceperat, à Godefrido perimitur. Ducatum eius Gerardus de Alsatia, alterum verò Ducatum Fridericus obtinet. * Bruno Leucorum Episcopus Romanæ Ecclesiæ CXLVIII. præsidet, qui vocatus Leo Nonus huius nominis Papa. Hic cùm ad capessendam Sedem Apostolicam Romam tenderet, audiuit voces angelorum canentium: Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Hic de multis Sanctis cantus composuit, & multa fecit & scripsit Ecclesiæ vtilia. Hic cùm in papatu pauperem leprosum ante fores offendisset, eum fotum diligenter in lecto suo collocauit, quem cùm reserato ostio non inuenisset, in paupere se Christum suscepisse obstupuit. *Olberto Abbati Gemblacensi succedit Mysac. Gerardus Cameracensis Episcopus moritur.*

* Vuazo.

* Ponit Baron. an. seq. Onuphrio & Ciaconio est CLIV.

X. XVIII. 1049.

Leo Papa in Gallias veniens, vt motus Imperij à Balduino & Godefrido concitatos sedaret, Godefridum quidem Imperatori reconciliauit; Balduino pertinaciùs agente, contra eum Imperator exercitum duxit. Sed tandem Balduinus flexus, condicto die Aquis Imperatori satisfecit. Leo Papa in Gallia & Germania, synodis habitis, statum Ecclesiæ meliorabat.

M. L.

XI. XIX. 1050.

Sanctus Tietbaldus inter nobiles Francorum non infimus hoc tempore clarebat, qui mundo & semetipso abnegato, secutus Christum, in Vincentia Venetiæ vrbe reclusus, ibi XII. conuersionis suæ anno, beato fine quieuit. Qui quàm acceptò seruierit Domino, post mortem eius miraculorum prodidit magnitudo. Ossa eius in Gallias translata, multam multis in locis venerationem meruerunt. * Leo Papa, dum Northmannos à Romanorum terminis deturbare satagit, multam calamitatem incurrit, quia cum multis etiam ipse capitur, sed tamen relaxari noluit, nisi etiam suis relaxatis. Bardo Moguntiæ Episcopus obit, cuius sanctitas per multam miraculorum gratiam patuit.

* Schaf. ait Leonē an. 1051. in Italiam rediisse, abducto secū Godefrido Loth Duce eiusq; fratre Frederico; an. verò 1053 cum Normannis apud Beneuentū infeliciter esse certatum.

XII. XX. 1051.

Balduinus Flandrensis, inuaso Hagionensiū Comitatu, contra Imperatorem

ANNO CHR. R. F.

rem rebellat. Francia turbatur per Berengarium Turonensem, qui asserebat Eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse reuera corpus & sanguinem Christi, sed figuram corporis & sanguinis Christi. Vnde contra eum & pro eo multùm à multis, & verbis & scriptis, disputatum est.

* Lege Baron. & Bellarminum.

1052. XIII. XXI.

Rex Vngarorum ab Imperatore Heinrico dissentit, pro quo reconciliando, Leo Papa ad Imperatorem venit; sed amicis discordiæ interturbantibus, id frustra fuit. Leo Papa Gerardum Leucorum supra se quintum Episcopum, sanctitate vitæ mirabilem, synodo habitâ, per auctoritatem Apostolicam, decreuit in numerum sanctorum confessorum in Ecclesia solenniter habendum.

1053. XIIII. XXII.

Balduinus Comes terminos Lotharingiæ incursans, Hoium opidum incendit. Godefridus iterum rebellat, quia * ductâ vxore Bonefacij Marchionis, iussu Imperatoris, à Langobardia excluditur. Græcis in hæresim multiformem declinantibus, auctore Michaële Patriarcha Constantinopolitano, & Leone * Achridano Bulgarum Archiepiscopo, Leo Papa errores eorum redarguens, scribit contra eos librum, firmis scripturarum testimonijs roboratum. Nicetas etiam monachus Constantinopolitanus, qui agnominabatur Pectoratus, scripsit contra Romanos librum plenum erroris & stultitiæ, prætitulatum, De Azymo, de sabbatho, de nuptijs sacerdotum.

* Siue vidua, Beatrice.
* Achris, seu Achridus, aliàs Iustiniana prima, est totius Bulgaria metropolis.

1054. XV. XXIII.

Leo Papa per epistolam ad Imperatorem Constantinum scriptam, animum eius sibi concilians, Apocrisiarios suos, Humbertum videlicet Cardinalem Episcopum Siluæ candidæ, Petrum Amalfitanorum Archiepiscopum, * Fridericum quoque septimum Leuitam & Cancellarium, Constantinopolim dirigit ad confutandas Græcorum hæreses; qui, vt simoniaci, donum Dei vendebant; vt Valesij, hospites suos castratos etiam ad episcopatum promouebant; vt Ariani, rebaptizabant Latinos baptizatos in nomine sanctæ Trinitatis; vt Donatistæ, in sola Græcia orthodoxam esse Ecclesiam iactabant; vt Nicolaitæ, nuptias sacerdotibus concedebant; vt Seueriani, maledictam dicebant legem Moysi; vt Pneumatomachi, professionem Spiritus sancti à symbolo abscidebant; vt Nazareni, Iudaismum obseruabant. Paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem, baptizari, mulieres in partu vel menstruo periclitatas, communicari, vel si paganæ essent baptizari prohibebant: Latinos vocabant Azymitas, & eos nimis persequentes, eorum ecclesias claudebant; de fermentato sacrificabant, in filijs suis Romanam Ecclesiam anathematizabant, eique Ecclesiam Constantinopolitanam præponebant. Ab Imperatore ergò benignè habiti, Nicetam monachum

* Fratrem Godefridi Loth. Ducis.
Consule Baronium in Annalibus, & Arnoldum Pontacum in Chronologia.

ante

ante eum vicerunt, adeò vt librum, quem contra Romanos scripserat, anathematizaret & incenderet. Michaële Patriarcha nolente eis colloqui, chartâ excommunicationis coram clero & populo super altare sanctæ Sophiæ positâ, recedunt. Michael chartam ipsam corrumpens, populoque legens, illos ab Imperatore reuocatos ad synodum, absente Imperatore, conuocauit, vt à populo lapidarentur. Quod Imperatore prohibente, Michaël commouit populum contra eum; sed conuictus chartam excommunicationis falsasse, Michaël omnesque sui à gratia & palatio Imperatoris remoti sunt. Humbertus Episcopus Siluæ candidæ hæc descripsit, & scripta Nicetæ monachi, & Leonis Actidani Bulgarum Archiepiscopi, confutauit; quæ de Latino in Græcum translata, iussu Imperatoris Constantini à Græcis recepta sunt. Heinricus Imp. filio suo Heinrico puero quinquenni in Regem sublimato Aquis, contra Balduinum proficiscitur, qui Scaldim fluuium, Balduino fugiente, transiens, omnia depopulatur; & insuper apertis sibi * Clausulæ portis, multam cædem inimicorum facit; & vltra progressus, Lanbertum Comitem, Balduini satellitem, cum multis perimit; multos etiam Flandrensium primates, exercitum suum prosequentes, concludit intra vrbem Tornacum, & obsessos capit. Leo Papa moritur.

** Ita mst. forte Slusam, Flandriæ oppidũ intelligit.*

XVI. XXIV. 1055.

Gebahardus Eistedensis Episcopus, qui & * Victor, Romanæ Ecclesiæ CXLIX. præsidet. Anno ordinatur Coloniæ Archiepiscopus. Imperatore in Italia constituto, milites eius Sclauis & Lutitianis bello congressi, multi capiuntur aut perimuntur. Balduinus Flandrensis cum Godefrido, auunculum suum Fredericum Ducem intra Andouerpum obsidet, sed concurrentibus Lotharingis ab oppugnatione desistit. * Cuius meriti Leo Papa Nonus apud Deum fuerit, cunctis patuit, cùm multis ad sepulcrum eius Romæ miraculis ostensis, Deus eum clarificauit.

** Est Victor II. Onuphrio CLV.*

** Vide Baron. an. 1054. § 47. & seqq.*

XVII. XXV. 1056.

Victor Papa in Gallias veniens, gloriosè ab Imperatore suscipitur, & eo præsente non multò pòst Imp. Heinricus moritur, & post eum filius eius Heinricus imperat annis L.

I. XXVI. 1057.

Coloniæ generali conuentu habito, Balduinus & Godefridus, mediante Victore Papa, ad gratiam Regis & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur. * *Balduinus iunior Marchisus, Neruiorum Comitatum imperiali munificentia, & auctoritate Apostolica suscepit. Rabodo Comes interfectus est.*

** Ex ms. Lips.*

II. XXVII. 1058.

In Fresonia captis ab Imperatore Heinrico aliquibus castellis, Fresones à rebellione refrenantur. Paderbrunna Germaniæ ciuitas combusta est

ANNO CHR. R. F.

cum maiori ecclesia. In monasterio autem monachorum, Scottus quidam monachus, nomine Paternus, multo tempore reclusus, qui etiam hoc incendium sæpè prædixerat, propter propositum reclusionis exire nolens, se comburi passus est.

1059. [a] III. XXIX.

Fridericus filius Gothilonis Ducis, ex clerico sancti Lantberti, VII. Leuita Romanæ Ecclesiæ, quia exosus erat Imperatori Heinrico, pro odio fratris sui Godefridi Ducis, post legationem Constantinopolitanam, apud Casinenses monachus, & postea Abbas factus, electione Romanorum, Romanæ Ecclesiæ CL. præsidet, alteratus nomine [b] Stephani. In pago Bracbatensi iuxta Tornacum multitudines colubrorum altrinsecùs congregatæ, prodigioso prælio inter se concurrunt, & multis vtrimque occisis, victa pars fugiens in cauo arboris se abscondit, altera pars vincentium more insequens, cum sibilo circumstrepebat, donec circumiecto ab hominibus igne omnes concrematæ sunt.

a Baron. ait Imp. Occid. vacasse ab an. 1057. vsque ad an. 1084. quem consule in primis an. cit. 1084 § 2.

b Ponit Baron. an. 1057. Est autem Stephanus X. M. LX.

1060. IV. XXX.

Gerardus Florentiæ Episcopus, qui & Nicolaus Romanæ Ecclesiæ CLI. præsidet. Heinricus Rex Francorum obit, Philippus filius eius post eum regnat annis XLIX.

Baron. an. 1059.

1061. V. I.

Marianus chronographus claret, qui à Scottia in Gallias veniens, Coloniæ factus monachus, primò apud Fuldam, postea apud Moguntiam reclusus est. * *Balduinus Flandriæ Marchisus, regni Francorum Magistratus efficitur.*

** Ex ms. Lips.*

1062. VI. II.

Anno Episcopus Coloniensis, consilio primorum regni, indignè ferentium per Agnetem matrem Imperatoris Heinrici, regnum non viriliter gubernari, puerum violenter & industriè captum, sub tutela sua accepit, & Imperij regimen à matre eius amouit, & de hac re coram cunctis ratione redditâ, gratiam Domini sui Imperatoris recepit, & per ipsum filium, ad gratiam matris eius rediјt. At Imperatrix necessitatem vertens in voluntatem, vt obstrueret os loquentium de se iniqua, non solùm honore regni, sed etiam onere sæculi * reiecto, Romæ ad limina Apostolorũ se contulit, ibique vsque ad finem vitæ, omnibus bonis exemplo & miraculo fuit.

** Ista fusiùs narrat Schaf. ad hũc annũ.*

** Schaf. an. 1072. & alibi idẽ tradit.*

1063. VII. III.

Hoc anno finitur magnus cyclus annorũ DXXXII. continens cyclos decemnouennales XXVIII. qui ad omnem rationem paschalis computi omnino vtilis, ab æuo in æuum, in semetipsum sine errore reuoluitur. Sed hoc in

R. F. ANNO HR

in eo reprehensibile esse videtur, quòd annis Dominicæ incarnationis ei inconsideratè præscriptis, discordat à veritate Euangelij in anno Dominicæ passionis, præferens XIV. lunam Aprilis, eo anno in prima feria fuisse. Quod omninò falsum est, quia secundùm fidem Euangelij, eo anno luna XIV. Aprilis fuit in V. feria, & in VI. feria luna XV. *VIII. Kal. Aprilis,* Dominus passus est. Exercitus multus à Gallijs in Hispanias ad debellandos Saracenos proficiscitur, sed omni regione à Saracenis vastatâ, vrgente fame inefficax reuertitur. • *Rotbertus, Balduini potentissimi Flandriæ Marchisi iunior filius, Fresiam subintrat. Hoc anno cœnobium Eihamense à Balduino Comite & Athela Comitissa constructum est. Salomon Vngarorum Rex Andreæ Regis filius, Heinrici Imp. sororem accipit vxorem.* • *Ex ms. Lipsf. De eodem Schaf. an. 1071.*

VIII. IV. 1064.

Cyclus magnus annorum DXXXII. bis à Christi natiuitate exactus, tertiò incipit. • Alexander Lucensis Episcopus Romanæ Ecclesiæ CXLII. præsidet. Contra quem Cadelo Parmensis Episcopus, papatum ambiens, magno scandalo Ecclesiæ fuit: quia longa inter eos concertatio, etiam vsque ad homicidia prorupit. *Domnus Herimannus, nobili Alemannorum prosapia procreatus, hoc anno suum computum edidit, & famosissimum de naturali lunæ discursu quæstionem subtilissimè inuestigatam absoluit; qui à prima ferè ætate à renibus deorsum contractus, & toto vitæ suæ tempore, ambulandi vsu priuatus, quia hoc Dei flagellum patientissimè tulit, & insuper ei gratias egit, absque humano magisterio in omni liberali scientia nouus, Dei dono, philosophus apparuit. Erat autem moribus tranquillissimus, caritate diffusus, scientia, quod apud alios rarum est, beniuolus, affabilis omnibus, pauperum curâ sollicitus, virginitatis castitate integerrimus. Vuilhelmus Vultraiectensis Episcopus, cum Sigefrido Moguntino & alijs Episcopis Hierosolymam proficiscitur.* • *Ponit hæc Barõ. an. 1061. Est autem Alexãder II.*

IX. V. 1065.

Friderico Duce mortuo, Godefridus Ducatum recepit. Herardus Rex Anglorum obit, eique Araldus succedit. • Multi vsque ad VII. millia, orandi voto, Hierosolymam petentes, ab Arabibus in parasceue in quodam castello obsessi sunt, & ita occisi aut vulnerati sunt, vt de septem & eò ampliùs millibus vix duo millia reuersi sint. • *De ijs Schaf. in chron.*

X. VI. 1066.

Cometes apparuit tota paschali hebdomada. Haruuich Rex Northanymbrorum cum mille pænè nauibus venit in Angliam regnaturus, & in vrbe Eburaci plusquam mille laicos, centum presbyteros de Anglis occidit. Cui Araldus Rex Anglorum cum septem legionibus superueniens, eum cum multis occidit. Interim Guillelmus Comes Northmannorum cum Francis Angliam intrat, & conserto cum Anglis prælio, Araldum cum

ANNO CHR. R. F. A.

multis millibus perimit, & regnat in Anglia annis XXX. *Obijt sanctus Tietbaldus, in Vincentia Venetiæ vrbe reclusus.*

XI. VII. I.

1067. Cuono, qui & Conradus, Primicerius Coloniensis, ab Imp. Heinrico ad suscipiendum Archiepiscopum Treuirorum missus, capitur à Comite Treuirorum Deoderico, & à satellitibus eius in silua ductus, de rupe tertiò præcipitatur, & adhuc illæsus gladio transverberatur. Corpus eius folijs siluæ obtegitur, quod à rustico inuentum ad villam defertur & sepelitur. Inde à Deoderico Virdunensium Episcopo transportatum ad Tolegium monasterium, multis statim miraculis à Deo glorificatur. Romæ duobus de Papatu contendentibus, * Mantuæ synodus colligitur, & mediante Annone Coloniensi Archiepiscopo, Alexander se iureiurando de simonia expurgans, in Sede Apostolica subrogatur: Cadelo verò, vt simoniacus repudiatur. * *Obijt Balduinus potentissimus Flandriæ Marchisus, Insulæ sepultus. Eleuatio sancti Macarij, Antiocheni Archiepiscopi, apud Gandauum.*

* Ponit Baron. an. 1064.

* Ex ms. Lips.

XII. VIII. II.

1068. Deodericus Comes Treuirorum, de martyrizato Conone apud Deum & homines reus, exsiliatur ab Imperatore, & susceptâ peregrinatione Hierosolymam eundi, quid de eo & de omnibus, qui in comitatu eius pergebat, actum sit, adhuc nescitur. Hinc Francis, hinc Scottis Angliam infestantibus, Angli fame consumuntur, multi eorum etiam humanis carnibus vescuntur.

XIII. VIIII. III.

1069. Fluminibus glaciali rigore constrictis, Imp. Heinricus terram * Lutitianorum ingressus, eos nimia cæde prosternit, & terrā nimiùm depopulatur.

* Luttiorum.

XIV. X. IIII.

DLXX.

1070. Gerardus Dux Mosellanorum moritur. Moritur etiam Dux Godefridus. Gerardo filius eius Deodericus, Godefrido succedit filius eius Godefridus * Gimbosus, etsi corpore exiguus, tamen animo eximius. Vngari contra Salomonem Regem suum rebellionem meditantur, sed terrore Heinrici Imp. cuius soror nupserat Salomoni, refrenantur. * *Obijt Balduinus Flandriæ Marchisus, qui Hasnunij sepultus est.*

* Gibbosus.

* Ex ms. Lipsi.

XV. XI. V.

1071. Treuiris in ecclesia sancti Paullini confessoris, in crypta subterranea inuenitur corpus S. Paullini, quod olim à Phrygia, vbi exsulauerat, reportatum, ibi à Felice Episcopo catenis ferreis fuerat suspensum, & iuxta eum multa corpora * Sanctorum; ad dexteram scilicet eius, Palmatius Consul, & patritius Treuirorum; ad sinistram Tyrsus, vnus de principibus Thebææ legio-

* Schaf. in chron. an. 1072. & Baron. in Notis ad Marty rol. 31. Aug.

R. F. A. ANNO CHR.

legionis, cum multis Thebæorum in hac vrbe à Rictiouaro martyrizatus; ad caput VII. Senatores vrbis, Maxentius, Constantius, Crescentius, Iustinus, & tres fratres Leander, Alexander, Soter; ad pedes Ormisda, Papirius, Constans, Iouianus. Et cùm multi alij ibi iacerent, horum tantummodò nomina & tempus & dies passionis aureæ litteræ in pariete scriptæ signabant; eosque omnes sub Rictiouaro passos fuisse docebant. Godefridus Dux vlteriores Fresones bello aggressus, eos penè ad internecionem delet.

itemq́ 5. & 6. Oct.

XVI. XII. VI. 1072.

Balduino Iuniore Flandrensium Comite defuncto, * Rotbertus frater eius, consensu Flandrensium, contra Arnulfum fratruelem suum, Flandriam occupat. Arnulfus cum Philippo Francorum Rege occurrit patruo suo Rotberto, & pugnâ consertâ Arnulfus perimitur, Philippus Rex fugâ liberatur, & multis occisis hinc Richildis Arnulfi mater, illinc Rotbertus capitur, & altero pro altero relaxato, bellum inter eos vario euentu protrahitur. *Obijt Mysas Abbas Gemblacensis, succedit Tietmarus.*

** De eius rebus gestis fuse Schaf. in chron. an. 1071.*

XVII. XIII. VII. 1073.

In hoc anno duobus magnis annis à XV. anno Tiberij Cæsaris reuolutis, omnia, secundùm cursum Solis & Lunæ, concordant illi anno, quo baptizatus est IESVS Christus; id est VIII. Idus Ianuarij, die Dominico Epiphaniæ, initium ieiunij eius in secunda feria, tentatio eius * XV. Kal. Martij, in VI. feria. Hildibrandus Archidiaconus Romanorum, qui & [a] Gregorius, Romanæ Ecclesiæ CLIII. præsidet. Hermannus [b] Leodicensis fit Mettensium Episcopus. Duobus fratribus, Russorum Regibus, de regno contendentibus, [c] alter eorum à consortio regni pulsus, interpellat Heinricum Imperatorem, se & regnum Russorum ei submittens, si eius auxilio regno restitueretur. Sed id frustra fuit; quia grauissima in Imperio Romano orta dissensio monebat magis sua tueri, quàm aliena adquirere. Saxones enim multis & magnis iniurijs & iniustitijs ab Imperatore affecti, contra eum rebellant, ad quos debellandos Imperator instanter intendit.

** Ita mss. Atqui Euangeliũ dicit*, Cùm ieiunasset 40. diebus, &c.
a Est Gregorius VII
b Supple. Præpositus
c Demetrius Rutenorum Rex à Schafn. an. 1075. nominatur.

XVIII. XIV. VIII. 1074.

Gregorius Papa, celebratâ synodo, simoniacos anathematizauit, & vxoratos sacerdotes à diuino officio remouit, & laicis Missam eorum audire interdixit, nouo exemplo, & vt multis visum est, inconsiderato præiudicio, contra sanctorum Patrum sententiam: qui scripserunt, quòd Sacramenta quæ in Ecclesia fiũt, baptismus scilicet & chrisma, Corpus & Sanguis Christi, Spiritu sancto latenter operante eorumdem Sacramentorum effectum, seu per bonos, seu per malos intra Dei Ecclesiam dispensentur, tamen quia Spiritus sanctus mysticè illa viuificat, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur, nec malorum peccatis attenuantur. Vnde est, Hic est qui bapti-

Calumnia Sigeberti, nimis addicti Henrico IV. Baronius refellit an. 1074. § 36. & seqq. Por. origenem rebellionis Henrico

ANNO CHR. R. F. A.

contra Sedem Apostolicam videre est eod. an. §. 5.

baptizat. Ex qua re tam graue oritur scandalum, vt nullius hæresis tempore sancta Ecclesia grauiori schismate discisa sit, his pro iustitia, illis contra iustitiam agentibus; alijs à simonia non declinantibus, alijs notam auaritiæ honesto nomine prætexentibus, dum hoc quod se gratis dare iactant, sub caritatis nomine vendunt, & vt de Montanis dicit Eusebius, sub nomine oblationum artificiosiùs munera accipiunt. Porrò continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modò caussâ quæstus ac iactantiæ simulantibus, multis incontinentiam periurio aut multipliciori adulterio cumulantibus, ad hoc, hac oportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines, & se ab omni ecclesiastica subiectione excutientibus, laici sacra mysteria temerant, & de his disputant, infantes baptizant, sordido humore aurium pro sacro oleo & chrismate vtentes, in extremo vitæ viaticum Dominicum, & vsitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ, à presbyteris coniugatis accipere parui pendunt, decimas presbyteris deputatas igni cremãt; & vt in vno cetera perpendas, laici corpus Domini à presbyteris coniugatis consecratum sæpè pedibus conculcauerunt, & sanguinem Domini voluntariè effuderunt, & multa alia contra ius & fas gesta sunt in Ecclesia, & hac occasione multi pseudomagistri exsurgentes in Ecclesia, profanis nouitatibus plebem ab ecclesiastica disciplina auertunt.

XIX. XV. IX.

1075. Heinricus Imp. Saxones grauissimo prælio vincit, eosque iterata expeditione perurgens, cunctos eorum Principes, Episcopos, Duces, Comites ceterosque potentes ad deditionem coëgit. * Vngari contra Imperatorẽ rebellant, Regemque suum Salomonem regno deturbatum, sub diutina custodia excruciant. Deoduinus Episcopus Leodicensium obit, cui Heinricus vita & genere nobilis succedit. Anno Archiepiscopus Coloniensis obit, qui parochiam suam rebus & * monasterijs à se fundatis ampliauit, inter quæ præeminet cœnobium Sigebergense.

** Schaf. an. 1074.*

** De ijs Lamb. Schaf. hoc anno.*

XX. XVI. X.

1076. * Gregorius Papa totus in Heinricũ Imperatorem inuehitur, & quoscumque potest ab eo verbis & scriptis auertit, animum etiam Agnetis matris ipsius ab eo alienat. * *Sicarius in Fresonia Godefridum Ducem perimit.* Hoc anno, qui est XIII. annus primi decemnouennalis cycli in repetito magno anno Dionysij, duobus magnis annis à passione Domini reuolutis, omnia quæ ad cursum solis & lunæ spectant, anno Dominicæ passionis concordant. Vnde apparet, quòd Dionysius non rectè annos Domini cyclo suo annexuit. Quia enim ab anno Domini DXXXII. cyclum suum orditus est, nimirum intendit Christum fuisse natum anno secundo prioris magni anni, ac per hoc hic annus anno Dominicæ passionis concordans, debuisset esse magni cycli annus, non XIII. sed XXXIII. quia is fuit annus passionis Domini, &

** Vide omninò Baron. an. 1075. § 19. & seqq. Item 1076. § 1. & multis seqq.*

per

R. F. A. ANNO CHR.

per hanc consequentiam solaris & lunaris cursus concordantem Euangelicæ veritati, Dionysius posuit natiuitatẽ Christi, viginti vno annis tardiùs quàm debuit. Gelu magnum à Kalendis Nouembris vsque ad æquinoctium vernale. * *Lietbertus Episcopus Cameracensis obit, cui Gerardus succedit. Balduinus puer, frater Arnulfi occisi ad Donengium, bellauit contra exercitum patrui sui Roberti, quem pugnando deuicit.* * *Godefridus Gibbosus Dux Lotharingiæ, Antuerpiæ à sicario per insidias grauiter læsus, moritur. Heinricus Imp. Conrado filio suo Ducatum Lotharingiæ, Marcham verò Andouerpensem Godefrido, Eustathij Comitis Bononiæ filio, Godefridi Gibbosi ex Ida sorore nepoti, acri adolescenti, tradidit. Vuilhelmus Vultraiectensis Episcopus moritur. Succedit Conradus, Moguntini Archiepiscopi Camerarius.*

** Ex ms. Orteliano.*
** Gozlonẽ nuncupat Lãb. Schafnaburgensis, qui & fusiùs illa narrat.*

XXI. XVII. XI. 1077.

Heinricus Imp. coacto Vuormaciæ concilio XXIV. Episcoporum, & multorum primatum regni, decerni iubet omnia decreta & facta Hildibrandi Papæ irrita esse debere, ibique omnes, præter paucos, Hildibrandum abiurant, eumque papatu abdicandum esse iudicant. * Hildibrandus è contra Imp. Heinricum Romæ excommunicat, sub hoc obtentu, vt primates regni quasi iusta ex caussa excommunicato Regi contradicant. Dominica Palmarum circa horam sextam sereno cælo stella apparuit. Principibus Saxonum, qui in deditione Imperatoris erant, relaxatis, per eos quibus commissi erant, Saxones rebellant, instinctu Hildibrandi Papæ. Ipse Papa[a] occurrens Imperatori in Langobardia, sub falsa eum pace[b] absoluit. Omnes enim qui priùs Hildibrandum obiurauerant, periurio periurium cumulantes, Imperatorẽ[c] abiurant, &[d] Rodulfum Ducem Burgundionum super se Regem statuunt: coronâ ei à Papa missâ, cui erat inscriptum;

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulfo.

Hunc Sigifridus Archiepiscopus Moguntiæ in Regẽ benedixit, & factâ à Moguntinis seditione cõtra eos, Rodulfus cũ Archiepiscopo noctu aufugit. [e] Hildibrãdus Papa omnes aduersantes Imperatori absoluit ab infidelitate & periurio. Imp. Alpiũ aditibus contra se vbique munitis, omnes eorũ insidias frustratus, statim per Aquileiam venit Radisponam, & Rodulfum adortus, eum fugere compulit, & iteratâ expeditione Sueuiam depopulatur. *Sueno Rex Daniæ moritur: succedit filius eius Haraldus. In Geisæ Vngarorum Regis defuncti locum sufficitur Ladislaus. Romæ moritur Agnes Imperatrix, mater Heinrici Regis. Lamberti Schafnaburgensis, monachi Hersveldensis, chronicon desinit.*

Vide Barõ. an. 1076. § 12.
** Vide eõdem § 16. & multis seqq.*
a *Multò meliùs & distinctiùs Baron. an. 1077. § 4. & multis seqq.*
b *Eod. § 10. 11. 12. 13.*
c *Eod. § 5. & 6.*
d *Vide an. eod. § 32. 44. & seq. Et an. 1080 § 16. & infrà Notas nostras ad an. 1077.*
e *Barõ. an. 1076. § 25. 26.*

XXII. XVIII. XII. 1078.

Heinricus Imp. Sueuiam peruagatus, castella frangit, & omnia depopulando inimicis suis formidinem, amicis addit fortitudinem, & multos, qui ex desperatione rerum à se defecerant, ad se retrahit. Herimannus Episcopus

Conf. Baron. an. 1078. § 19.

ANNO CHR. R. F. A.

Conf. eundem an. 1081. § 3. 4. & 5. pus Hildibrando Papæ ad animam confœderatus, ac per hoc Imperatore rebellis, Mettensi vrbe pellitur.

1079. XXIII. XIX. XIII.

Hoc tempore in Oriente Turci super Arabes & Saracenos inualuerant, & Armeniam & Syriam incursantes, multas vrbes & ipsam Antiochiam capiunt. *Heinricus Imp. in pentecoste, conuentu habito Moguntiæ decernit Hildibrandum à papatu esse deponendum, & Langobardiam petens, Guicbertum Rauennæ Archiepiscopum pro Hildibrando Papam designat.

**Conf. Baron an. 1080. § 17. & seq.*

MLXXX 1080. XXIV. XX. XIV.

Vide melius apud Baron. an. 1080 § 11. & seqq. Item § 50. Hildibrandus Papa quasi diuinitus reuelatum sibi prædixit, hoc anno falsum Regem esse moriturum. Et verum quidem prædixit, sed fefellit eum de falso Rege coniectura, secundùm suum velle super Heinrico Rege interpretata. Rex enim Heinricus Saxonibus graui prælio congreditur, & in congressu * falsus Rex Rodulfus cum multis Saxoniæ principibus exstinguitur. Moguntia magnum terræ motum persensit, Kalendis Decembris.

** Consule Baronium*

1081. XXV. XXI. XV.

Moguntia ex maxima parte incendio conflagrauit. Magnus terræ motus, cum graui terræ mugitu factus est VI. Kal. Aprilis, prima hora noctis, portendens fortè imminens malum, quod in toto orbe insonuit, & vnde terra doluit & dolet. Heinricus enim Imp. ad debellandum Papam Hildibrandum Italiam petit, contra quem Papa vrbibus & castellis munitis, se ad rebellandum accingit, eumque Romam hostiliter adeuntem non recipit.

Vide Barō.

1082. XXVI. XXII. XVI.

Baron. an. 1081. § 6. & multis seqq. Item 1082. Heinricus Imp. expugnatis vrbibus & castellis, quæ contra se pro Hildibrando erant, Romam Leonianam obsidet. In Gallia Herimannus miles Herimanni Episcopi, coronâ sibi impositâ, post Rodulfum in Saxonia tyrannidem exercet. Marianus Scottus chronicā suam, à Christi natiuitate incohatam, vsque ad hunc annum perduxit, qui erat ætatis suæ annus LVI. multùm laborans corrigere errorem de annis Domini, qui inuenitur in cyclo Dionysij: quod facilè est videre, hinc positis ab eo annis Domini secundùm cyclum Dionysij, altrinsecus autem secundùm veritatem Euangelij.

XXVII. XXIII. XVII.

1083. *Baron. an. 1083. a Vide melius apud Baron. an. 1084. § 6. & seqq.* Heinricus Imp. Româ Leonianâ captâ, Romam obsidet. Condictâ inter Imp. & Papam die, ad caussam inter eos discernendam, cùm pax, dissimulante Papa inter eos non conueniret, Romani & multi Italiæ Episcopi à Papa desciscunt, qui [a] fugiens, ad Northmannos se contulit. *b Affligemense cœnobium tale, auxiliante Deo, sumsit exordium. Prædicante Vuetberico seruo Dei, qui*

quasi

R. F. A. ANNO CHR.

*quasi stella matutina in medio nebulæ, effugandis obscuritatibus erroris apparuit, conuersi quinque*ᶜ *milites suis integrè renuntiant. Inter quos Gerardus Niger, qui ceteris excellentior videbatur, doctoris sui consilio animatus, cum socijs locum Afflighem dictum, sicut nomine, sic omni barbarie incultum (quippe qui latrocinantium tantùm conuenticulis aptus erat) ædificare, & claustrum in eo exstruere aggreditur.*

b *Ex ms. Lipf.*
c *Isto æuo* milites *dicebantur, qui nobis hodie* Equites.

XXVIII. XXIV. XVIII. 1084.

Romani Imperatorem Heinricum vrbe recipiunt, & eorum iudicio Hildibrandus Papa abdicatur; & Guicbertus Rauennarum Archiepiscopus in * Sedem Apostolicam inthronizatus, Clemens nominatur; his qui pro Imp. erant, contendentibus, iustè Hildibrandum esse depositum, tamquam maiestatis reum, qui contra Imp. alium Regem ordinauerit, & rebellandi audaciam adsumserit; his autem qui contrà sentiebant, reclamantibus, vniuersalem Papam non vniuersali concilio, paucorum iudicio, laicali censura, imperiali potétiâ, non posse à pontificatu amoueri; & quod grauiùs est, in loco viuentis Episcopi aliquem suffectum contra canonicam auctoritatem agere, & cetera id genus. * Heinricus Rex Patricius Romanorum constituitur, & à Clemente in Imperatorem benedicitur. * *Comes Montensis Balduinus vxorem duxit Idam. Bruno in vasta eremo, quæ Carthusia vocatur, apud Gratianopolim, monasterium & cellas ædificare incipit.*

Legatur Baron. an. 1084.
* *Idem an. 1083.*
Baron. an. 1084. §2.
* *Ex ms. Lipf.*

XXIX. XXV. XIX. 1085.

Heinricus Imp. Moguntiæ regali & synodali conuentu coacto, exigit ab omnibus vt Hildibrandi depositionem, & Guicberti ordinationem subscripto approbent. Cui aliqui manu & ore fauentes, corde tamen Hildibrando adhærebant. Herimannus Mettensis, sibi absenti abiudicato episcopatu, iterum vrbe pellitur. Imperator in episcopatu Mettensi vnum & alterum mercenarium supposuit, sed oues Christi non audierunt vocem alienorum. Imp. Saxones aggreditur, illi pacem petunt & impetrant, pacti vt omnibus pro hac rebellione proscriptis sua restituantur: quod quia factum non est, iterum rebellant, incentore præ cunctis Egberto Comite, Imperatoris consanguineo. ᵃ Gualtherus, ex clero sancti Lantberti, in Anglia Episcopus, Anglorũ odijs imperitus innocẽs, & in celebrando Missam ab eis, quasi alter Stephanus Papa martyrizatur. Hildibrandus Papa, apud Salernũ ᵇ exsulans, moritur. De hoc ita scriptum repperi:ᶜ Volumus vos scire, qui ecclesiasticæ curæ sollicitі estis, quòd Domnus Apostolicus Hildibrandus nunc in extremis suis ad se vocauit vnum de XII. Cardinalibus, quem multùm diligebat præ ceteris, & confessus est Deo, & sancto Petro & toti Ecclesiæ, se valdè peccasse in pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat, & suadente diabolo contra humanum genus odium & iram concitasse, postea verò sententiam quæ in orbe terrarum prolata est, pro augmento Christianitatis cepisse dicebat. Tunc demum misit prædictum confessorem suum ad Impera-

Baron. an. 1085. § 8.
a Gualtherus.
Conf. Baron. an. 1084. §. 10. 12. & 1085. §. 11.
c *Refellit has nugas Baronius an. 1084. § 12. 1085. § 14 1087. § 18. 1098. § 13. & alibi.*

 torem

puus, sanctitate & religione clarus habetur. Obijt Alardus primus Abbas Aquicinensis ecclesiæ. Cui successit Alelmus ex Normannia de cœnobio Becci.

XXXII. XXVIII. XXII. 1808.

In Hispania Rex Gallicię Amful Saracenos fortiter debellat, & Toletum, maximam eorum vrbem per aliquot annos obsessam, tandem expugnat, & cultum Christianitatis in ea dilatat. Odo ex monacho Cluniacensi Episcopus Ostiensis, contra Imperatorem & Guicbertū fit Papa, & * Vrbanus nominatur. Hinc in Ecclesia scandala, & in regno augescunt dissidia, dum alter ab altero dissidet, dum regnum & sacerdotium dissentit, dum alter alterum excommunicat, alter alterius excommunicationem, aut ex caussæ aut ex personæ præiudicio despicit; & dum alter in alterum excommunicandi auctoritate magis ex suo libitu, quàm ex iustitiæ respectu abutitur, auctoritas illius, qui dedit potestatem ligandi ac soluendi, omnino despicitur. Nimirum, vt pace omnium bonorum dixerim, hæc sola nouitas, ne dicam hæresis, necdum in mundo emerserat, vt sacerdotes illius, qui dicit Regi Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quòd malis Regibus * nullam debeant subiectionem, & licèt ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen fidelitatem debeant, nec periuri dicantur, qui contra Regem senserint, imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit, à noxa iniustitiæ & periurij absoluatur. *Hoc anno domnus Fulgentius primus Affligemensis cœnobij Abbas consecratus est, in festiuitate sancti Gregorij. Monasterium sancti Ioannis in Florinis concrematur anno LXXII. suæ consecrationis. Obijt Alelmus II. Abbas Aquicinensis cœnobij. Cui successit Haimericus Atrebatensis monachus, litteris eruditus.*

**Barō eodem isto an. § 3. & 4. Est Vrbanus II. Hæc Sigeberti querimonia grauans legitimos Pontifices, fauore schismaticorū, quàm iniqua sit, patet ex tota historia Gregorij VII. Victoris III. & huius Vrbani II apud Baronium.*

** Non hoc docuerunt isti; sed quòd Apostolica auctoritate possint Reges ob crimina gradu suo deijci, & ita qui subiran[illegible], ab eorum obedientia vinculo liberari. Vide epist. Gregorij VII. ad Metensem Episcopum, apud Baron. an. 1081. § 3. 4. 5.*

XXXI. XXVIIII. XXIII. 1809.

Coloniæ post Siguinum Herimannus ordinatur Archiepiscopus. Godefrido, Godefridi Gibbosi ex sorore nepoti, tandem datur Ducatus Lotharingiæ. Annus pestilens maximè in occidentali parte Lotharingiæ: vbi multi, sacro igni interiora consumente, computrescentes, exesis membris instar carbonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriuntur, aut manibus & pedibus putrefactis truncati, miserabiliori vitæ reseruantur, multi verò neruorum contractione distorti tormentantur.

XXXIII. XXX. XXIV. M.XC.

Heinricus Imp. ad debellandos aduersantes sibi, Italiam repetit. Herimannus tyrannus à Saxonia Lotharingiam repetens, ad concitandos regni motus laborat: qui dum muro castelli cuiusdam incautè approximat, iacto de turri saxo in capite percutitur & moritur. Mettis corpus sancti Clemen- 1090.

ANNO CHR. R. F. A.

tis, primi Episcopi ab Apostolis illic ordinati, inuentum leuatur. Herimannus Episcopus, permissu Imp. à Mettensibus vrbe receptus, dum post prandium liberaliter celebratum in lecto se reclinasset, mortuus inuenitur. In Saxonia Egbertus Comes, dum fideles Imp. bello insequitur, & ipse perimitur. Sterilitas frugum terræ augescit, & fames paullatim irrepit. * *Ex tempestate venit Aquicinctum quidam nomine Gelduinus, qui ex monacho Laudunensi Abbas sancti Michaelis de Terrascia, relictâ Abbatiâ, ob amorem Domini, reclusus efficitur Aquicincti. Sanctus Bernardus, postea primus Abbas Clareuallensis, nascitur in Burgundia.*

* *Ex ms. Aquicinctino.*

1091. XXXV. XXXI. XXV.

Heinricus Imp. in Italia castella & munitiones aduersantium sibi expugnat, Mantuam quoque obsidet & capit. Bonæ memoriæ Heinricus Leodicensium Episcopus, amator pacis & religionis obit, eique Otbertus ex clero eiusdem ecclesiæ succedit.

1092. XXXVI. XXXII. XXVI.

Guillelmus Rex Anglorum, vir singularis censuræ & seueritatis, obit. Guillelmus filius eius succedit. Incentoribus Saxonici belli omnibus pænè peremtis, Saxones pertæsi malorum, compositâ inter se pace quiescunt ab omni motu bellorum. Vuestfali * Fresoniam aggressi, omnes pænè à Fresonibus perimuntur. *Obijt Tietmarus Abbas Gemmelacensis, succedit Lietardus.* * *Gerardus Episcopus Cameracensis obit. Gualtherus ei succedit.*

* Saxoniam.

* *Ex ms. Aquic.*

1093. XXXVII. XXXIII. I.

Conradus filius Imp. Heinrici in Italia se ad patris sui aduersarios contulit, & multis se à patre ad filium vertentibus, hæc res priores patris victorias multùm offuscat, & vires eius attenuat. Iaculum ignitum à meridie ad Aquilonem per cælum ferri visum est Kalendis Augusti, prima hora noctis. * *Ecclesia S. Georgij Hesdiniensis traditur ecclesiæ Aquicinctensi.* * *Eodem anno III. Idus Octobris obit Rotbertus, primus huius nominis Flandriæ Marchisus: succedit filius eius Rotbertus. Lanfrancus Cantuariensis ecclesiæ Archiepiscopus diem vltimum claudit. Cui succedit Anselmus, vita & doctrina præcipuus, flos Præsulum, lux patriæ, per omnia imitator magistri, qui & diuersa opuscula conscripsit.*

* *Ex ms. Aquic.*

* *Ex ms. Lips.*

1094. XXXVIII. XXXIV. II.

In Gallia & Germania grauis hominum mortalitas facta est. In Italia illi, qui se ad Imperatorem ab hostibus eius transtulerant, eo ad Galliam reuerso, omnes pænè ad hostes eius rursum transeunt, & munitiones ab eo expugnatas contra eum muniunt.

Fames

R. F. A. ANNO CHR.

XXXIX. XXXV. III. 1095.

Fames diu concepta validissimè ingrauatur, & fit annus calamitosus, multis fame laborantibus & pauperibus per furta & incendia ditiores grauiter vexantibus. Cum valido ventorum turbine etiam terræ motus factus est, media nocte IV. Idus Septembris. Rex Anglorum à fratribus suis bello sollicitatur in Normannia & Anglia. In multa terrarum parte pridie Nonas Aprilis circa diluculum stellæ perplures simul de cælo in terram cecidisse visæ sunt: inter quas vnam maximam labi in terra cùm quidam in Francia stuperet, & notato loco vbi labi visa est, cùm aquam ibi fudisset, fumum cum feruoris sono inde exire magis stupuit. Heinricus Comes Louaniensis perimitur. In Comitatu Namucensi panem subcinericium, quasi sanguine infectum, vidimus. * Rex Vngarorum moritur. Vrbanus per Burgundiam & Franciam habitis concilijs, Hildibrandi decreta renouat & confirmat, Philippum Regem Francorum, qui viuente vxore suâ, superduxerat alterius viuentis vxorem excommunicat. * *Expulso ab episcopatu Cameracensi Gualthero, Manasses ei succedit. Obijt Rainoldus Remensis Archiepiscopus.*

* Salomô

* *Ex ms. Aquic.*

XL. XXXVI. IV. 1096.

Eclipsis lunæ facta est III. Idus Februarij. Rursus VII. Idus Augusti eclipsis lunæ facta est. Occidentales populi dolentes loca sancta Hierosolymis à gentilibus profanari, & Turcos etiam terminos Christianorum iam multa ex parte inuasisse, innumerabiles vna adspiratione moti, & multis signis sibi ostensis, alij ab alijs animati, Duces, Comites, potentes, nobiles ac ignobiles, diuites & pauperes, liberi & serui, Episcopi, clerici, monachi, senes & iuuenes, etiam pueri & puellæ, omnes vno animo, nullum vllo angariante, vndique concurrunt, ab Hispania, à Prouincia, ab Aquitania, à Britannia, à Scottia, ab Anglia, à Normannia, à Francia, à Lotharingia, à Burgundia, à Germania, à Langobardia, ab Apulia, & ab alijs regnis; & virtute & signo sanctæ crucis signati & armati, vltum ire parant iniurias Dei in hostes Christiani nominis. Et quantò quisque hactenus ad exercendam mundi militiam erat pronior, tantò nunc ad exercendam vltrò Dei militiam fit promtior, firmissimâ pace interim vbique compositâ. Et * primò Iudæos in vrbibus, in quibus erant, aggressi, eos ad credendum Christo compellunt, credere nolentes bonis priuant, trucidant, aut vrbibus eliminant. Aliqui pòst ad Iudaismum reuoluuntur. Eminebant in hoc Dei hostico Dux Lotharingiæ Godefridus, & fratres eius Eustathius & Balduinus, Balduinus Comes Montensis, Rotbertus Comes Flandrensis, Stephanus Comes Blesensis, Hugo frater Regis Francorum, Rotbertus Comes Normanniæ, Raimundus Comes de sancti Ægidij, Boiamundus Dux Apuliæ, a *& Ansellus de Ribodimonte, fundator Aquicinensis ecclesiæ.* b *Ida Boloniensium Comitissa tradidit Affligemensibus ecclesiam, quæ est in villa Genapia, cum decimis & vni-*

Mirum est Sigeberti nihil dicere de Vrbano II. in concilio Claromontano hanc expeditionem proponente & vrgente. * *Vide Guiliel. Tyrii, & Baron. an. 1095. § 31. & seqq. Baro. an. 1095. § 40. & seq. & an. 1096. § 11.* *Vide Baro. an. 1097. § 144. 145.*

a *Ex ms. Aquic.*

b *Ex ms. Lips.*

ANNO CHR. R. F. A.

& vniuersis eius reditibus, consentientibus filijs eius, Godefrido Duce, Eustathio & Balduino. Idem Godefridus Dux filius eius, in eadem villa quinque mansos terræ Affligemensibus donauit, ad quos ipsa postea quasdam partes circumiacentes planè vnum continentes, in augmentum concessit.

1097. XLI. XXXVII. V.

Cometes in Occidente apparuit, tota prima hebdomada Octobris. Nimia aquarum inundatione autumnalis satio impeditur, & sterilitas frugum terræ sequitur. Exercitus Dei aggressus terminos paganorū, viriliter agit, primumq́ue eis fuit bellum ad pontem Pharphar fluminis, VIIII. Kal. Martij, vbi multi Turcorum occisi sunt. Secundum eis fuit bellum apud Niceam, III. Nonas Martij, in quo etiam pagani victi sunt. Captâ ergo Niceâ, captâ etiam Laodiceâ, cùm essent plusquam trecenta millia armatorum in exercitu Christianorum, tanta eis omnium rerum suppetebat copia, vt aries vno nummo, bos vix XII. nummis venderetur.

1098. XLII. XXXVIII. VI.

Obsessâ Antiochiâ, in tantum attenuati sunt Christiani, propter omnium rerum penuriam, vt in toto exercitu vix centum boni equi inuenirentur; & tamen quamuis ex desperatione rerum multi se subtraxerint, multi etiam repatriauerint, nono obsidionis mense captâ Antiochiâ, Christiani à paganis versâ vice obsessi, tanta fame afflicti sunt, vt vix aliqui ab humanis carnibus se abstinerent. Sed confortati à Domino per inuentam ipsius lanceam, à tempore Apostolorum non visam, ipsâ lanceâ eos præcedente, obsessi obsessoribus concurrerunt IV. Kal. Iulij, & hoc tertio bello victoriam adepti sunt. Quartum bellum fuit eis in Romania Kalendis Iulij, & ibi Turci victi sunt. Commissâ Antiochiâ Duci Boiamundo, Christiani propter vitandum tædium & famem, & maximè propter discordias Principum, proficiscuntur in Syriam, & expugnatis Marra & Barra vrbibus Saracenorum, & multis regionum castellis, tanta ibi rursum fame afflicti sunt, vt corpora Saracenorum iam fœtentia comedere compulsi sint. Conradus Vultraiectensis Episcopus, feria IV. paschæ post Missam à se celebratam, à quodam suorum in domo sua perimitur. Multis in locis V. Kal. Octobris, cælum quasi ardere visum est nocturno tempore, & secuta est grauis animalium pestilentia, & segetes nimio imbre, & ærugine corruptæ sunt. *Robertus Molismensis Abbas Cisterciense monasterium construere cæpit.*

1099. XLIII. XXXIX. VII.

Coloniæ post Herimannum Fridericus ordinatur Archiepiscopus. Exercitus Dei diuino monitu in interiora Syriæ profectus, larga Dei manu refocillatus est: quia ciues & castellani illius regionis legatos cum multis donarijs præmittebant, parati etiam opida vel vrbes eis tradere. A quibus Christiani

ſtiani ſecuritate acceptâ, & indicto vrbibus tributo, interim etiam multis eorum, qui ſe ſubtraxerant, ad eos apud Tyrum recurrentibus, tandem perueniunt Hieruſalem; eâque obſeſſâ cum laborarent præ victus, & maximè præ aquæ inopia, omnes ex communi decreto nudis pedibus cottidie orando, circuibant vrbem. Octauo ergò talis humiliationis die, obſidionis autem die XXXVIIII. capta eſt Hieruſalem, Id. Iulij, in VI. feria: & in templo Salomonis, & in porticu eius Chriſtiani cum paganis, V. bello conſerto, tanta in eis cæde debacchati ſunt, vt in ſanguine occiſorum equitarent, vſque ad genua equorum. Cùm ordinatum eſſet, qui Hieruſalem deberent retinere, Principibus iam de repatriando agentibus, ecce Rex Saracenorum ad debellandos eos venit Aſcalonam, cum centum millibus equitum, & quadringentis millibus peditum. Quibus cùm occurriſſet exercitus Domini, in quo non plus quàm V. millia equitum, & XV. millia peditum erant, Deo pro ſeruis ſuis ad ſe clamantibus pugnante, & nube eos ab æſtu ſolis defendente, Saraceni ſolo Chriſtianorum impetu territi, omnes proiectis armis fugerunt, & in hoc VI. bello, IV. Kal. Auguſti facto, cæſa ſunt centum millia paganorũ, in porta vero Aſcalonæ ſuffocati ſunt ad duo millia. At eorum qui in mari perierunt, & qui inter ſpineta ſiluarum conſumti ſunt, numerus neſcitur. Duce Godefrido electo ad principandum remanentibus in Hieruſalem, ceteri Principes repatriant. Capta eſt autem Hieruſalem poſt annos circiter quadringentos ſexaginta, ex quo ſub Heraclio Imp. ſecunda vice capta, poſſeſſa eſt à Saracenis. *Sanctus Guicbertus in cœnobio Gemmelacenſi à ſe fundato, ad ſepulcrum ſuum magnis clareſcit miraculis. Abhinc notandum eſt regnum Hieroſolymorum in quarta linea.* • *Cellam Fraxinam Domnus Fulgentius Abbas Affligemenſis ſuſcepit regendam.* • Ex ms. Lipſ.

XLIV. XL. VIII. I. MC. 1100.

Guicbertus & [a] Vrbanus, qui de papatu Romano contendebant, moriendo finem faciunt ſuæ contentionis. Raginerus qui & [b] Paſchalis, Romanæ Eccleſiæ præſidet. Guillelmus Rex Anglorum moritur, eique ſuccedit in regno frater eius Heinricus. Godefridus Dux Lotharienſium, & Princeps Hieroſolymitanorum moritur. Balduinus frater eius in Principatu ei ſuccedit. • *Rotbertus Comes Flandriæ deſideratus à multis, acquiſitâ ſibi multâ laude ſæcularis militiæ, redit de via Domini. Multi ſimiliter ante eum & poſt redierunt, plurimis cum Rege ſupradicto Hieroſolymæ, vel Antiochiæ, & in ceteris ciuitatibus Deo acquiſitis, remanentibus. Cellam ſancti Andreæ prope Brugas ſitam Domnus Abbas Fulgentius ſuſcepit regendam. Rotbertus Comes Flandrenſium ab Hieroſolymis repatrians, detulit ſecum brachium ſancti Georgij martyris, quod eccleſiæ Aquicinenſi tranſmiſit, per venerandum Haimericum Abbatem ipſius loci, illatum Aquicincti XII. Kal. Iulij.*

a At conſtat Vrbanum II. fuiſſe legitimum Pontif. quẽ obijſſe an. 1099. IV. Kal. Aug. docet Barõ.
b Eſt Paſchalis II.
• Ex ms. Lipſ.

ANNO CHR.	R.	F.	A.	H.
1101.	XLV.	XLI.	I.	I.

Conradus filius Heinrici Imp. adhuc patri rebellis in Italia moritur. Heinricus Imp. Heinricum Lemburgensem aduersantem sibi debellat, & expugnatis eius castellis, eum ad deditionem cogit. Sed Imperator ei multa summa gratiam suam redimenti, etiam Ducatum Lotharingiæ donat. * *Anselmus Laudunensis, doctor doctorum, præclarus habetur; qui non soli sibi laborauit, sed in vita sua multos erudiens, post mortem posteros beatos fecit, quos scriptis suis ditauit. Bruno, Carthusiani ordinis institutor, moritur in Calabria.*

* *Ex ms. Lips.*

1102.	XLVI.	XLII.	II.	II.

Rotberto, Flandrensium Comite, inquietante vrbem Cameracum, Heinricus Imp. contra eum proficiscitur, & aliquibus eius castellis expugnatis, asperitate instantis hiemis redire compellitur. * *Obijt Haimericus tertius Abbas Aquicinensis, cui successit Gelduinus.*

* *Ex ms. Aquic.*

1103.	XLVII.	XLIII.	III.	III.

Heinricus Imp. sedatis Saxonum motibus, pacem in quadrennium constituit. Legiæ generali conuentu habitu, Rotbertus Comes Flandrensis in gratiam Imp. recipitur.

1104.	XLVIII.	XLIV.	IV.	IV.

Hierosolymitæ Accaron vrbem capiunt; *sed quam acquisierunt per industriam, perdiderunt per negligentiam.*

1105.	XLVIIII.	XLV.	V.	V.

Hierosolymitæ innumerabilem paganorum multitudinem gloriosa victoria conterunt. Filius Imperatoris Heinrici à patre auersus, quosquos potest ab eo auertit, & sub obtentu meliorandæ Reipublicæ & restaurandæ Ecclesiæ, in eum insurgit.

Baronium & alios consule.

EXCERPTVM EPISTOLÆ DIRECTÆ HEINRICO IMP. à Guarnero Principe Anconitano.

Quidam Romanæ Ecclesiæ clerici, qui pro religiosis & sapientibus habebantur, qui etiam Hildibrando Papæ, Odardo & * Rainero familiariter adhæserant, relictâ illorum sectâ, quam erroneam esse tandem intellexerant, ad satisfactionem sanctæ Ecclesiæ venerunt. Huius rei maxima caussa fuit, quia Rainerum Papam pollutum esse simoniaca hæresi pro certo compertum habebant. Infamabatur enim publicè ipse Rainerus, quòd dum fuisset Abbas sancti Laurentij, prioratum eiusdem ecclesiæ vendiderit cuidam monacho

* Ragi-nero.

Quàm vera sint hæc, leges apud Plat. in Pascha.

R. F. A. H. ANNO CHR.

nacho XX. solidis, quod ipse diffiteri non potuit. Infamabatur etiam, quòd post Odardum ambiens papatum, promiserit pacto & sacramento Gregorio Comiti Tusculanensi, & filio eius Theodolo, & Petro de Columna, se daturum eis centum libras denariorum Papiensium, & vnciam confessionis, & tres Romanæ Ecclesiæ curias, scilicet Nimpham, Ziberā, Antheiam, si assentirentur eius electioni, & ita electus dederit in hac summa soluenda calicem aureum Ecclesiæ, & purpuream planetam. Reliquum verò summæ soluerit pro eo Petrus Leonis, & Albertus Stephani libram etiam auri dederit scriniario. Ob hoc Romani se subtrahentes ab eius communione, factis inter se concilijs cum Episcopis & Cardinalibus, monebant eum vt de tanta infamia se sponte purgaret. Quod dum Rainerus ferret indignè, & se magis ad furorem, quàm ad satisfactionem accenderet, & accusatoribus tormenta & mortem intentaret, Romani eum verè hæreticum & schismaticum protestantes, protulerunt in eum sententiam iustæ damnationis. Præminebat inter Romanos quidam Maginolfus Archipresbyter, qui quia erat laudabilis vitæ, & in vtraque scientia apprimè eruditus, longo tempore prælatus Romano clero, diligebatur à cuncto Romano populo, tamquam pater à filijs. Cùm etiam hic zelo Dei accensus, contestaretur publicè Raineru esse hæreticum, tunc verò omnes ferè Romani conclamabant, Raineru vt simoniacum esse deponendum, Maginolfum verò vt veritatis testem esse substituendum in Sede Apostolica. At Maginolfus & insidias hominum, & onus Apostolici honoris fugiens, in munitissimum locum se contulit. Berto verò caput & rector Romanæ militiæ, quasi caussâ audiendi verbi vitæ, ad eum accedens cum expeditione cleri & populi, eum inde extraxit, & ad Vuarnerum Principem Anconæ in Tiburtinam vrbem adduxit, & sic electus IIII. Non. Nouembris in Sedem Apostolicam promotus, & * Siluester Quartus appellatus est. Paschalis Papa interim transiens ad Gallias, exercet synodales caussas, & non apparente notâ simoniæ, à Romanis sibi iniustè iniectâ, honoratur Apostolica dignitate. At Maginolfus inuasionis reus, non multò pòst reprobatur à Romanis, & fama nominis eius euanuit.

li II. & apud Baronium Annalibus. alijs sic

Duos præter hunc fuisse Paschalis Antipapas cōnem... Platina; improbant omnes tamen. Consule & Baron.

** Consule eosdem.*

* *Manasses Cameracensis Episcopus, cùm accepisse monachicū habitū, Odo primus Abbas ex cœnobio sancti Martini Tornacensis ecclesiæ, in episcopatu ei succedit.* * *Immunitas Affligemensis ecclesiæ etiā Apostolica auctoritate à Paschali Papa corroboratur anno VI. Pontificatus eius. Domnus Fulgentius Abbas locum, qui Forest dicitur, suscipit.*

** Ex mss. Aquic. & Ortel.*
** Ex ms. Lips.*

L. XLVI. VI. VI. 1106.

IV. Non. Februarij stella per diem visa est in cælo, ab hora tertia vsque ad horam nonam, quasi cubito distans à sole. II. Idus Februarij, apud Barum Italiæ, stellæ visæ sunt in cælo per diem, nunc quasi inter se concurrentes, nunc quasi in terram cadentes. Toto pænè mense Februario cometes apparuit. * Heinricus filius Imp. contra ius naturæ, & fas legum, in patrem insurgens, quàm indigne eum tractauerit, declarat epistola, ex ore ipsius patris

** Vide Baron. & alios.*

Cautè hic legêdus est Sigebertus & cû Baronio aliisq; côferêdus. Obseruâdû est, illum Philippum fuisse, aduersus Sedê Apostolicâ obstinatû in adulterij crimine; ideoq; à Pontifice excommunicatum. Vide Barô. an. 1095. §9.12.16 20.21.24 Obserua & Henricum IV. Imp. cuius hæc est epistola ad Philippû Regem Francorû, itidem à Pôtificibus fuisse excômunicatû, vt suprà an. 1077. dictû est. Vide Baroniû to. 11. Annal. an. 1074. §5. & 10. 12.

scripta ad Philippũ Regem Francorũ. Princeps clarissime, & omniũ, in quibus post Deũ speramus, amicorum nostrorũ fidelissime, primum & præcipuũ inter omnes vos excepi, cui conqueri, & deplorare calamitates & omnes miserias meas necessariũ duxi, etiam genibus vestris aduolui, si liceret salua maiestate imperij. Primũ quidẽ est quod non solùm nobis, sed etiam totius Christianæ professionis omnibus grauissimũ & intolerabile arbitramur, quòd de illa Apostolica Sede, vnde vsque ad memoriã nostri temporis, salutifer fructus consolationis, dulcedinis & saluationis animarũ oriebatur, modò persecutionis, excommunicationis, & omne perditionis flagellũ in nos emittitur, nec ponũt vllum modum sententiæ, tantùm vt satisfiat voluntati indiscretæ. Huius voluntatis suæ intemperantia adeò vsque nunc abusi sunt in me, vt nec Deum, nec quid aut quantum mali inde proueniat, pensantes, per se & per suos omnimodis inuehuntur in me, cùm obedientiam & omnem debitam subiectionem sæpe obtulerim Apostolicæ Sedi, si tamen reuerentia & honor debitus, sicut antecessoribus meis, ab Apostolica Sede exhiberetur & mihi. Quid autem intendant, oportuniùs ipse significabo vobis, si quando optati colloquij copiam Deus dederit nobis. In hac igitur persecutionis & odij inflammatione cùm parum viderent se proficere, contra ipsum ius naturæ laborantes, quod sine maximo cordis dolore, sine multis lacrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremisco, filium meum, meum inquam Absalon dilectissimũ; non solùm contra me animauerunt, sed etiam tanto furore armauerunt, vt in primis contra fidem & sacramentum, quod vt miles domino iurauerat, regnum meum inuaderet, Episcopos & Abbates meos deponeret, inimicos & persecutores meos substitueret, ad vltimum, quod maximè vellem taceri, aut si taceri non potest, vellem non credi, omnem naturæ affectum abijciens, in salutem & animam intenderet, nec pensi quidquam haberet, quocumque modo, vel vi, vel fraude, ad hanc periculi & ignominiæ suæ summam adspiraret. In hac tanta mali sui machinatione, cùm essem in pace, & in aliqua salutis meæ securitate, in ipsis Dominici aduentus sanctissimis diebus, in locum qui Confluentia dicitur, ad colloquium euocauit me, quasi de communi salute & honore filius tractaturus cum patre. Quem vt vidi, illicò ex paterno adfectu, tactus intrinsecus dolore cordis mei, ad pedes suos procidi, admonens & obtestans per Deum, per fidem, per salutem animæ, vt si pro peccatis meis flagellandus eram à Deo, de me ipse nullam maculam conquireret animæ, honori & nomini suo; quia culpæ patris vindicem filium esse nulla diuinæ legis vmquam constituit sanctio. At ille iam pulchrè, imò miserrimè institutus ad malitiam, quasi abominabile & execrabile scelus cœpit detestari, procidens & ipse ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam precari, in reliquum vt miles domino, vt patri filius cum fide & veritate per omnia se mihi obauditurum cum lacrymis promittere, si solummodò Sedi Apostolicæ vellem reconciliari. Quod cùm promtissimè annuissem, & deliberationi suæ, & consilio Principum in hoc totum me mancipandum

pro-

promisissem; in præsenti Natiuitate se perducturum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea quàm fideliùs posset, se acturum, & inde in pacem & securitatem me reducendum promisit, in ea veritate & fide, qua patrem à filio honorari, & filium à patre præcipit Deus diligi. Hac promissione, quæ etiam gentili obseruanda est, securus illorsum ibam, & filius meus aliquantulum præcesserat me; cùm quidam fideles mei occurrentes verissimè affirmabant me deceptum & proditum, sub falsa pacis & fidei sponsione. Reuocatus autem filius meus, & iterum instantissimè à me admonitus, sub eiusdem fidei & sacramenti obtestatione, animam suam pro anima mea fore promisit, iam secunda vice. Cum ergò ad locum qui Binga dicitur peruenissemus, iam existente die Veneris ante Natiuitatem, numerus armatorum suorum iam satis augebatur, iam fraus ipsa detegi videbatur. Et filius ad me, Pater, inquit, nobis cedendum est in vicinum castellum; quia nec Episcopus Moguntinus in ciuitatem suam admittet vos, quamdiu in banno eritis, nec te impacatum & inreconciliatum audeo ingerere inimicis nostris. Illic Natiuitatem cum Dei honore & pace agetis, quoscumque placuerit vobis, vobiscum habeatis. Ego interim quantò instantiùs, quantò fideliùs potero, pro nobis vtrisque laborabo, quia caussam vestram esse meam æstimo. At ego, Mi, inquam, fili, testis & iudex sermonum & fidei adsit inter nos hodie Deus, qui quo modo te in virum perfectum & heredem meum perduxerim, quantis laboribus & tribulationibus meis honori tuo inseruierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim & habeã, solus est conscius. Ille autem iterum iam tertiò, sub eiusdem fidei & sacramenti obtestatione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro capite meo fore promisit mihi. Sic postquam clausit me in eodem castello, quia omnia in corde & corde erat locutus, manifestè ostendit rei euentus. Ex omnibus meis ego quartus sum inclusus; nec admitti potuit quilibet alius. Custodes deputati, qui vitæ meæ erant atrociores inimici. Benedictus per omnia Deus, exaltandi & humiliandi quemcumque voluerit Rex potentissimus. Cùm ergo ipso sanctissimo die Natiuitatis suæ, omnibus redemtis suis ille sanctus sanctorum puer fuisset natus, mihi soli filius ille non est datus. Nam vt taceam opprobria, iniurias, minas, gladios in ceruicem meam exertos, nisi omnia imperata facerem; famem etiam, & sitim quam ferebam, & ab illis quos iniuria erat videre & audire; vt etiam taceam, quod est grauius, me olim satis felicem fuisse, illud numquam obliuiscar, numquam desinam omnibus Christianis conqueri, quòd illis sanctissimis diebus, sine omni Christiana communione in illo carcere fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus, à filio meo missus venit ad me quidam Principum Vuicbertus, dicens nullum vitæ meæ esse consilium, nisi sine vlla contradictione, etiam regni insignia redderem, ex voluntate & imperio Principum. At ego, etsi omnis terra, quantum inhabitatur, regni mei esset terminus; volens vitam regno commutare, quia vellem nollem sic agendum, & sic definitum intelligebam; coronam, crucem, lan-

ANNO CHR. R. F. A. H.

Cautè hic legédus est Sigebertus & cũ Baronio aliisq́; cõferẽdus. Obseruãdũ est, illum Philippum fuisse, aduersus Sedẽ Apostolicã obstinatũ in adulterij crimine; ideoq́; à Pontifice excommunicatum. Vide Barõ. an. 1095. §9.12.16 20.21.24 Obseruã & Henricum IV. Imp. cuius hec est epistola ad Philippũ Regem Francorũ, itidem à Põtificibus fuisse excõmunicatũ, vt suprà an. 1077. dictũ est. Vide Baroniũ to. 11. Annal. an. 1074. § 5. & 10. 12.

scripta ad Philippũ Regem Francorũ. Princeps clarissime, & omniũ, in quibus post Deũ speramus, amicorum nostrorũ fidelissime, primum & præcipuũ inter omnes vos excepi, cui conqueri, & deplorare calamitates & omnes miserias meas necessariũ duxi, etiam genibus vestris aduolui, si liceret salua maiestate imperij. Primũ quidẽ est quod non solùm nobis, sed etiam totius Christianæ professionis omnibus grauissimũ & intolerabile arbitramur, quòd de illa Apostolica Sede, vnde vsque ad memoriã nostri temporis, salutifer fructus consolationis, dulcedinis & saluationis animarũ oriebatur, modò persecutionis, excommunicationis, & omne perditionis flagellũ in nos emittitur, nec ponũt vllum modum sententiæ, tantùm vt satisfiat voluntati indiscretæ. Huius voluntatis suæ intemperantia adeò vsque nunc abusi sunt in me, vt nec Deum, nec quid aut quantum mali inde proueniat, pensantes, per se & per suos omnimodis inuehuntur in me, cùm obedientiam & omnem debitam subiectionem sæpe obtulerim Apostolicæ Sedi, si tamen reuerentia & honor debitus, sicut antecessoribus meis, ab Apostolica Sede exhiberetur & mihi. Quid autem intendant, oportuniùs ipse significabo vobis, si quando optati colloquij copiam Deus dederit nobis. In hac igitur persecutionis & odij inflammatione cùm parum viderent se proficere, contra ipsum ius naturæ laborantes, quod sine maximo cordis dolore, sine multis lacrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremisco, filium meum, meum inquam Absalon dilectissimũ, non solùm contra me animauerunt, sed etiam tanto furore armauerunt, vt in primis contra fidem & sacramentum, quod vt miles domino iurauerat, regnum meum inuaderet, Episcopos & Abbates meos deponeret, inimicos & persecutores meos substitueret, ad vltimum, quod maximè vellem taceri, aut si taceri non potest, vellem non credi, omnem naturæ affectum abijciens, in salutem & animam intenderet, nec pensi quidquam haberet, quocumque modo, vel vi, vel fraude, ad hanc periculi & ignominiæ suæ summam adspiraret. In hac tanta mali sui machinatione, cùm essem in pace, & in aliqua salutis meæ securitate, in ipsis Dominici aduentus sanctissimis diebus, in locum qui Confluentia dicitur, ad colloquium euocauit me, quasi de communi salute & honore filius tractaturus cum patre. Quem vt vidi, illicò ex paterno adfectu, tactus intrinsecus dolore cordis mei, ad pedes suos procidi, admonens & obtestans per Deum, per fidem, per salutem animæ, vt si pro peccatis meis flagellandus eram à Deo, de me ipse nullam maculam conquireret animæ, honori & nomini suo; quia culpæ patris vindicem filium esse nulla diuinæ legis vmquam constituit sanctio. At ille iam pulchrè, imò miserrimè institutus ad malitiam, quasi abominabile & execrabile scelus cœpit detestari, procidens & ipse ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam precari, in reliquum vt miles domino, vt patri filius cum fide & veritate per omnia se mihi obauditurum cum lacrymis promittere, si solummodò Sedi Apostolicæ vellem reconciliari. Quod cùm promtissimè annuissem, & deliberationi suæ, & consilio Principum in hoc totum me mancipandum

pro-

promisissem; in præsenti Natiuitate se perducturum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea quàm fideliùs posset, se acturum, & inde in pacem & securitatem me reducendum promisit, in ea veritate & fide, qua patrem à filio honorari, & filium à patre præcipit Deus diligi. Hac promissione, quæ etiam gentili obseruanda est, securus illorsum ibam, & filius meus aliquantulum præcesserat me; cùm quidam fideles mei occurrentes verissimè affirmabant me deceptum & proditum, sub falsa pacis & fidei sponsione. Reuocatus autem filius meus, & iterum instantissimè à me admonitus, sub eiusdem fidei & sacramenti obtestatione, animam suam pro anima mea fore promisit, iam secunda vice. Cum ergò ad locum qui Binga dicitur peruenissemus, iam existente die Veneris ante Natiuitatem, numerus armatorum suorum iam satis augebatur, iam fraus ipsa detegi videbatur. Et filius ad me, Pater, inquit, nobis cedendum est in vicinum castellum; quia nec Episcopus Moguntinus in ciuitatem suam admittet vos, quamdiu in banno eritis, nec te impacatum & inreconciliatum audeo ingerere inimicis nostris. Illic Natiuitatem cum Dei honore & pace agetis, quoscumque placuerit vobis, vobiscum habeatis. Ego interim quantò instantiùs, quantò fideliùs potero, pro nobis vtrisque laborabo, quia caussam vestram esse meam æstimo. At ego, Mi, inquam, fili, testis & iudex sermonum & fidei adsit inter nos hodie Deus, qui quo modo te in virum perfectum & heredem meum perduxerim, quantis laboribus & tribulationibus meis honori tuo inseruierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim & habeã, solus est conscius. Ille autem iterum iam tertiò, sub eiusdem fidei & sacramenti obtestatione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro capite meo fore promisit mihi. Sic postquam clausit me in eodem castello, quia omnia in corde & corde erat locutus, manifestè ostendit rei euentus. Ex omnibus meis ego quartus sum inclusus; nec admitti potuit quilibet alius. Custodes deputati, qui vitæ meæ erant atrociores inimici. Benedictus per omnia Deus, exaltandi & humiliandi quemcumque voluerit Rex potentissimus. Cùm ergo ipso sanctissimo die Natiuitatis suæ, omnibus redemtis suis ille sanctus sanctorum puer fuisset natus, mihi soli filius ille non est datus. Nam vt taceam opprobria, iniurias, minas, gladios in ceruicem meam exertos, nisi omnia imperata facerem; famem etiam, & sitim quam ferebam, & ab illis quos iniuria erat videre & audire; vt etiam taceam, quod est grauius, me olim satis felicem fuisse, illud numquam obliuiscar, numquam desinam omnibus Christianis conqueri, quòd illis sanctissimis diebus, sine omni Christiana communione in illo carcere fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus, à filio meo missus venit ad me quidam Principum Vuicbertus, dicens nullum vitæ meæ esse consilium, nisi sine vlla contradictione, etiam regni insignia rederem, ex voluntate & imperio Principum. At ego, etsi omnis terra, quantum inhabitatur, regni mei esset terminus; volens vitam regno commutare, quia vellem nollem sic agendum, & sic definitum intelligebam; coronam, crucem, lan-

 ceam,

ceam, gladium misi Moguntiam. Tunc communicato consilio cum inimicis meis, filius meus egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis nostris, quasi me eò adducturus, sub multa frequentia & custodia armatorum me eductũ, ad villã quæ Ingelheim vocatur, fecit me ad se adduci, vbi maximã inimicorũ multitudinem collectam inueni, nec ipsum filium ceteris meliorem mihi repperi. Et quia firmius & stabilius eis videbatur esse, si propria manu cogerent me regnũ & omnia regalia exfestucare, simili modo & ipsi omnes minabantur, nisi omnia facerem imperata, nullum vitæ meæ consilium fieri posse. Tum ego, Quia, inquam, de sola vita agitur, qua nihil pretiosius habeo, vt saltem viuens pœnitentiam exhibeam Deo, quidquid imperatis, ecce facio. Cumque inquirerem, si saltem sic de vita certus & securus esse deberem, eiusdem Apostolicæ Sedis Legatus, qui ibidem aderat, non dico, qui hæc omnia ordinauerat, respondit, me nullo modo eripi posse, nisi publicè confiterer me iniustè Hildibrandum persecutum esse, Vuicbertum iniustè ei superposuisse, & iniustam persecutionem in Apostolicam Sedem & omnem Ecclesiam hactenus exercuisse. Tunc cum maxima animi contritione humi prostratus, cœpi per Deum, per ipsam iustitiam orare, vt locus & tempus mihi daretur, vbi in præsentia omnium Principum, vnde innocens essem, & iudicio me purgarem, & inde de principibus regni, de fidelibus meis, quoscũque obsides vellent, darem. At ille idem Legatus diem & locum mihi abnegauit, dicens aut ibi totum debere determinari, aut nulla spes mihi esset euadendi. In tantæ tribulationis articulo cùm interrogarem, si confiterer omnia, quæ imperabantur, an confessio mea, vt iustum est, veniam & absolutionem consequeretur, idem Legatus respondit, non esse iuris sui me absoluere. Et cùm ego ad hæc dicerem, Quicumque confitentẽ audet recipere, confessum debet absoluere, Si vellem, inquit, absolui, Romam irem, satisfacere Apostolicæ Sedi. Sic spoliatum & desolatum (nam & castella & patrimonia, & quidquid in regno conquisierã, eadem vi & arte sua extorserãt à me) in eadem villa reliquerunt me. In qua cùm aliquo tempore moratus essem, & filius meus, ex eodem fraudis suæ consilio demandasset, vt eum exspectarem: superueniens quorumdam fidelium meorum legatio præmonuit, vt, si quidem ad momentum ibi remanerem, aut inde in perpetuã captiuitatem raperer, aut in eodem loco decollarer. Quo nuntio satis etiam tunc vitæ diffisus, ilicò aufugiens, fugiendo veni Coloniam, & inibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium veni, in quibus locis viros fideles inueni.

Imperatore Heinrico morante Leodij, filius eius Aquas-Grani venit, & volens venire Leodium contra patrem suum, quinta feria Dominicæ cœnæ, præmisit suos præoccupare pontem apud Vuisatũ, ne quis sibi venienti obstaret, sed militibus patris concurrentibus ad exoccupandum pontem, milites filij à ponte repelluntur, alijs eorum captis, alijs in Mosam demersis, alijs occisis. Inter quos etiam Bruno Comes occisus est. Sic filius contra patrem veniens redijt inglorius. Coloniensibus fidem Imperatori seruantibus, ac

Cautè hic, ut & alibi, legẽdus Sigebertus

eorum

R. F. A. H. ANNO CHR.

eorum Archiepiscopo filium Imperatoris contra patrem suum animante, Colonia obsessa oppugnatur, nec tamen expugnatur. Interim Heinricus Imp. Leodij moritur, eique succedit filius æquiuocus eius.

Dux Heinricus, qui ab Imperatore ad filium eius animo transiens, eum contra patrem suum consilio suo armauit; & à filio ad patrem rediens, partes filij debellauit, mortuo Imperatore se, vt reum maiestatis, filio Regis dedidit, & ab eo captus custodiæ traditur, de qua ipse per industriam suam euasit. Ducatus eius datur Godefrido Comiti Louaniensi. * *Mense Septembri Rotbertus Comes Northmanniæ, fratrem Heinricum Regem Angliæ dum bello aggreditur, multis vtrimque interfectis, idem Rotbertus à suis traditus & captus, in Angliam ducitur & carceri includitur.* * Ex ms. Liess.

I. XLVII. VII. VII. 1107.

Heinricus Exdux affectans repetere Ducatum, occupat opidum Aquas-Grani, contra Godefridum Ducem. Sed hoc non ferens Dux Godefridus, opidum Aquense violenter irrupit, opidanos à fauore Heinrici exterruit, aliquos Comites & multos potentes & nobiles cepit. Ipse Heinricus cum filijs suis vix fuga euasit. Vxorem eius capere Dux indignum duxit. Comites & honoratiores eorum quos ceperat, per conditionem sub se militandi, sibi conciliatos, ad fidelitatem suam adduxit.

II. XLVIII. VIII. VIII. 1108.

Heinricus Imp. contra Rotbertum Flandrensem vadit, & pacto pacis magis vtrimque simulato quàm composito, pænè inefficax redit. Boiamundus Dux Apuliæ contracto vndevnde exercitu, accingitur ad inuadendum Constantinopolitanum Imperium.

III. XLIX. IX. IX. 1109.

In parochia Legiensi, porca enixa est porcellum habentem faciem hominis. Natus est etiam pullus gallinæ quadrupes. Imperator Heinricus contra Vngaros vadit; sed facto pacto redit. Philippus Rex Francorum obijt. Ludovvicus filius eius post eum regnat. * *Obijt etiam Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, & Hugo Abbas Cluniacensis: cui successit Pontius. Hoc anno, sacro igne multi accenduntur, membris instar carbonum nigrescentibus. Hoc etiam anno Gelduinus, quarto loco Aquicincti Abbas, fastidiens onus regiminis, potiusque eligens otium olim actæ reclusionis, reliquit curam animarum, & iterum effectus est reclusus apud sanctum Bertinum. Cui successit in cura pastorali Rotbertus eiusdem cœnobij monachus.* * Ex ms. Aquic. & Orthl.

IIII. L. X. X. MC. X.

In mense Iunio cometes apparuit, radios dirigens ad Austrum, multis conijcientibus, hoc signo portendi futuram Regis Heinrici Quinti expeditionem, 1110.

ANNO CHR. R. F. A. H.

tionem, Italiam versus. Sanctus Vuicbertus fundator Gemmelacensis cœnobij, vbi & sepultus requiescit, quem Deus multis & magnis miraculorum signis per annos XII. longè lateque clarificauerat, auctoritate venerabilis Frederici Coloniensium Archiepiscopi, & assensu generalis synodi, à Domno * Obberto Legiensi Episcopo eleuatur. Quæ eleuatio innumerabili concursu, & mirabili gaudio populorum celebrata est IX. Kal. Octobris.

Suprà an. 1091. Otbertus dicitur in mss.

1111. V. II. XI. XI.

Heinricus Quintus huius nominis Rex Romam vadit, propter sedandam discordiam, quæ erat inter regnum & sacerdotium, quæ cœpta à Gregorio Papa, qui Hildibrandus nominatus est, & exagitata à successoribus Gregorij, Victore & Vrbano, & præ omnibus à Paschali, magno scandalo erat toti mundo. Rex vti volens auctoritate & consuetudine, & auctoralibus priuilegijs Imperatorum, qui à * Karolo Magno, qui primus de Regibus Francorum imperauit Romanis, iam per trecentos & ampliùs annos imperauerant, sub sexaginta tribus Apostolicis, dabat licitè episcopatus & abbatias, & per annulum & per virgam. Contra hanc maiorum auctoritatem censebant Papæ synodali iudicio, nec posse nec debere dari per virgam, vel per annulum episcopatum aut aliquam ecclesiasticam inuestituram, à laicali manu. Et quicumque ita episcopatum aut aliam ecclesiastici iuris inuestituram accipiebant, excommunicabantur. Propter hanc præcipuè caussam Rex Romam tendebat; & si qui Langobardorum quoquo modo ei resistere volebant, potenter eos proterebat. Quid vel quomodo inter Papam & Regem conuenerit, cùm multa à multis dicantur, hoc tantùm à nobis dicetur, quod in epistola ab ipso Rege scripta legimus. Instabat omnimodis Papa, vt auerteret Regem à potestate dandi episcopatus vel abbatias, nec per annulum, nec per virgam. Regi quærenti per internuntios à Papa, his omnibus sibi ablatis, quomodo constaret regnum, quoniam ferè omnia regalia antecessores sui concesserant & tradiderant ecclesijs: respondit, Sacerdotes decimis ecclesiæ & oblationibus contenti sint, Rex verò omnia prædia & regalia, quæ à Regibus collata sunt ecclesijs, recipiat, & detineat sibi & successoribus suis. Rege per internuntios respondente, se nolle violentiã & iniustitiã inferre ecclesijs; promisit Papa, & suis pro se iurantibus affirmauit, se Dominicâ instantis Quinquagesimæ, omnia regalia cum iustitia & auctoritate Apostolica, ab Episcopis & ecclesijs auferre & regno reddere, id est ciuitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, monetas, telonea, aduocatias, omnia iura centurionum vel villicorum curtes & villas cum omnibus pertinentijs suis, quæ regni erant, militiam & castra. Hanc conuentionem in charta descriptam Regi dedit; hoc addens, quòd ipse Regem & regnum vlterius non inquietaret, & priuilegio sub anathemate confirmaret, ne posteri sui eum inquietare præsumant, Regem benignè & honorificè susciperet, eumque in Imperatorem coronaret,

Refutat Baron. to. 9. ad an. Christi 775. quem & consule to. 12.

Cōfirmatur Platina, Baronius Ciaconius & alij historici, qui maiore integritate de his scribunt.

ret, & ad tenendum imperium auxilio officij sui adiuuaret. Pro his omnibus implendis Papa Regi obsides dedit. Internuntij Regis, quamuis scirent hoc nullo modo posse fieri, affirmauerunt, si Papa hæc compleret, Regem quoque inuestituras ecclesiarum, vti quærebat, refutaturum.

Hac spe promissionum Regi Romam tendenti Paschalis Papa primò per suos, postea ipse cum primoribus Romanorum extra vrbem occurrit, nullamque caussam resistendi ostenderunt. Vix ciuitatis portas ingressus erat, cùm militibus eius intra ciuitatis mænia securè vagantibus, alij vulnerati, alij occisi, omnes verò pænè capti aut spoliati sunt. Rex tamen quasi pro leui caussa non motus, tranquilla mente vsque ad ianuas ecclesiæ beati Petri Apostoli cum processione peruenit. Vbi volens ostendere nullam ecclesiarum Dei disturbationem ex suo velle procedere, in oculis & auribus omnium adstantium hoc decretum promulgauit.

Ego Heinricus Imp. Augustus adfirmo Deo & sancto Petro, & omnibus Episcopis & Abbatibus & omnibus ecclesijs, omnia quæ antecessores mei Reges vel Imperatores concesserunt, vel quoquo modo tradiderunt Deo, ego nullo modo subtrahere volo.

Hoc decreto lecto & subscripto, petijt à Papa, vt adimpleret ei, quod in charta conditionis scriptum erat. Ipse etiam Rex conuentionem suam ad Papam firmauit, iurantibus IV. Comitibus, quòd proxima IV. vel V. feria Rex principes suos amicitiam iurare faceret, & obsides daret, eo tenore, si Papa proximo Dominico die adimpleret Regi per omnia, quod in charta conuentionis eius scriptum erat. Cùm ergò Rex insisteret, vt Papa cum iustitia & auctoritate, promissam sibi conuentionem de reddendis sibi regalibus confirmaret, vniuersis tam suis, quàm nostris, scilicet Episcopis, Abbatibus, & vniuersis Ecclesiæ filijs in faciem ei resistentibus, & decreto suo plenam hæresim inclamantibus, voluit Papa, si salua pace Ecclesiæ potuisset, hoc priuilegiũ proferre,* ne sacerdotes, Abbates aut clerici sæcularibus occupentur, néue ad comitatum accedant, nisi pro damnatis eruendis, néue militiam exerceant, quæ vix aut nullo modo sine rapinis, sacrilegijs, incendijs & homicidijs exhibentur, néue ministri altaris, fiant ministri curiæ, néue accipiant à Regibus ad regnum pertinentia.* Regi autem siue Imperatori censuit esse dimittenda omnia ad regnũ pertinentia, à tẽpore Karoli Magni, & ceterorum Imperatorum; interdicens sub anathemate, ne quisquam Episcoporum inuadat ad regnum pertinentia. Interdixit etiam sub anathemate, ne illi qui post eum in Apostolica Sede sessuri sunt, audeant Regem aut regnum eius inquietare super hoc negotio.

* *Vide Baronium, Ciaconium & alios.*

In reconciliatione autem, quæ facta est inter Papam & Imp. qui ipsum Papam cum Episcopis & Cardinalibus ceperat, hoc fuit iuramentum Regis.

Ego Heinricus Rex IV. vel V. feria proxima liberos dimittam dominum Papam & Episcopos & Cardinales, & omnes captiuos & obsides; & Papæ

 & fide-

& fidelibus eius, & Romanis pacem & securitatem seruabo; tam per me, quàm per meos, & in personis, & in rebus, eique obediam, saluo honore regni vel Imperij.

Hoc iuramentum iurauerunt etiam Episcopi & Principes, circiter XIV.

Iuramentum ex parte Papæ hoc fuit. Domnus Papa Paschalis non inquietabit dominum Regem, nec regnum eius de inuestitura episcopatuum vel abbatiarũ, neque de iniuria sibi & suis illata, in personis, in bonis, neque aliquod malum reddet sibi vel alicui personæ pro hac caussa; & penitus in personam Regis Heinrici numquam anathema mittet; nec remanebit in domino Papa quin coronet eum, & regnum & Imperium auxilio officij sui eum tenere adiuuabit pro posse suo. Et hoc adimplebit Papa sine fraude & malo ingenio. Hoc iuramentum Papæ confirmauerunt iurando Episcopi & Cardinales numero XV. Heinrico Regi in Imperatorem coronato, post lectum Euangelium tradidit ei Papa, ante altare Apostolorum Petri & Paulli, in oculis omnium Principum, hoc priuilegium de inuestitura episcopatuum vel abbatiarum, tam per annulum quàm per virgam.

Legantur Platina, Onuphrius, Baronius Ciaconius, aliíq; Pontificia historia scriptores.

Paschalis Episcopus seruus seruorũ Dei, carissimo in Christo filio Heinrico Teutonicorũ Regi, & per Dei omnipotentis gratiam Romanorũ Imp. Augusto, salutem & Apostolicam benedictionem. Regnum vestrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ singulariter cohærere dispositio diuina constituit. Prædecessores vestri, probitatis & prudentiæ amplioris gratiâ, Romanæ vrbis coronam & imperium consecuti sunt: ad cuius videlicet coronæ & imperij dignitatẽ, tuam quoque personã, fili carissime Heinrice, per nostri ministerium sacerdotij, maiestas diuina prouexit. Illam igitur dignitatis prærogatiuam, quam prædecessores nostri vestris prædecessoribus, Catholicis Imperatoribus concesserunt, & priuilegiorũ paginis confirmauerunt, nos quoque dilectioni tuæ concedimus, & præsentis priuilegij pagina confirmamus; vt regni tui Episcopis, vel Abbatibus liberè præter violentiam & simoniam electis, inuestituram virgæ & annuli conferas. Post inuestitionem verò, canonicè consecrationem accipiant ab Episcopo ad quem pertinuerit. Si quis autem à clero & populo, præter tuum assensum, electus fuerit, nisi à te inuestiatur, à nemine consecretur. Sanè Episcopi & Archiepiscopi libertatem habeant, à te inuestitos Episcopos vel Abbates canonicè consecrandi. Prædecessores enim vestri ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficijs ampliauerunt, vt regnum ipsum Episcoporum vel Abbatum maximè præsidijs oporteat communiri, & populares dissensiones, quæ in electionibus sæpè contingunt, regali oporteat maiestate compesci. Quamobrem prudentiæ & potestati tuæ cura debet sollicitiùs imminere, vt Romanæ Ecclesiæ magnitudo, & ceterarum salus, præstante Domino, beneficijs tuis & seruitijs conseruetur. Si qua igitur ecclesiastica sæcularisue persona hanc nostræ concessionis paginam sciens, contra eam temerario ausu venire tentauerit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis suæ periculum patia-

R. F. A. H. ANNO CHR.

patiatur. Obseruantes autem misericordia diuina custodiat, & personam potestatemque tuam, ad honorem suũ & gloriam, feliciter imperare cõcedat.

Confirmatio pacis inter Apostolicum & Imperatorem, dum in celebratione Missæ traderet ei Corpus & Sanguinem Domini nostri IESV Christi.

Domine Imperator hoc corpus Domini, natum ex Maria virgine, passum in cruce pro nobis, sicut sancta & catholica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis & concordiæ inter me & te. Datum est Id. Aprilis, Indictione IV.

* *Rotbertus secundus Flandrensium Comes, in expeditione Ludouuici Regis Francorum mortuus, Atrebati sepelitur. Succedit filius eius Balduinus.* * — * Ex ms. Lips. — * Ex mss. Aquic. & Ortel.

* *Rotbertus Aquicinensis cœnobij quintus Abbas, ægrè ferens insectatione quorundam sæcularium vexari ecclesiam sibi creditam; simul quia hoc ei imputabatur, consilio accepto, dimisit abbatiam, succedente ei Domno Aluiso.*

VI. III. XII. XII. 1112.

Deo peccatis hominum offenso, multa eueniunt hoc anno. In monte Castri-loco ecclesia sanctæ Vualdetrudis, cum alijs duabus ecclesijs minoribus, & cum toto penè opido crematur.


Ecclesia sancti Michaëlis, De periculo maris, fulgurata diuinitùs comburitur, cum ædificijs sibi appendentibus.

Gualdricus Episcopus Laudunensis ciues ipsius vrbis à sacramento perperam iuratæ communitatis, reuocare nisus, à seditiosis ad arma concurrentibus, quod dictu nefas est, gladio confossus interijt, feria V. hebdomadæ Paschalis, VII. Kal. Maij, in Litania maiori. Tumultuante etiam impetu confusæ multitudinis, domus Episcopi succenditur. Vnde etiam ipsa mater ecclesia sanctæ Mariæ, & ecclesia sancti Ioannis Baptistæ in abbatia monialiũ, cum alijs ecclesijs omnibus è vicino appendentibus concremantur. In auctores seditionis à Rege Francorum tam seuerè est vindicatum, vt tam præsentes quàm futuros à simili scelere deterrere possit exemplum.

* Mense Maio siligines & arbores sacro igne adustæ, fructus sui spem sunt mentitæ; & quædam siluæ insuper arefactæ. Subsecuta est hominũ valetudo grauis & diuturna, cum profluuio ventris & mortalitate. — * Ita ms. codex Gemblacensis distinguit. Ceteri mss. referunt ista omnia ad annum sequentem.

Domnus Sigebertus, venerabilis monachus Gemblacensis cœnobij, vir in omni scientia litterarum incomparabilis ingenij, descriptor præcedentium in hoc libro temporum, III. Non. Octobris obijt; qui etiam librum Illustrium virorum, & multa vtilia doctrinæ suæ & librorum monumenta nobis reliquit.

FINIS.



ANSELMI GEMBLACENSIS ABBATIS VIII.

CHRONICON,

Cum Auctarijs Gemblacensi, Affligemensi, Valcellensi & Aquicinctino, primùm nunc erutum.

Studio AVBERTI MIRÆI Bruxell.

ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum Verdussen.



ANNO CHR.

INCIPIT ANSELMI GEMBLACENSIS ABBATIS CHRONICON.



Rom.	Franc.	Angl.	Hierosol.	
VII.	IV.	XIII.	XIII.	1113.

DOmnus Abbas Lietardus II. Non. Februarij obit: cui Anselmus octauo loco in Gemblacensi cœnobio succedit. Feria III. hebdomadæ paschalis, VI. Id. Aprilis monasterium Prumiæ arsit, cum officinis suis, thesauro & bibliotheca ecclesiæ, per Dei prouidentiam, durantibus illæsis. In pago Bracbatensi IX. Kal. Maij circa Tornacum nix tanta cecidit, vt & siluas fregerit. Mense Augusto Balduinus Rex Hierusalē cum Rogero Antiochiæ Comite, contra Turcos vadit: sed dum Rogerus cum exercitu suo, iuxta quemdam fluuium resedisset, Rex cum suis processit, vt aduentum Turcorum exploraret. Turci verò montem quemdam occupauerant, in quo insidias per quattuor loca collocauerant, & in singulis insidijs quattuor millia equitum deputauerant: à quibus ex insperato Rex vndique interceptus, mille quingentis suorum interfectis, miserabili fuga est liberatus. Ascolonitæ cognoscentes abesse Regem Balduinum, cum graui multitudine Hierusalem assiliunt: sed non præualentes contra eam, partem ecclesiæ S. Stephani, extra ciuitatem, vbi lapidatus est, sitæ, diruunt, segetes incendunt, & ita inefficaces redeunt. Turci cœnobium monachorum, in monte situm, funditùs euertunt, & monachis cum reliquis omnibus interfectis, omnia sibi diripiunt. Rex Hierusalem Balduinus vxorem ducit relictam Rogeri Ducis Siciliæ. Apud Rauennam & Parmam ciuitates Italiæ, in agris & intra mœnia sanguis pluit Iunio mense.

VIII.	V.	XIV.	XIV.	1114.

Heinricus Imperator, Moguntiæ vxorem ducit filiam Heinrici Regis Anglorum. * *Concilium, Conone Prænestino Episcopo & Romana Ecclesia Legato, præsidente, Bellouaci celebratum est.* *Ex ms. Ortel.*

IX.	VI.	XV.	XV.	1115.

Idibus Nouembris, in suburbio Antiochiæ, terra noctu dehiscens, turres multas & adiacentes domos cum habitatoribus absorbuit. Quidam autem, vt est illud hominum genus, cum vxore & filijs de locis illis migrauerat; sed in redeundo positum, idem terræ motus absorbuit, in loco quo erat. Heinricus Imperator, dum quidquid libet, licere putauit, magnas regni penè totius inimicitias comparauit. Etenim quia superioribus annis Albertum Cancellarium, & alios quosdam regni Principes insidiosè ceperat, & sine audientia & iudicio, custodiæ mancipauerat, alijs similia timentibus suspectus *Consule Baron. & alios.*

 erat.

ANNO CHR. R. F. A. H.

erat. Vnde etiam Fredericus Coloniensis Archiepiscopus ab eo auersus, totis viribus * insequitur eum, & fautores eius: opida & castella contra se posita impugnat, & omnia ad eum pertinentia, ferro & igni vastat. Heinricus Imperator promiserat Aquis se pascha celebraturum, ideoque inter alios regni Principes, domnus Otbertus Leodicensis Episcopus ibi præstolabatur eius aduentum. Vnus igitur eorum Arnulfus de Arflot, dum manus suas confricaret, magno omnium miraculo, sine aliqua vulneris aut vlceris læsione, sanguis ab eius digitis fluere visus est: quæ res pro magno portento habita, significabat humani sanguinis effusionem pro indigna regni & Principum discordia. * *Tanchelinus hæreticus, qui Andouerpiam, Vualacram, & circumiacentes insulas, & maritima loca in partibus illis, multis hæresibus infecerat, occiditur. Castrum Encres, Hugone * Camdauena pulso, qui illud vsurpauerat, Balduinus Comes Flandriæ cepit, & Karolo consobrino suo dedit. Lanbertus Episcopus Atrebatensis moritur. Petrus Eremita ex Syria reuersus, apud Huyum moritur, & sepelitur in monasterio à se fundato ad Mosam fluuium. Clara-vallis fundatur, cuius primus Abbas fuit sanctus Bernardus.*

* *Adiutantibus Godefrido Loth. Duce Henrico Ex duce, & Frederico Arnesbergio: si Abbati Vrsperg. credimus. Lege Serarij Moguntiam.*
* *Ex ms. Ortel.*
* Candauena.

1116. X. VII. XVI. XVI.

Heinricus Imperator in Italiam secedit, propter asperos motus regni, & maximè propter Marchilæ * Malthildis cognatæ suæ, quæ recens obierat, hereditatem obtinendam. *Hæc fuerat nupta Godefrido Gibboso, Lotharingiæ Duci; & est filia Bonefacij Italorum Marchionis & Beatricis.*

* Mathildæ.
De qua fuse Schaf. an. 1074. & Baron. an. 1074. & alibi.

1117. XI. VIII. XVII. XVII.

Mense Ianuario III. Non. ipsius, IV. feria, in aliquibus locis, sed non vsquequaque, terræmotus accidit, aliàs clementior, aliàs validior; adeò vt quarumdam vrbium partes cum ecclesijs subruisse dicatur. Mosa etiam fluuius, iuxta abbatiam quæ dicitur * Sustula, quasi pendens in aëre, fundum suum visus est deseruisse. Hoc quoque anno * Leodium ciuitas multis plagis attrita est. Mense enim Maio, nocte Inuentionis S. Crucis, quæ tunc erat vigilia Ascensionis, dum in maiori ecclesia vesperas celebrant, & illum psalmi versiculum, Quis sicut Dominus Deus noster, cantant; subitò tonitru, cum terræmotu, omnes ad terram strauit, & fulmen à læua templi ingressum, non modicas crustas de muro hac illac disiecit: deinde turrim ingrediens, multas trabium partes diffidit; subsecutus est fœtor intolerabilis, adeò vt multo aromatũ odore vix potuerit expelli. Item Iunio mense, VII. Idus ipsius mensis, circa horam nonam, nubes pluuiæ subitò rupta, à monte, qui dicitur Rotberti, subiectam sibi partem ciuitatis penitus oppressam pessumdedit; adeò vt multas domos dirueret, & immensam annonam perderet, & matrem duos infantes altrinsecus in brachijs amplexam necaret, & alios octo homines diuersis in locis opprimeret. *Pulsantibus vesperis sabbatho, quædã femina caput dum lauat puero, manus rubent sanguine fluido* Kalendis etiam Iulij circa

* Susterẽ.
* *Idẽ refert Abb. Vrsperg.*

R. F. A. H. ANNO CHR.

circa horam VI. turbo nimis vehemens & obscurus ciuitatem operuit, & nubes ex abrupto scissa, ita omne tectũ maioris ecclesiæ deuicit, vt & imbribus pateret, & totum pauimentum perfunderet. Ilicò fulmen à parte Aquilonari ingrediens, quemdam clericum, retro altare sanctorum Cosmæ & Damiani, in pulpito legentem, & alterum ante Crucifixum orantem, tertiũ de scriptorio ecclesiæ proximo egredientem, in ipso ecclesiæ ingressu exstinxit. Ante fores quoque ecclesiæ, domum Episcopi versus, quemdam laicum exstinxit. VII. Idus Iulij, ab hora III. vsque ad horam nonam quattuor turbines à quattuor plagis cæli vrbem circulauerunt: ventus etiam cum magna vi insonuit, & vrbẽ multo imbre alluit. III. Non. Augusti, primo noctis conticinio, quaqua terrarum, cùm tonitrus audiretur, & fulgetra sæpius micarent, & iterum atque tertiò id fieret vsque mane, in vrbem Leodium ampliùs ipse turbo deſæuit; ita vt homines à stratis desilientes templa & ecclesias tristi cœtu complerent, & tota nocte supplicationibus intenderent. Summo verò auroræ diluculo, à parte Orientis, ignis cum ingenti flamma ciuitatem circulauit tantus, vt omnes diuinitùs cremari extimuerint. Post hæc magnus turbo, erumpens ab Occidente, ipsum ignem visus est aliquantulum obscurasse. Iterum autem quasi victor ignis cum flamma recaluit, & turbine reuertente, paullulùm delituit. Tertiò etiam ipse ignis recaluit, & tertio nihilominus turbine victus decidit. Hoc spectaculũ à summo mane vsque ad horam tertiam ciuitatem vehementer terruit. III. Idus Decembris, ad mediam noctem lucentibus stellis, cælo sereno, XIII. luna eclipsim passa est, & contracto orbe multis coloribus, sed maximè sanguineo, penè integrâ horâ suffusa est. XVII. Kal. Ianuarij primâ horâ noctis, igneæ acies à Septemtrione in Orientem, in cælo apparuerunt, deinde per totum cælum sparsæ, plurimâ noctis parte, videntibus miraculo & stupori fuerunt. *Monstrum quoddam Namuci natum est, cui par numquam vel rarò visum est, videlicet biceps infantulus: qui hoc vidit testis est populus: hic tam sexu, quàm ceteris membris, simplex erat compage corporis.* * *Balduinus Comes Flandrensis, quia Hugo Camdauena terram eius, vbi poterat, rapinis & incendijs vastabat, castrum sancti Paulli obsedit: & Eustathio Comite Bolonia mediante, Hugoni reconciliatus rediit.* * Ex ms. Ortel.

XII. IX. XVIII. XVIII. 1118.

Balduinus II. Rex Hierusalem * moritur, frater Godefridi, Ducis Lotharingorum, & primi Regis Hierosolymitarum. Fuerunt autem filij Eustathij Comitis de Bolonia, ex Ida sorore Godefridi Gibbosi, Ducis Lotharingorum: quibus de medio factis, tertius regnat Balduinus, filius Hugonis Comitis de Reitesta. Paschalis Papa moritur, succedit Ioannes Caietanus, qui & Gelasium se nominat. Cùm verò Henricus Imp. tunc temporis agens in Italia, Romam tenderet, ad eligendum Papam, Ioannes præsentiam eius veritus, iam electus & ordinatus, secessit Capuã. * At Imperator, quia electioni non interfuerat, nec ordinationi consensit, sed aliquibus Romanorum admi-

* Confer Tyrium cũ ms. codice Ortel. quem in multis locis annotatum fere cum Fulcherio, caeteris neque m.ss. variant.
* Consule Baronium

ANNO CHR. R. F. A. H.

tentibus, Hispanum quemdam Burdinũ nomine, clericum, ei superordinari fecit. Ioannes interim transiens ad Gallias, per Burgundiam & Gothiam, quæ prouincia sancti Ægidij dicitur, agit synodales caussas. Heinricus Imperator ab Italia in Lotharingiam repatriat, & secundùm illud, Qui à multis timetur, necesse est vt multos timeat; coniuratos in se regni Principes, modò minis, modò blanditijs, modò vi, modò satisfactione ad pacem inuitat.

* Ex ms. Lips. *Balduinus Comes, Rotberti Iunioris & Clemẽtiæ filius, XXVI. ætatis suæ anno monachus effectus, absque herede moritur, & apud S. Bertini sepelitur. Cui succedit consobrinus eius Karolus, filius scilicet amitæ illius Athelæ nomine, quem suscepit de Kanuto Rege Daniæ.*

1119. XIII. X. XIX. I.

* Consentiunt Dodechinus, Onuphrius & alij.

Ioannes Caietanus, qui & Gelasius Papa, Cluniaci * moritur & sepelitur. Consensu omnium Episcoporum, tam Germaniæ quàm Galliæ, cum Romanis habito, domnus Guido Viennensis Archiepiscopus, in Papam eligitur, & Callistus nomine designatus, Cluniaci benedicitur. Postea mediãte Octobri mense, Remis synodũ congregans, multos in vtroque regno Episcopos consecrat: inter quos etiã domnus Fredericus in Episcopum Leodicensium inungitur. Interim Heinricus Imperator Iuosium venit, & dum pro reconciliatione regni & sacerdotij, legatio nec à Rege ad Papam vadit, nec à Papa ad Regem vicissim redit, dissensu quorumdam inuidorum, lux pacis turbatur, & Imperator cum sibi fauentibus excommunicatur. * *Balduinus Comes*

* Ex ms. codice Orval. siue Valcellēs. *Flandriæ, Callisti Papæ ex sorore nepos obijt. Cono Prænestinus Episcopus & Legatus Apostolicus, synodum Coloniæ celebrat, & Heinrici Imp. excommunicationem promulgat. Huic synodo interfuit Norbertus, postea Præmonstratensis ordinis institutor, tunc recenter conuersus, in peregrino habitu.*

1120. XIV. XI. XX. II.

Domnus Papa Callistus Romam proficiscens, ab omni Senatu & populari turba gloriosè excipitur, & in Sede Apostolica confirmatur. Burdinus pseudopapa, Sutrij positus, dum peregrinos Romam euntes vel redeuntes turbat & deprædatur, tandem vt vilissimus Apostata capitur & in monachum attondetur. Maior ecclesia Episcopij Monasteriensis, eò quòd Episcopum repudiassent, ab ipso Episcopo Theoderico, & Leudone Duce Saxoniæ cum tota ciuitate exuritur. *Heinricus Dux Anglorum, Ducis Godefridi filiam Athelaidam sibi coniugio sociat, & Reginam in Anglia constituit; qui Rex magna prudentia rexit imperium suum. Omnes quoque tyrannorum motus miro ingenio compescuit, & larga manu Dei ecclesias ditauit.*

* Ex ms. Uff. ** Cellam in Bornehem Fulgentius Abbas Affligemensis suscepit regendam; tradente Abbate & Canonicis eius monachis factis. Norbertus, auctor ordinis Præmonstratensis, floret.*

Domnus

R. F. A. H. ANNO CHR.

XV. XII. XXI. III. 1121.

Domnus Fridericus Leodicensium Episcopus obit: ad cuius sepulcrum multa signa à plerisque conspiciuntur. Mense Octobri Heinricus Imperator Quintiliburch venit, & hinc inde optimates regni & Apostolicæ Sedis tractatum de controuersia, quæ est inter Imperatorẽ & regnum, seu etiam contra Dominum Apostolicum. Cùm autem diu disceptatur de statu regni, & de inuestituris ecclesiarum, & de hereditate Sicfridi Comitis Palatini, & de alijs negotijs, partim fauendo Regi, partim differendo caussam, vsque ad præsentiam Apostolici, dissimulato fœdere incertiores redeunt quàm venerant. Terræ motus in secunda hebdomada aduentus Domini, sabbatho, hora tertia IV. Id. Decemb. aliàs clementior, aliàs inclementior accidit. * *Bartholomeus Laudunensis Episcopus, & Norbertus Abbas Præmonstratam ecclesiam fundant. Norberto, Colonia cum Sanctorum reliquijs redeunti, Ermensendis Comitissa Namucensis offert ecclesiam in villa sua Floreffia, ad fratres in ea collocandos.*

* Ex ms. Ortel.

XVI. XIII. XXII. IV. 1122.

Optimates regni, cum Episcopis conuenientes Heinricum Imperatorem, Deo sibi propitio, id egerunt saluberrimo consultu, vt inter ipsum & Apostolicũ cõtrouersia de inuestituris ecclesiarum tandem finiretur. Legantur inde Romam ex parte Imperatoris Bruno Spirensis episcopus, & Arnulfus Abbas Fuldensis. Interim Heinricus Imperator Pascha Domini Aquisgrani celebrat, deinde Leodium contendit. Hîc querelâ apud eum factâ de insolentijs cuiusdam * Gothuini, castrum eius, quod Mons-falconis dicitur, adnitente sibi Godefrido Duce, obsidet, capit, incendit, & destruit. Ecclesia Hannoniensis cum omnibus appendicijs suis, seditione Aduocati sui, cum tota villa crematur, saluo tamen thesauro & bibliotheca. Turonis etiam contentione ortâ inter clericos & laicos, ecclesia S. Martini penitus est combusta. Domnus Apostolicus visâ & receptâ legatione Imperatoris, pertæsus & ipse dissonantiæ nimium inter eos diutinæ, libenter assensit, & tam consultu totius Romani Senatus, quàm etiam omnium Episcoporũ Italicorum, mittũtur ex latere Apostolici, Lambertus Ostiensis Episcopus, & Saxo Cardinalis de monte Cælio, & Gregorius alter Cardinalis, ad ordinandam rem tanti negotij. Mense Septembri, in Natiuitate sanctæ Mariæ, Heinricus Imp. cum Episcopis & optimatibus regni venit VVormatiam; vbi occurrerunt ei Legati Sedis Apostolicæ. Vbi, vt fit, in tanto magnatum consessu, euentilatâ ratione, tandem gratia antiquæ caritatis redintegratur, inter Imperatorem & Apostolicum, Dei ordinatione. Quorum consensus talis est. * Ego Calixtus Episcopus, seruus seruorum Dei, tibi dilecto filio Heinrico Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporũ & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri, absque simonia & aliqua violentia, vt si qua inter partes discordia emerserit, Metro-

Consule Baron. & alios.

* Gozuini.

* *Eadem narrat Conradus Abbas Vrspergensis.*

De re tota consule Baron. Sigonium & alios.

R. F. A. H. ANNO CHR.

tibus lactentibus, vniuerso quoque pecori pabula negantur. Dies pugnæ indicitur. Procedunt Christiani cum militibus & peditibus vix ad tria millia æstimati. Principes gradiuntur in fronte, scilicet Patriarcha, pro vexillo ferens Crucem Christi; Abbas olim Cluniacensis Pontius, proferens lanceam transfixam in latere Christi; Episcopus Bethlehemites ferens in pyxide lac sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis. Saraceni verò quoquoversum effusi, ex omni latere in orbem circumcingũt Christianos, ne quis possit euadere. Dum ita in procinctu hærent Christiani, vident, Deo sibi auspice, splendorem scisso aëre super paganos subitò cecidisse, sed non prosperum, sed satis nociuum: quamuis hunc ipsi Saraceni non viderint. Ilicò enim omnium virium robore eneruati, passim fugientes, cæduntur non solùm à viris, sed & à pueris & feminis. Perierunt in bello septem millia, submersi sunt in aquis quinque millia. Omnes verò Christiani incolumes reuersi, summũ & dulce epinicium reboant Domino in excelsis.

XVIII. XV. XXIV. VI. 1124.

Heinricus Imperator Aquis-Grani natale Domini celebrat. Hiems solito acerbior, & aggestu niuis, sæpiùs decidentis, nimis horrida & importuna. Multi enim pauperum infantes & mulieres asperitate frigoris defecerunt. Mortalitas quoque animalium maxima. In multis viuarijs pisces absorpti sub glacie perierunt. In Bracbanto anguillæ innumerabiles, propter glaciem à paludibus exeuntes, quod dictu mirum est, in fœnilibus fugientes latuerunt: sed ibi etiam præ nimietate frigoris deficientes computruerunt. Hiemi successit intemperies aëris, nunc niue, nunc pluuia, nunc gelu alternatim teterrima, vsque in medio Martio. Postea diutino frigore & pluuia, aëris horrente inconstantiâ, vix tandem arbores floruerunt Maio mense, vix tandem gratia herbarum & graminum reuiguit. Imber verò singulis mensibus assiduè deciduus, sata agrorum pænè absorpsit. Nam siligo & auenæ prouentum suum sunt ementitæ. Multi quoque sacro igne aduruntur. Tyrus Hebræâ linguâ Sor dicta, vrbs maxima Phœnicis & antiqua, in corde maris sita, Sidoniorum colonia, negotiatio maris, emporium totius orbis, vaticinio prophetarum celebrata, & carminibus poëtarum inclyta, olim quidem insula, sed à Nabuchodonosor vel ab Alexandro, propter expugnationem, multis in breui freto aggeribus comportatis, terra continens facta, pridem à Nabuchodonosor expugnata, & partim captiuata, & postea ab Alexandro penitus vsque ad solum diruta & destructa, sed iuxta Prophetarum vaticinia post septuaginta annos reædificata, & in antiquum statum restituta, nostris modò temporibus, in fine mundi, à Christianis terra mariqué obsessa capitur, & Christi imperio subiugatur. Callistus Papa, qui & Guido, moritur. Succedit Lambertus, qui & Honorius, Ostiensis Episcopus. *Canonici Andouerpenses à Godefrido Bullonio, Duce Lotharingiæ & Marchione* * *Andouerpensi,* * Vide supra an. 1078.

b *fundati,*

ANNO CHR. R. F. A. H.

fundati, Norberto & socijs eius templum S. Michaelis cedunt, & inde ad ædem beatæ Mariæ Virginis migrant.

1125. XIX. XVI. XXV. VII.

Hiems asperrima, sex hebdomadibus continua & valdè noxia. Fames valida vbique, multis vtriusque sexus pereuntibus. In Hasbania ignobilis muliercula monstrum bis gemini corporis est enixa, auersis vultibus & corporibus sibi cohærens. Antè quidem effigies hominis, integro corporis membrorumque ordine distincta, retro verò facies canis, similiter corporis & membrorum proprietate integra. In Bracbanto villa Nerisca, alia mulier enixa est quattuor masculos vno partu. In Gemblacensi parochia, dum paterfamilias, Dominica die, mixturam segetum præ penuria famis moleret, in vsus familiæ, subitò, iustâ Dei indignatione, arsit farina cum putoris nigredine: ad exemplum posteris, nequid præsumant simile. Ecclesia S. Dionysij sita in Brocorensi silua, VII. Kal. Maij, in festo S. Marci, primo crepusculo noctis, cum omnibus appendicijs & tota villa penitus concrematur, saluo tamen thesauro & armario. Heinricus Imperator Leodij pascha Domini celebrat, inde Aquas contendens, morbo dracunculi, qui sibi erat natiuus, molestari cœpit: propter quod & ibi aliquot dies remoratus est. Deinde * Neumaiam venit, postea, quasi pentecosten celebraturus, Vultraiectum. Sed cùm per dies languor ingrauesceret, tandē feria quinta in pentecoste, vitam cum regno amisit. Corpus eius, eiectis intestinis, sale respersum, Spiram relatum est. Rex Hierusalem * Balduinus, datâ redemtione, à Saracenis dimittitur. Mense Augusto in festo sancti Bartholomæi Apostoli, excellētior dignitas optimatum Imperij, siue eminentior gloria Ecclesiæ, Eurardus & Romanus, Legati Apostolicæ Sedis, & Archiepiscopi cum Episcopis ex condicto conuenientes Moguntiæ, consultant sibi & toti Romano Imperio, de substituendo Rege. Lotharius Dux Saxonum, vir sapiens & industrius, & ecclesiastico iuri deuotus, præpotens diuitijs & victorijs, omnium assensu eligitur. Hic mense Septembri cum eisdem Legatis, & duobus Archiepiscopis, octo Episcopis, & multis Abbatibus, & eminentioribus aulæ regalis primatibus, Aquas-Grani veniens, Dominica die, Id. Septembris, à Frederico Archipræsule Coloniensi in Regem benedicitur & vngitur, omni clero & populo festiuum epinicion acclamantibus. *Viconiense monasterium apud Valentinianas incohatur, quod inter Præmonstratensia est pulcherrimum.*

* Neumagum.

* *Consule Tyrium.*

Lege Baronium.

1126. I. XVII. XXVI. VIII.

Hiems acerrima. Ver etiam periculosum. Rex Lotharius contra Bohemones vadens, quorumdam suorum Principum traditione, magnam stragem militum passus est, quingentis videlicet & XL. occisis. In Syria hoc anno exercitus Dei bis congressus est cum Saracenis. In primo prælio de paganis ceciderunt duo millia quingenti, de Christianis solummodò XV. in

R. F. A. H. ANNO CHR.

in secundo autem, non incruentam victoriam habuerunt Christiani: sed quamuis plurima pars eorum perierit, tamen auxilio Dei, reuigorati absque numero hostes* contravertunt & vicerunt. Hoc anno omnis seges ægra, & vineæ cum omni fructu arborum acerrimæ. *Godefridus Comes Capenbergensis, relicto sæculo, Christum cum Norberto secutus, & Capenbergensis, Vorlarensis atque* * *Elestatensis monasteriorum apud Vuestfalos fundator, moritur.*

* contriuerunt.
* Ilmstadium hodie dicitur

II. XVIII. XXVII. IX. 1126.

Rex Lotharius natalem Domini Coloniæ celebrat: sed Archiepiscopus seu præuentus infirmitate, seu simulatâ, Sigebergam se contulerat. Inde Aquas-Grani venit in Theophania. * *Ibi legati Comitis Morinorum Karoli, scilicet Castellanus Gandæ, & Abbas sancti Petri ad eum venerunt, nuntiantes dominum suum Comitem subiectionem se ei facturum. Verumtamen Lotharingi Principes ab eius præsentia abstinuerunt. Sub noua enim potestate semper res nouæ conuertuntur: quod ilicò & ibi patuit. Nam Aquenses opidani & Rex non benè assenserunt, sed satis iniuriosè se tractauerunt. De Rege autem, & Frederico Duce, quomodo se habeant, non satis compertum: quia pro voluntate fauentium & contradicentium res extenuantur aut extolluntur. Hoc satis patet, quia graui dissidio labuntur.*

* Ex ms. Gembl. & Aquic.

* Anathema in medio terræ, facinus audax & indignum omnibus Sanctis vindicandum: ecce enim solutus satanas terras perambulat. Flandria & Burgundia longo terrarum situ disiectæ coniurant in apostasia proditoris Iudæ. Quidam Flandrensium proceres dominum suum Carolum Comitem Morinorũ, Brugis in templo sancti Donatiani, psalmos canentem, iugulant. Vnus atque idem satanas vno eodemque die simile nefas præsumit in Burgundia. Damnaticij quidam, dum diffidunt suæ saluti, vtpote rei maiestatis, dominum suum Guilielmum Comitem Sedunensium, gladijs confodiunt, in quadam ecclesia ante altare orantem. Actum secunda hebdomada Quadragesimæ, feria III. Kal. Martij. Homicidæ hac illac diffugientes, diuersis iniurijs, & digno sibi satis fine perierunt. Comitatus Morinorum à Ludovvico Rege Francorum datus Guilielmo, filio Rotberti Comitis Northmanniæ, fratris Guilielmi Regis Anglorũ. Hunc Robertũ olim ab Hierosolymis redeuntẽ, eo quòd præstitã pecuniã rehibere nequibat, idem frater suus Guilielmus Rex Anglorũ Northmannia expulerat, & eam sibi subiugauerat, fratremque in Anglia in custodiã liberam redegerat. Rex Lotharius Babenbergæ pentecosten celebrat: Dux etiam Boëmiæ cum multis millibus equitũ huc adueniẽs, domino Regi de superiore traditione satisfecit, & omnes quorũ parentes vel amicos occiderat, multa insignium donorum exhibitione, reconciliauit sibi. Cœnobiũ S. Hugberti in Arduenna Nonis Iulij, primo cõticinio noctis, cum omnibus appendicijs combustum est, saluo tamen thesauro & armario. In pago Lomacensi, villa Gerpinas, paupercula mulier, in festiua nocte S. Michaëlis, hordeum moluit, vnde ilicò panem faciens azymum coxit; quem dum frangeret ad edendum, sanguinem & aquam

Cõsentit Sperius Abbas Beritnianus. Sed Meyerus & alij annum à paschate incohãtes, hæc referũt ad an. superiorẽ.

ANNO CHR.	R.	F.	A.	H.

* Ex ms. Lips. elicuit. * *Balduinus Gandensis, inter primos Flandriæ & Brabantiæ Principes, sæculo renuntians tonsuratur, defunctusque in templo Affligemi sepelitur.*

1128.	III.	XIX.	XXVIII.	X.

Domnus Adelbero Episcopus Leodicensium obijt. Dominicâ die, V. Kalendas Februarij, auditum est tonitru, circa horam nonam. Domnus Alexander Archidiaconus, ex clero sancti Lamberti, XV. Kal. Aprilis, Leodicensium consecratur Episcopus. Cùm intrante Martio, serenus aër arrideret, ipso mense mediante, subitò totus in nube cogitur, & frigore riget, aquæ gelant, rura torpent, & nunc niue, nunc gelu, nunc pluuijs elementa soluuntur: subsequitur magna mortalitas ouium, agnorum, boum, vaccarum. Tandem miserante Domino, cuncta ad gratiā redeunt. In Litania maiori, III. Id. Maij feria II. Coloniæ grandis tempestas exorta est, fulmen quoque ingressum maiorem ecclesiam S. Petri, dexterum brachium Crucifixi discidit. Orta seditione & dissidio inter Guilielmum Comitem & Morinos, annitentibus Equitio & Daniele, Maioribus Flandriæ, accersitur Theodericus, filius Theoderici Ducis Alsatiæ, nepos Roberti Comitis Flandriæ ex sorore Gertrude. Sed dum Godefridus Dux Louaniensis Guilielmo Comiti auxiliaretur, congressio facta est vtriusque exercitus, ante castellum quod dicitur Alost. Ibi Guilielmus Comes quemdam militem aggrediens monomachiā, in dextro brachio lanceatur, & subrepente dracunculo, quinto die moritur. Comitatus Morinorum Theoderico datur à Rege Francorum Ludovvico, quia cognatus eius erat ex matertera Gertrude. Mediante Septembri, gelu valdè nociuum factum est, in quo legumina & vineæ perierunt, & quidquid exprimi potuit, in acredinem versum est. In Flandria multi fluuij sanguinei facti sunt, & fossata similiter. Rex Lotharius longa obsidione vrbem Spiram cingit, sed inefficax redit. * *Hoc anno cœnobium de Dunis in Flandria construi cœpit à domno Fulcone, primo ipsius loci Abbate.*

1129.	IV.	XX.	XXIX.	XI.

Cùm intrante mense Ianuario, gelu liqueretur, tanta inundatio niuis & pluuiæ fluuios & viuaria inflauit, vt sata proxima diluerent & excauarent, domos quoque vicinas subuerterent, & quæque in eis inuenta perderent. Feria III. Paschæ bouem cuiusdam rustici arantem cereus sudor delibuit, in parochia Gemmelacensi. Prælium apud Duratium inter Alexandrum Leodicensem Episcopum, & Godefridum Louaniensem Comitem, in quo tanta strages fuit, vt peditum vtrimque octingenti & XXIV. numero insimul oppetierint: exceptis his qui fugientes in segetibus vel in siluis vulnerati perierunt, & his qui in aquis præfocati sunt, & his qui ad sua regresi, incertis horis & diebus mortui sunt. Horum summa non potuit colligi. Actum VII. Idus Augusti, feria IV. Remis hoc anno in pascha, Ludovvicus Rex Francorum eleuauit in Regem filium suum post se, in præsentia omnium Episcoporum

porum & Abbatum regni sui. Pestilentia maxima boum, vaccarum, & porcorum, aprorum, ceruorum, caprearum. XVI. Kal. Nouembris facta sunt fulgura & tonitrua primo conticinio noctis, prima luna, V. feria. Hoc anno plaga ignis diuini, Carnotum, Parisios, Suessionem, Cameracũ, Atrebatum, & alia multa loca mirabiliter peruadit, sed mirabiliùs per sanctam Dei genitricem MARIAM exstinguitur. Iuuenes etenim, senes cum iunioribus, virgines etiam teneræ, in pedibus, in manibus, in mamillis, & quod grauius est, in genis exuruntur, & celeriter exstinguuntur. Apud Parisios ecclesiola est sancti Martini, in qua quidam hac infirmitate detentus se apportari fecit: vbi dum pernoctans, vrgentibus angustijs, vociferaretur, primo noctis cõticinio adest* S. Martinus, qua de caussa domum suam intrasset sciscitans. Ille infirmitatis suæ angustias demonstrans, orat sibi misereri. Cui S. Martinus: *Scito*, inquit, *in curia superni Iudicis terribilem & horribilem datam sententiam, hanc combustionis plagam per Galliam desæuire, & matrem misericordiæ precibus obtinuisse, omnes hac clade laborantes, & se inuocantes, misertum iri. Ideo Parisijs in templo ipsius sanctæ Virginis Matris deportari, & ibi habes sanari.* Cui ille: *Omnium ore beatus & miraculorum patrator diceris: hac de caussa domum tuam, sanitatem per te recuperaturus, intraui.* Et S. Martinus: *Sine permissione Virginis Matris, quæ peperit Deum nostrum, qui ignis consumens est, non poteris exstingui.* Discedit S. Martinus. Iterum rediens, iussit illum redire ad matrem misericordiæ. Et ille: *Aut per te sanabor, aut hîc moriar.* Et S. Martinus: *Sanat te Dominus Iesus Christus, precibus matris suæ: & hoc tibi signum. Tu primus, post te sex in hac domo sanabuntur. Ceterùm quicumque aduenerint, frustra laborabunt.* S. Martinus discedit. Ille sanatus prædicat sanitatem suam. Multi confluunt, ex magna copia non curantur nisi sex; sicut prædixerat S. Martinus. Parisijs confluunt ad ecclesiam Virginis-Matris, centum & tres vno die sanantur: duo seu iubente, seu permittente Domino non curantur, sed exstinguuntur. Apud Laniacum in die Ascensionis Dominicæ, tres ante aram perpetuæ Virginis exstinguuntur. Transeamus ad Suessionum ciuitatem. Ibi specialius præ omnibus locis per miracula innotescit gẽtibus Dei genitrix. Ibi muti, cæci, claudi, paralytici curati sunt, mortuus resuscitatus. Vidimus horrendum quiddam. Ignis diuinus nasum, labia, mentum paupérculæ mulieris exusserat; fætor, horror sentientes & videntes repleuerat. Expulsa de domo Virginis Matris, redijt ad propriam domum: pro expulsione, pro infirmitate dolet, gemit, orat dicens: *Heu mihi, mater misericordiæ omnes excipit, nullum expellit, præter me solam: Deus, qui factus es filius feminæ, propter misericordiam, sana me per feminam matrem tuam, propter tuam misericordiam.* Orauit, exaudita est. Nocte quæ incrastinascit in sabbatum, recepit sanitatem, restituta est ei caro sua, nasus, labia, mentum, omnia propria sua ex integro recepit. Videres nobile miraculum: caro illa similis facta est carni reliquæ, & quod mirabilius est, in coniunctione carnis veteris & nouæ, quasi signum tenuissimi fili pro testimonio apparuit. Adolescens quidam, quem Abbatissa eiusdem ecclesiæ, vbi ista gerebantur, ab infantia

** De varijs B. Mariæ & aliorum Sanctorum apparitionibus, vide Mart. Delrium, Disq. Mag. lib. 2. q. 26. sect. 5.*

Lue ignis ardentis per Galliã sæuiente, multi suffragio B. Virginis sanantur Parisijs.

Apud Suessiones.

ANNO CHR. R. F. A. H.

pro amore Dei nutrierat, surdus & mutus, dum in ecclesia meridianis horis quiesceret, visum est, quòd senior quidam, niueis indutus vestibus, aures & labia eius manu sua pertractaret, dicẽs: *Dic*, inquit, *Deus & S. Maria, miseremini mei.* Dixit hoc, sanatus agit gratias Deo, & omnis plebs magnificauit Deũ. Mulier de Remis ciuitate veniens cum filio ad domum S. Virginis, dum quærit animæ salutem, amittit filium, sed gratia Dei consolatur. Filius enim dum in area luderet, repentè in puteum vetustate destructum decidit, & mortuus est. Advesperascente die quærit mater filium, sed dum non inuenit eum, tristatur & clamat. Accurrunt vicini, turbatur ciuitas. Dicit quidam, quia vidisset eum super os putei cum pueris iocari. Intrò inspiciunt, vident eum mortuum iacentem: extractus matri redditur. Illa nihil cunctata ad ecclesiam vadit, tota ciuitas eam prosequitur. Ad ecclesiam veniens, coram altari Virginis Matris, eum exponit: quærit à matre misericordiæ, vt reddat ei filium. Ilicò exaudita est à matre misericordiæ: surgit puer, viuit infans qui defunctus fuerat. In testimonio camisia pueri suspenditur coram altari. Fama volat per aures omnium, cor & lingua contremit omnium per Gallias. In Viromandia, villa est Fontanas dicta, vbi in templo Virginis Matris crebrò fiebant miracula. Dum scirent quidam mercatores & peregrini sanctitatem loci, fide & deuotione firmi, & illò tenderent, obuiauit illis matrona quasi mater honorificata, sic eos alloquens: *Notifico vobis, quia Virgo & Mater Domini* MARIA *locum ampliori dilectione fecit dignum Suessionis. Moneo vos, vt illuc veniatis*. Illi dum non magnopere curant verba, quæ audierant, ecce etiam matrona quod primò indixerat, secundò reiterauit & abijt. Tanto attoniti miraculo, Suessionis tendunt, & venientes fores basilicæ obseratas perspiciunt, orant, exaudiuntur, ostia basilicæ Virginis Matris eis aperiuntur. Ergò quique rei, dum diuino igne exuruntur, ad illud nobile templum Virginis Matris cõfugiunt; & dum esset idem templum languentibus plenum, audite quàm gloriosè in momento curantur. Locus ille antiquissimus & nobilissimus subtalare sanctæ Virginis Matris apud se continet. Quadam igitur nocte dum omnes flerent, & mugitum cordis, ex nimia angustia, cum stridore dentium emitterent, conspiciunt lumen splendidum, & cum ipso matrem misericordiæ super altare descendere. Accedit Mater & Virgo ad vnum de ægrotis sciscitatur an velit sanari; intelligit cupitum eius desiderium sanandi. Tangit eum, sanatur, imperat, vt hæc itidem omnibus à se visa patefaciat. Tanguntur, sanantur, tota ciuitas lætatur: foramen per quod ingressum lumẽ de lumine, quasi pro signo remanet, & ab omnibus veneratur.* Carnotũ, vbi * camisia habetur eiusdem Virginis, innumera multitudo sanata est. Cameracus antiquissima & nobilissima ciuitas est, vbi templum habetur in honore ipsius Virginis Matris, ditatum de capillis & de beato lacte eius. Ibi multi infirmi sanati sunt, quorum numerum nemo nouit, nisi solus Deus. Atrebati in templo Virgini Matri dicato, tot & tanti curati sunt, vt omnis homo ad enarrandum elinguis fiat. Hæc præcipua loca conscripsimus, sed si

* Apud Carnutes

* De eo Bellefore-stius in sua Cosmographia.

Cameracenses.

Atrebates.

per

ANNO CHR.

R. F. A. H.

per alia loca, in memoriam eius dicata, vellemus euagari, vbi inedicibili potentiâ cunctos inibi confugientes mirabilis Domini sanauit potentia, nec sensus, nec ratio ad hæc sufficere posset. Balduinus Rex Hierusalē moritur.

Notatio de cereo Atrebatensi.

*Sæuiente per Galliam epidemica, * ignis ardentis, vt vocabant, lue, quæ multis annis mortales afflixit, Virgo Deipara, Anselmo Atrebatensi Episcopo, & cytharœdis duobus, Itherio & Normanno, noctu in basilica cathedrali orantibus, apparuit, eisq́; cereum ardentem tradidit, mandauitq́; vt guttas ex isto cereo in aquas destillarent, easq́; ægris, atque igne ardente laborantibus potandas darent, valetudini recuperandæ. Quod quidem cùm ab ipsis præstitum fuisset, infiniti pristinæ sanitati sunt restituti. Huius rei historia spectatur hodieq́; in vetusto marmore expressa, Atrebati in basilica cathedrali, ad tumulum Lamberti Atrebatensis Episcopi, hac addita inscriptione:* * Sigeb. an. 1089. & Baron. ibid.

*ANNO DOMINI MILLESIMO CENTESIMO DECIMO QVINTO, XVI. KAL. IVNII, OBIIT BEATAE MEMORIAE LAMBERTVS HVIVS ATREBATENSIS SEDIS CARDINALIS EPISCOPVS. PER HVNC RESTITVTA EST DIGNITAS HVIVS EPISCOPATVS, QVAE PER MVLTA TEMPORA CAMERACENSI EPISCOPO FVERAT COMMENDATA. HVIC EPISCOPO ET DVOBVS IOCVLATORIBVS ITHERIO ET NORMANNO BEATA MARIA IN HAC ECCLESIA APPARVIT, DANS EIS CANDELAM PER QVAM SANANTVR ARDENTES IGNE MALO.

De hoc eodem cereo ita Meyerus in Annalibus Flandriæ, in rebus gestis anni 1095. A Lamberto Atrebatium Episcopo comprobatus est memoratissimus ille Atrebatium cereus, duobus histrionibus, Itherio & Normanno, de cælo (vt ferunt) per Virginem Matrem traditus; qui & alios quidem sanare morbos, sed præcipuè contra ignem sacrum præsentissima præstare dicitur remedia: vnde & multi alij cerei, vt Brugensis, Falcobergensis, Bononiensis, Nigellanus, Arkensis, Blandecanusque deriuati. *Adde &* Insulensem; *quē Insulis, Flandrorū vrbe, mercatu nobili, in sacello fori adseruāt, itemq́;* Pequicuriensem, *in agro Duaceno, apud Aquicinctum, & alios alibi celebres. Porrò cereus ille Atrebatensis etsi sæpiùs accendatur, & plures etiam per horas non rarò ardeat, nulla tamen sui parte minuitur, non sine ingenti miraculo. Quin imò, cerei à me iam commemorati, & alij non pauci, ex guttis eius vnum in corpus collectis (vt ex ijs massa paullatim crescens hodieq́; spectatur) confecti sunt. Adseruatur autem cereus Atrebatensis, in ipsius fori sacello, à collegio seu societate ciuium, quam Ardentium vocant, iam olim instituta, & priuilegijs cohonestata; à societate inquam hominum prorsus laicorum, non sine diuina, vt mihi quidem videtur, præordinatione: ne quis à clericis aut sacerdotibus, ad quæstum (vt religionis nostræ hostis hodie ferè calumniari solent) hæc talia confingi suspicetur.*

Ceterùm Sixtus V. Pont. Max. rei vniuersæ historiam seriò discuti, & per Notarios in Acta publica referri mandauit. Clemens verò Octauus Indulgentias dictum sacellum visitantibus impertiuit, diplomate an. 1597. Sept. XIII. dato.

Ne cui autem ista fortasse minùs credibilia videantur, moneo similia legi apud Ioannem Moscum in Prato spirituali, & apud Gregorium Turonensem lib. 1. De gloria martyrum cap. 5. & 32. & alibi. Præter loca ab Anselmo Gemblacensi commemorata, fuit & Tornacum peste ista, vt appellant, ignaria, seu sacro igne grauiter afflictum, vt Meyerus Annalium Flandriæ scriptor, in rebus gestis anni 1092. commemorat. Additq́; eo ipso tempore, à Radbodo eius vrbis Episcopo, solennem supplicationem, iræ Dei placandæ, institutam fuisse: quæ hodieq́; ipso die Exaltationis S. Crucis quotannis institui solet. Apud Parisienses porrò visitur etiamnum basilica S. Genouefæ, Ardentium, vt vocant, duratq́; mali huius ac remedij memoria.

V. XXI. XXX. XII. MC. XXX.

Lotharius Rex vrbem Spiram, alternis annis vicissim obsessam, tandem capit, III. Nonas Ianuarij, feria VI. immunitate concessa. Lambertus, qui & Honorius Papa moritur. Romanæ Ecclesiæ pax interpolatur, altercantibus 1130.

ANNO CHR. R. F. A. H.

Consule Baronium Alf. Ciaconium, & alios pontificiæ historiæ scriptores.

bus duobus de Sede Apostolica, quodam Gregorio, & altero Petro Leonis, gente Romano, monacho Cluniacensi. Gregorius priuilegium electionis ab Honorio Papa adhuc viuente, consensu quorumdam Cardinalium, sibi vsurpat: Petrus altitudine sanguinis glorians, domũ Crescentis inuadit, cædibus, hominum rapinis, incendijs grassatur. Gregorius veritus potentiam Petri, profugus à S. Paulo in Spoleto, emenso mari, tandẽ apud S. Ægidium appulit. Postea venit in Burgundiam, & à Cluniaco excipitur, & fauore omnium Francorum celebratur. Deinde Lotharius Rex Alemanniæ, quorumdam suorum Episcoporum ambitione delinitus, legationem à Francis de Gregorio benignè honorat, & in eius electione coniurat. Peronæ ecclesia S. Fursei penitus comburitur. Fulco Comes Andegauensis fit Rex Hierusalẽ. Ecclesia S. Petri in Louanio crematur cum toto opido. *Hugo de S. Victore, simplicitate & morum honestate præcipuus habetur; qui & diuersa opuscula conscripsit.* * *Domnus Aibertus ex monacho Crispiniensis in Hannonia cœnobij, consensu Lamberti Abbatis, claret reclusus: cuius vitam Robertus, Ostreuandensis Archidiaconus, diligenti stilo elucidauit.*

* *Ex ms. Aquic.*

1131. VI. XXII. XXXI. XIII.

a Cõsentiũt Dodechinus & Laurẽtius Leodicẽsis in ms. Episcoporum Virdunensium historia.

Gregorius multo comitatu Episcoporum & Abbatum, à Francia exiens in Lotharingiam transit, & Dominica tertia Quadragesimæ, quæ est XI. Kal. Aprilis,[a] Leodium venit. Ibi à Lothario Rege Alemanniæ, & multis Episcopis & Abbatibus, tam Lotharingis, quàm Transrhenensibus, muneribus honoratur; tota ciuitas in obsequio feruet, salutationibus & epulis vacat. Dominica in medio Quadragesimæ Gregorius, cum curribus & redis, ab ecclesia S. Martini in publico monte, quasi Romæ via triumphali, vsque ad capitolium S. Lamberti adscendit; Missam celebrat, Regem & Reginã coronat, coniugatos presbyteros excommunicat. Existimati sunt à quibusdã XXXII. Episcopi adfuisse, & Abbates LIII. Ciuitas Vultraiectum ex maxima parte concrematur, scilicet palatium Episcopi, & maior ecclesia S. Martini, & altera S. Bonifacij, & tertia S. Mariæ. Hugo[b] Candauena exortis inimicitijs contra opidanos S. Richarij in pago Pontiuo, totum opidum cum ecclesia S. Richarij penitus combussit: in qua ecclesia aliquot monachi, & inæstimabilis multitudo promiscui sexus, quod dictu nefas est, simul concremata perijt. Gregorius, qui & Innocentius Papa, Remis post festum S. Lucæ Euangelistæ, concilium habuit cum Episcopis & Abbatibus CCC. mediãte Francorum rege Ludouico, cum filio qui secundus erat natu. Nam primus antea coronatus tunc fortè Parisius venerat, & vt fertur, à[c] dæmone in specie porci ludificatus dum hac illac equum girat, subitò corruit examinis. Vnde pater valdè mæstus Remos adueniens, secundum natu filium secum aduexit, & à Papa inungi & benedici & coronari in Regem impetrauit. Fredericus Coloniæ Archiepiscopus obijt. *[d] Defuncto Roberto Atrebatensi Episcopo, successit ei in pontificatu Aluisus, Aquicinensis ecclesiæ sextus Abbas, vir*

b Campdauena, *Comes S. Paulli. Est hodieq; opidum S. Paulli, apud Artesios, Comitatus titulo insigne, vnà cũ ditione adiuncta.*

c *Consule historicos Franciæ.*

d *Ex ms. Aquic.*

magna

R.	F.	A.	H.	ANNO CHR.

*magnæ religionis & singularis seueritatis. Cui in Aquicinensi ecclesia substituitur * Gozuinus septimus Abbas. Milo Abbas sancti Iudoci in Nemore, ordinis Præmonstratensis, XV. Kal. Martij, consecratur Episcopus Teruanensis. Hoc anno inceptum est monasterium sanctæ Mariæ, Valcellensis ecclesiæ, in agro Cameracensi. In Aurea Valle apud Treueros beatus Bernardus sui ordinis monachos collocat.*

* Gozuinus.

VII.	XXIII.	XXXII.	II.	1132.

Rex Lotharius natalem Domini Coloniæ celebrat. *Hic tumultuante multorum dissidentium seditione, electio S. Ecclesiæ Coloniensis diu multumque cassata est.* Iterum tertia hebdomada Quadragesimæ, Coloniam veniens nihil dignum regali serenitate egit. Deinde Aquas veniens in Pascha, nihil de statu regni ordinare voluit, imò omnium rerum querelas in respectu distulit. Domnus Bruno, ex clero S. Petri, Coloniæ fit Archiepiscopus. Ratisbona ciuitas tota pænè est combusta. Rex Lotharius, collectis viribus, Romam vadit cum Innocentio Papa; sed vario euentu rerum multas difficultates in eundo patitur. * *Sanctus Hugo Gratianopolitanus Episcopus transijt: cuius vitam virtutibus plenam, Guigo venerabilis Carthusiæ Prior, præcepto Innocentij Papæ, eleganti stilo descripsit. Conuentus monachorum, cum Abbate suo Radulfo, ex Anglia oriundo, venit ad locum, qui vocatur Valcelle, Kalendis Augusti. Hos adduxit beatus Bernardus Abbas Clareuallensis.*

* Ex ms. Ortel.

VIII.	XXIIII.	XXXIII.	III.	1133.

IV. Nonas Augusti, luna xxvij. meridie, facta est eclipsis solis ferè dimidia hora, & stellæ visæ sunt in cælo. Rex Lotharius veterem Romam ingressus, Innocentium Papam in patriarchio Lateranensi relocat, & ab ipso in Imperatorem benedicitur. Sed Romanos à discidio partium nequiens reuocare, dissimulato negotio, inefficax redijt. Petrus verò pseudopapa in domo Crescentis regnat, & alter in alterum prædis, rapinis, incendijs, deseuit. In villa Namuco, dum vaccam occisam mango aperit, fœtus duorum capitum apparuit. Legumen & auena hoc anno prouentum messis satis sunt ementita. * *S. Mariæ ecclesia Teruanensis dedicata est à IV. Episcopis, scilicet Milone ipsius ciuitatis Episcopo, Guarino Ambianensi, Simone Nouiomensi ac Tornacensi, & Aluiso Atrebatensi.*

* Baron. Lege.

* Ex ms. Ortel.

IX.	XXV.	XXXIIII.	IV.	1134.

Congregatio Malisuensis ecclesiæ, quæ est in Bracbanto, omnibus fidelibus salutem: XII. Kal. Febr. lupus venenatus & insanus, qui intra corpus suum tres colubros habebat viuos, consuetas latebras linquens, rura petijt, & innumeram multitudinem porcorum, ouium, canum, & armentorum morsu venenato exstinxit. Postea vasto impetu homines inuadēs, plusquàm duodecim morsu suo malè multauit; quorum IV. misera morte defuncti sunt: hi verò ante obitum suum, nullum liquorem videre vel gustare po-

ANNO CHR. R. F. A. H.

potuerunt. Tandem à quattuor viris fortissimis comprehensus & euisceratus fidem malitiæ suæ de colubris patefecit. Iste annus, præ nimia siccitate, satis calamitosus, quia auenæ, hordea & legumina prouentum suum nimis sunt ementita. Theobaldus Comes Blesiensis, siue Carnotensis, præ cunctis principibus Galliæ, magno pondere iustitiæ eminet in Francia; religiosis monachis, & clericis pius ac familiaris, ecclesiæ defensor, pauperum adiutor, mærentium consolator, in commercijs negotiatorum cautus & discretus, in reis & à recto deuiantibus vltor & vindex. Kalendis Octobribus, intempestæ noctis silentio, motus magnus factus est in mari, ita vt litora sua præteriret, & tamen in se iterum resideret. Sequenti verò nocte, primo crepusculo, cum omni impetu terminos egrediens, omnia circumquaque, id est villas, castella, ecclesias ita pessumdedit, vt tres Comitatus, id est, VValecras, & VVales, & * Brebant, cum homine & pecore, penitus exterminaret. *Hoc anno cœpit ædificari eremus Montis Dei, X. Kal. Iunij. Norbertus fundator ordinis Præmonstratensis, & Archiepiscopus Magdeburgensis, ab expeditione Italica cum Lothario Imp. in Germaniam reuersus, Magdeburgi moritur.*

* Bebāt.

1135. X. XXVI. XXXV. V.

In ciuitate Tornaco natus est agnus vnius corporis, duûm capitum, IV. aurium, IV. oculorum, VIII. pedum. In villa, quæ dicitur Brania, mense Aprili, natus est infantulus carens collo & capite, ocellos habens in spatulis. Lotharius Rex & Fredericus Dux Sueuorum paciscuntur. * *Bernardus primus ex Francis Patriarcha Antiochenus obijt.*

1136. XI. XXVII. XXXVI. VI.

Cœnobium S. Vedasti Atrebatensis concrematur, cum claustro & officinis, & magna opidi parte; nec meminit aliquis nostra ætate, tot villas, tot ciuitates, tot castra, opida, vel municipia concremata fortuito igne, quot in huius anni spatio combusta esse referuntur. *Domnus Alexander Leodiensium Episcopus moritur.*

NOTATIO.

Explicit Chronicon Anselmi Abbatis Gemblacensis.

Quæ subnectuntur, ad annum vsque Christi 1149. ex ms. potissimùm codice Gemblacẽsi desumsimus; suntque à monacho, vt equidem existimo, Gemblacensi, illorum ferè temporum æquali, adiuncta.

AVCTA-

AVCTARIVM GEMBLACENSE.

Anselmus VIII. Abbas Gemmelacensis cœnobij obijt: qui adhuc iuuenis, etsi corpore inualidus, tamen erga Dei cultum & Scripturarum exercitium erat strenuus. Hic chronicàm istam, à fine chronicæ à Sigeberto, Gemblacensis ecclesiæ monacho descriptæ, ad hunc vsque annum produxit, & visa, vel à fidelibus relatoribus audita, posterorum notitiæ dereliquit. Discordiæ malum quia perniciosum sit omnibus, plus iam nostris tribulationibus, quàm in codicibus legimus. Cùm enim monachi cum opidanis, opidani cum monachis non concordarent in substituendi Abbatis electione; ad hoc vsque processit malum discordiæ, vt Godefridus Dux Louaniensis, & Comes Namucensis, rupto pacis fœdere, hostiliter inter se concertarent multo tempore. Erat autem cernere miseriam, & omnium rerum deprædationem violentissimam, homicidia sæpissimè fieri, villas cum habitatoribus concremari, in tantum vt Gemblacensi opido, cum parochiana ecclesia, combusto, cum maximo inhabitantium periculo, Dei clementia, maius monasterium, quod est contiguum, vndique grassante incendio, iam succensum, miro restinxerit modo. Vicini enim fluminis alueus, riuo suo magna ex parte subitò est euacuatus, ita vt arenæ eius cernerêtur à circumcursantibus, & his qui resistebant hostibus; eiusque aqua superfusa monasterio, in modum pluuiæ, incendium omne restinxit Dei virtute. Ne cui autem videatur hoc incredibile, multæ hoc hodieque attestantur non solùm laicales, sed & ecclesiasticæ personæ. Ludovvicus Rex Francorum * obijt; filius eius æquiuocus succedit. Rex Lotharius multo regni sui congregato exercitu, Romam secundò proficiscitur, duorum de Sede Apostolica contendentium discordiam, ad pacis & vnitatis cupiens reuocare concordiam. Mons Castrilocus, cum templo S. VValdetrudis & toto penè opido concrematur. Domnus Adelbero, ex clero Mettensi assumtus, datur Leodicensium Episcopus. Monasterium S. Dionysij in * Brokororht comburitur, cum claustro & omnibus appendicijs & opido; vix anno XII. interioris combustionis expleto. Rex Anglorum Henricus obijt, vir pauperibus & ecclesijs Dei multæ benignitatis, ac per hoc etiam multæ liberalitatis. Angli diu habitâ deliberatione, quem sublimarent regio nomine & honore, sine liberis defuncto Henrico Rege, Stephanum consobrinum eius constituerunt pro eo regnare. *Sanctus Leopoldus Marchio Austriæ moritur.*

* Alij an. 1135.

* In Broquerota, apud Hanones.

XII. I. I. VII. 1137.

Rex Lotharius, anno vno & mensibus V. cum expeditione militari in Italia commoratus, ab ingressu abstinuit vrbis Romæ; quia duorum de Sede

ANNO CHR. R. F. A. H.

Apostolica contendentium prælia & seditiones nequiuit compescere. Rogerium Siciliæ Ducem, sibi resistentem, bellica congressione frequenter attriuit, prouinciam eius cæde & incendio deuastauit; sed tamen eum ad deditionem non compulit. Dum ergo varius euentus belli esset, & nec hos nec illos gladius consumeret, Rex Lotharius morte præuentus, bellum cum vita finiuit, & propter incursus vndique imminentium hostium, non manifestè, sed quasi occultè à suis delatus, in Saxonia est tumulatus. Bruno Coloniensium Archiepiscopus obijt in expeditione Italica, VI. anno sui præsulatus. Petrus Leonis decessit ex hac vita, qui Sedem Apostolicam retinere conabatur cum violentia. Ecclesiæ Dei & Gregorio Papæ pax est reddita, & cessauerunt seditiones & prælia. Arnulfus ex monacho sancti Nicasij Remis, datur Abbas Gemblacensis. Prudens lector, habeo tibi aliquid dicere, cupiens magis doceri, quàm docere. Beatus Gregorius dicit, inconueniens esse, ea quæ carent grauitatis soliditate, in libris congerere. Studiosis enim lectoribus non sunt vtilia, sed fastidiosa. Hoc exemplo, nos de multis quæ contingunt conscribimus pauca, sed eminentiora: vt habeatur secundùm legem chronicæ, rerum gestarum breuiter digesta veritas; & caueatur inutilis, & vndecumque congesta prolixitas. Si autem aliquid conscriptione dignum æstimaueris à nobis prætermissum, studiosis scripturarũ scias esse dimissum, quia non omnia possumus omnes, nec omnia volunt omnes: & laudatur quidam dixisse prudenter & breuiter,

Quid dem, quid non dem, renuis tu, quod iubet alter.

Ex ms. Ortel. * *Guilelmus Dux Aquitaniæ & Comes Pictauensis, filiam, quam heredem habebat, Ludouvico filio Regis Francorum, moriens sponsam dereliquit. Ad quam ducendam filius Regis profectus, interim patre Rege defuncto, in regno stabilitur; & regnum* *Ex eod.* *Franciæ & Ducatus Aquitaniæ copulantur.* * *Abbas Fulco domum suam de Dunis, & domum de Claromaresch, quam simul incohauerat, in capitulo Claræuallensi, sub manu domni Bernardi, ordini Cisterciensi, die S. Petronillæ virginis, tradidit.*

1138. I. II. II. VIII.

Rex Danorum, auditâ morte Regis Anglorum, cum multo nauium apparatu, cum militari & pedestri exercitu, fines Angliæ deuastabat, omni crudelitatis genere, dicens antecessorum suorum hereditario iure & collimitanei maris vicinitate, sibi magis deberi regnum Angliæ, quàm Stephano Regi & Northmannis, ex VVilhelmi bastardi peruasione. Rex Anglorum reputans periculosum primo impetu cum tam efferato hoste non ex æquo confligere, habitâ dilatione & inspectâ oportunitate, dispersos longè lateque & inhiantes prædæ, facili superauit congressione, multísque eorum aut interfectis aut captis, reliquos cõpulit cum dedecore ad propria redire. Post mortem Regis Lotharij, non ferentes Principes Teutonici regni aliquem extraneum à stirpe regia, sibi dominari, Regem constituerunt sibi Conradum virũ regij generis. Erat quippe ex sorore nepos Heinrici quinti Regis, quartĩ Impe-

R. F. A. H. ANNO CHR.

Imperatoris huius nominis. Heinricus Dux Baioariorum, quia filia Lotharij Regis ei nupserat, & iam liberos ex ea susceperat, Conradum regno sublimatum, & se alienatum grauiter ferebat, & quoscumque poterat, ab eius amicitia & fidelitate auertebat. *Malachias Archiepiscopus totius Hiberniæ, & legatus S. Apostolicæ Sedis, Apostolicam ducens vitam sanctitate, doctrina, & miraculis claris habetur; qui & mortuum suscitauit: de quo Bernardus Abbas Clareuallensis, qui vitam eius luculento sermone describit, inter cetera sic ait: O virum Apostolicum, quem tot & talia nobilitant signa Apostolatus sui! in Clareualle nutu Dei *sepelitur.* Hugo post Brunonem datus Coloniensium Archiepiscopus, dum Romam adiret consecrandus, peregrè est defunctus, eique successit Arnulfus. * *Rainaldus Remensis Archiepiscopus obijt. Fulco Abbas Dunensis officium Abbatis dimisit, & domnus Robertus Brugensis, Abbas Dunis constituitur. Honorij Augustodunensis presbyteri chronicon desinit.* *Alij an. 1148.

II. III. III. IX. 1139.

Godefridus Louaniensis, Dux Lothariensium, magnum patriæ suæ decus, vir suo tempore & tempori & honori sciens se decenter conformare, * moritur, & Affligemensis templi sepultura honoratur. Conradus tertius Rex huius nominis, Godefridum, filium Godefridi Ducis, facit paterni honoris successorem, eâ maximè pro causâ, quia suæ coniugis sororem ei dederat vxorem. Heinricus Dux Baioariorum, adhuc contrarius existens Conrado Regi, nec attendens illud dictum mundanæ sapientiæ: Leuius fit patientia, quidquid nefas est corrigere, irremediabili morbo tristitiæ, peruenit ad extrema vitæ. Gentis Anglorũ principes à Rege suo dissentiẽtes, dum alter alteri variè assentitur, gens tota per eos affligitur. Paludes & fontes, qui per aliquot annos tanta defecerant siccitate, vt putarentur non posse denuo refluere, mirantur multi non solùm fluere, sed & solitò maiores aquas emittere. *Deiecta est vetusta Einhamensis apud Flandrenses ecclesia, & incæpta est noua à Snellardo Abbate. Ab isto anno cæpit fames, duodecim annos perdurans.* *Alij an. 1140.

III. VI. IV. X. MC. CXL. 1140.

Eclipsis solis facta est IV. Non. Aprilis, advesperascente iam die, & cælo serenissimo existente, sol, quasi tetro velamine, videbatur circumfusus eclipsica caligine. Exortâ discordiâ inter Adelberonem Episcopũ Leodicensem, & Heinricum Comitem Namucensem, multa hinc inde contigerunt mala, prædæ & incendia, cædes & homicidia. Caussa huius discordiæ. Comes Namucensis ex improuiso aggressus opidum, quod Fossis dicitur, quia nomen tale sibi dat situs ipse loci, multis captis aut occisis, multâ prædâ abductâ, opidum totum cum monasterio B. Foillani combussit, ædificia lapidea quæcumque eminentiora erant destruxit. Heinricus Comes Lemburgensis, dolens se priuatum honore Ducatus, quem pater suus habuerat, Godefrido Duci rebellis erat, contiguos sibi possessionum eius reditus inuadebat, & sicubi præ-

ANNO CHR. R. P. A. H.

ualebat, nulli amicorum eius parcebat. Godefridus Dux, grauiter ferens insolentiam eius, opidum S. Trudonis, cum multo equitum peditumque exercitu obsedit, ciues ad deditionem coëgit, obsides promissæ sibi fidelitatis accepit. Deinde cum eodem exercitu progressus, & Aquas-Grani opidum ingressus, cum multo potentatu, per biduum in sede iudiciaria resedit, exactiones quas Ducem Lotharingiæ exigere decebat, exegit, opidanos suæ fidelitati astrinxit, & ne Heinrici Comitis fautores essent, ostentatione potentiæ suæ deterruit. * *Heinricus Comes, filius Ducis Godefridi superiore anno defuncti, militiæ cingulo deposito, Affligemensis monachus factus, cælestis militiæ signaculum accepit, & citò vocatus à Deo, migrauit.* * *Samson Carnotensis ecclesiæ Præpositus, Remorum ordinatur Archiepiscopus. Apud Tornacum adolescens clericus, Henricus nomine, multa in spiritu vidit. Vitam quoque S. Eleutherij, Tornacensis Episcopi, notitiæ hominum tradidit, & alia multa tam de ipsius vrbis episcopatu, quàm de ceteris rebus prophetauit. Otho Babenbergensis Episcopus, Pomeranorum Apostolus moritur.*

* *Ex ms. Lips.*

* *Ex ms. Orval.*

1141. IV. V. V. XI.

Conradus Rex quosdam regni sui optimates, sibi resistentes, cogit suo parere imperio, munitiones eorum oppugnando aut expugnando. Rex Anglorum Stephanus, non satis cauens dubios animos Principum, fictâ sibi amicitiâ adhærentium, dum quosdam hostes expugnare nititur, à suis derelictus, & ab hostibus interceptus capitur, & custodiæ mancipatur. Plaga * ignis diuini multos adurit; sed per intercessionē S. Dei genitricis MARIAE aliorumque Sanctorum, multis hac ægritudine laborantibus misericordia Dei subuenit. Rex Hierosolymitanorum cum suo exercitu, fultus auxilio Christianorum, loca sancta, vbi pedes Domini steterant, visitantium, Ascalonitas, omni commeatu excluso, terra marique oppugnat, quorumdam etiam hostium castra propinquiora expugnat. * Adelbero huius nominis II. Leodicensium Episcopus, dolens fraudulenta inuasione Comitis Raginoldi, iam per VII. annos violenter retineri castrum Bullonium, quod cum omnibus appendicijs suis Otbertus Episcopus multa summa argenti acquisierat episcopio Leodicensi, nec ferens tantum honoris & commodi, ad præsens sibi & in posterum auferri Ecclesiæ Dei, opportunitatem exspectabat, qua iustè repeteret, quod ecclesia iniustè amiserat. Deus autem qui ei ad hoc dederat affectum, bonæ voluntati eius dedit effectum. Inspectâ enim opportunitate castrum obsedit, cum multa equitum peditumque multitudine: plus tamen de diuino quàm de humano confidens auxilio, corpus B. Lamberti ad locum obsidionis iussit deferri, sic sperans quod incohauerat, prosperari & accelerari. Nec frustratus est spe sua. In paucis enim diebus castrum recepit cum Dei & S. Lamberti auxilio, quod multo tempore, multorum labore nimio, vix longa reddidisset obsidio. Quanta ibi contigerint, quanta etiam nunc contingant ad corpus B. Lamberti miraculorum insignia, quia non est huius

* *Vide supra an. 1129.*

* *Cōsentit Nic. Canonicus & Scholast. Leodiēsis, qui victoriam ac triumphū S. Lāberti in hac expeditione Bulloniēsi, contra Raginoldum Comitem Barrēsem, descripsit, exstatq; ms. Leodici.*

R.	F.	A.	H.	ANNO CHR.

huius operis, prudentioribus relinquimus æstimanda, vel si eis placuerit describenda. * *Hugo Prior ecclesiæ S. Victoris Parisiensis, multa Ecclesiæ sanctæ vtilia scripta relinquens, diem obijt.* * Ex ms. Ord.

V.	VI.	VI.	XII.	1142.

Rex Anglorum, quibusdam pacis conditionibus solutus à captione, qua tenebatur, iterum Angliæ genti principatur. Rex Francorum frequenter admonens, & per se & per legatos suos, Thietbaldum Comitem Blesiensium, ne violenter inuaderet & retineret aliena, cùm ei satis superque possent sufficere propria, animaduertit ea quæ admonendo dicebat, surdis auribus audiri, decreuitque pugnando agere, ne posset contemni. Denique cum multo comitatu aggressus castrum eius, quod Vitreiacum dicitur, opidanos & milites sibi resistentes aut cepit aut occidit. Opido succenso in tantum ignis excreuit, vt etiam castrum, quod in eo erat valdè munitum, cum multo inhabitantium periculo, concremarit. In hoc prælio vel incendio capti, cæsi aut concremati, ad mille quingentos sunt æstimati. In vicinia Louaniensi mel stillauit de cælo, in modum roris, quod verum mel fuisse, probauerunt multi visu, gustu, & contrectatione. Conradus Rex in opido, quod Franckenfort dicitur, cum multa frequentia optimatum regni sui, curiam habuit, & quæ confirmanda erant, eorum consilio & iudicio confirmauit, & corrigenda correxit. Deinde cum non multo comitatu aggressus quosdam Sclauorum rebelles, regnum inquietantes, non vt putauit, eos imparatos inuenit, ideoque viriliter resistentibus ad horam cessit. Nec multò pòst incautis superueniens improuisus, multos eorum cepit aut occidit, multos eorum in fugam versos, in flumen, quod contiguum erat, demersit, reliquos multâ summâ gratiam redimentes, ad deditionem compulit. In parochia Gemblacẽsi natus est puer monstruosus, qui miraculo & horrori se aspicientibus fuit, sed post modicum obijt. Godefridus iunior, II. Dux Lotharingiæ, IV. anno sui Ducatus, immatura morte præripitur; hepatica passione consumtus, Louanij in templo tumulatur. Succedit filius eius æquiuocus, primum adhuc agens ætatis annum. * Vide Baron.

VI.	VII.	VII.	XIII.	1143.

Regnum Francorum magnam patitur perturbationem bellorum, per discordiam Regis & Principum, inter quos eminebat Tietbaldus Comes Blesiensium. Rex Anglorum, necdum pacato regno suo, contumaces subiugare volebat, sed non valebat, quia tutam fidem nusquam reperiebat, & conatus suos non prosperari sed frustrari dolebat. Conradus Rex concessit filio Godefridi Ducis iunioris adhuc pueruIo, quidquid beneficij vel honoris antecessores eius habuerant de manu Imperatoris. Pagani vicini Hierosolymitanis Christianis, pertæsi malorum & frequentis oppugnationis Christianorum, pactum pacis inierunt cum eis, & terras, quas eis Christiani abstulerant,

ANNO CHR. R. F. A. H.

ftulerant, & quæ incultæ erant, sub tributo colendas susceperunt ab eis. Gregorius Papa, qui & Innocentius, obijt. * VVido, qui & Cæleſtinus, Papa succedit.

* Guido.

1144. VII. VIII. VIII. XIV.

Hiems hoc anno nimietate pluuiæ & vento vehementi periculosa exſtitit, & damnosa in tantum, vt siluas, templa, turres, & ædificia, quæ putabantur firmiſsima, aut funditus subuerterit, aut magna ex parte destruxerit. * VVido, qui & Cæleſtinus Rom. Ecclesiæ præsidens, obijt. Gerardus qui & Lucius, Papa succeſsit. Fames grauiſsima hoc anno multos afflixit, & multos panis penuria pauperauit. In regno autem Anglorum in tantum dicitur præualuiſſe, vt maximam vtriusque sexus multitudinem contigerit fame interijſſe; nec tantummodò pauperes & mediocres, sed & eorũ multi qui putabantur sibi sufficientes eſſe, duro famis gladio perurgẽte, coacti sunt aliò emigrare, vt malum inopiæ si non ex toto euitare, saltem poſſent alleuiare. Triticeæ meſsis maturitas & collectio prouenit tardiùs solitò, quia, nimietate pluuiæ impediente, vix potuerunt meſſores VIII. Kal. Septemb. metere, quod aliquoties vidimus eos VIII. Kal. Augusti meſſuiſſe. * Fulco IV. Rex Hierosolymitarum, quinto decimo anno regni sui, vita deceſsit. Balduinus filius eius ei succeſsit. Rex Francorum, sciens quia perturbatio capitis perturbatio eſt membrorum, vt sedaret perturbationes regni sui, acquieuit confœderari Thietbaldo Blesiensium Comiti. Conradus Rex sciens per se, sciens religiosorum virorum admonitione, quantum reuerentiæ debeatur ecclesiaſtico ordini, cui Deus dicit, Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei: si quos elatos faſtu sæcularis potẽtiæ contra Episcopos vel contra alios ecclesiæ sanctæ Prælatos nouerat, insolenter agere, regia censura cogebat eos ab insolentia desiſtere, & illis quos offenderant decenter satisfacere. Vineæ & arbores fructiferæ non exhibuerunt solitam vbertatem, sed in prouentu difficultatem, & in fructibus habuerunt raritatem & acerbitatem.

* Consentiunt Onuphrius & Ciacon.

* Guil. Tyrius dicit an. 1142. defunctum, cui potiùs credimus.

1145. VIII. IX. IX. I.

Regnum Christianorum, quod adquiſierunt exterminatâ multitudine paganorum, Hierosolymam & confines eius vrbes poſsidentium, sui exordij habet hunc annum quinquagesimum primum. Laus eſt & gloria Christi, quòd Christiani, cum eius auxilio, poſsident regionem, in qua per semetipſum, & per Apoſtolos initiauit Christianam religionem. Gerardus, qui & Lucius Papa obijt. Bernardus, qui & Eugenius, ei succeſsit. Remis in cœnobio beati Remigij S. Gibrianus Scottus multis claret virtutibus, & multo populi concurſu frequentatur. Adelbero Leodicensis Episcopus vita diceſsit. Heinricus aſſumtus ex clero sancti Lamberti, secundus huius nominis præsul, ei succedit. [a] Ciuitas [b] Edeſſa, quæ & Rohaiz dicitur, multo

a Codex Aquic. hic annum Christi 1145. inchoat.

b Consentiunt Dodechin. Tyrius, & Vrſperg.

R. F. A. H. ANNO CHR.

multo tempore à Christianis possessa, per negligentiam Christianorum & insidias paganorum capitur, omnesque qui in ea inuenti sunt, perfectæ ætatis Christiani trucidantur: adolescentes vtriusque sexus per diuersas paganorum prouincias in seruos & ancillas venundantur. Northmanni qui subditi fuerant Heinrico Regi Anglorum, paruipendentes successorem eius Stephanum, subdunt se regimini Comitis Andegauensium. Conradus Rex apud* Andernacum, in vicinia Treuerorum, pentecosten celebrauit, & quosdam sibi rebelles oppugnando & expugnando ad deditionem compulit. *Obijt Iwainus de Alost: Quidam Turcus, nomine Sanguinius, Edessam cepit, Christianos occidit in illa ciuitate degentes, & ecclesias profanauit.*

* Athernacum.

* Ex ms. Ortel.

IX. X. X. II. 4146.

Hæresis Eunitarum intra Britannias pullulat. Horum princeps erat quidam peruersæ mentis, Eunus nomine: qui cùm esset idiota & ipsos apices litterarum vix agnosceret, tamen polluto ore de diuinis tractabat & disputabat. Hic nefario ausu, absque sacris ordinibus, Missas celebrabat indignè, ad errorem & subuersionem perditorum hominum: Episcopos etiam & Archiepiscopos, his qui sibi adhærebant, ordinabat. Multa quoque alia faciebat scelerata, & diuinæ legi contraria. Ad postremum, diabolico spiritu complexus, in tantam prorupit insaniam, vt diceret & credi cogeret se esse filium Dei, affirmans se esse eum, per quem sacerdotes in Ecclesia generalem collectam solent terminare, dicendo, Per eundem Dominũ nostrum. Quanta autem turpia & execrabilia agant in abscondito hæretici isti, qui vocantur Eunitæ, id est, sequaces Euni, bonum est silentio tegere, ne horrorem incutiant, vel etiam errorem generent infirmis auditoribus. Fames grauissima iamdiu concepta, in tantum longè lateque præualuit, vt excrescentem pauperum multitudinem nullatenus sine magno grauamine sustentare possent hi, qui respectu Dei, vel pietatis affectu manum misericordiæ porrigebant eis. Multos etiam qui victu & alijs necessarijs abundabant, malum famis ad mendicitatem deduxit. Occidentales Christiani, dolentes de subuersione vrbis Edessæ, quæ & Rohaiz dicitur, quam pagani superiore anno vastantes, cultum Christianitatis in ea omni spurcitiarum genere contaminauerant; pro his, inquam, omnibus iusto dolore commoti, vno animo, pari consensu, ad debellandos eos proficisci deliberant. In tantum autem erant omnes promti & alacres ad hanc professionem, vt & Conradus Rex Teutoniæ, & Ludovvicus Rex Franciæ, religiosorum virorum, *& præcipuè Bernardi Abbatis Clareuallensis*, monitis animati, & ipsi promto animo ad hanc expeditionem sese accingerent. * *Tornacensis ecclesia, quæ per quingentos & amplius annos, Episcopis Nouiomensis ecclesiæ commendata fuerat, proprium Episcopum, Anselmum nomine, ab Eugenio III. Papa recepit, Bernardo Abbate Clareuallensi inter alios procurante. Othonis Frisingensis Episcopi chronicon explicit.*

* Ex ms. Ortel.

d Con-

ANNO CHR.	R.	F.	A.	H.
1147.	X.	XI.	XI.	III.

Conradus Rex Heinricum filium suum Aquis-Grani in Regem sublimat, ne post decessum suum, regnum absque Principe remaneret, & aliqua rerum perturbatio moueretur. * Multi Christianorum, per mare Anglicum profecti, ad debellandos Saracenos, tandem emenso mari, in Gallitia apud S. Iacobum applicuerunt: & inde mouentes exercitum, peruenerunt ad vrbem Saracenorum potentissimam, quæ Vlissibona dicitur. Vbi vario belli euentu cum Saracenis dimicantes, adiuuante Domino, potiti sunt victoria, & occisis vel exterminatis Saracenis, vrbem ipsam & omnem in circuitu viciniam quietè possederunt. Eclipsis solis facta est circa horam tertiā diei, VII. Kal. Nouembris: necdum quoque ad purum redintegrato solari lumine, sed adhuc circumfuso eclipsica caligine, stellam in aëre conspicabilem multi suspexerunt. Fuerunt & alij, qui dixerunt se in ipso orbe solis maiestatem diuinam vidisse, eo modo quo à pictoribus in libris depingi solet. In natali Domini fulmen irrupit templum Hierosolymis, & de columna ex lapidibus facta, quæ sepulcro Domini proxima erat, duos lapides grandes excussit. Inde ad locum baptisterij percurrens, lapidem marmoris concauum, qui aquam baptismi continebat, minutatim confregit. Indeque in montem Sion peruolans, turrim basilicæ pulcherrimam ex magna parte perfregit. * *Pars Christiani exercitus, Hierusalem nauigio petens, Olisiponem vrbem Hispaniæ, virtute Dei Saracenis pulsis, cepit & Christianis reddidit. Conradus Imp. cum L. & amplius millibus militum, & innumerabili manu peditum, transito mari, quod brachium S. Georgij dicunt, tum dolo Græcorum, tum incursione Turcorum, tum penuria famis, penè totum exercitum amisit. Monachi duodecim cum Laurentio Abbate, & quinque Conuersis, à beato Bernardo ex Clara valle in Brachantum missi, Villariense monasterium ædificarunt.*

**Dodechinus refert 200. ferè naues anglicas & Flādricas huic expeditioni Lusitanicæ interfuisse.*

** Ex ms. Ortel.*

1148.	XI.	XII.	XII.	IV.

Conradus & Ludovvicus Reges, qui superiore anno cum infinito exercitu fuerant trās mare, vt paganos debellarent, nihil prosperè fecerunt; sed tantis exercitus eorum attritus est infortunijs, tum fame tum mortalitate, tum ferro hostium, vt de tot millibus tam copiosæ multitudinis vix pauci repatriauerint. Et quamuis occulto, quo nescitur, Dei iudicio hæc acciderint, constat tamen quia in hostico illo multa scelera, multa illicita & flagitiosa patrata sunt ab eis, & ob hoc irā Dei ascendente super eos, omnis conatus eorum in vacuum cessit. Nec facilè inuenies siue in historijs, siue in annalibus, quòd ab exordio Christianitatis vsque ad tempus istud, tanta multitudo populi Dei tam subitò & tam miserabiliter deperierit, sicut nunc factum est. Eugenius Papa collectā generali synodo Remis, multa super statu Ecclesiæ tractauit & confirmauit. Inter alia statuit, vt decreta Innocentij Papæ, prædecessoris sui, rata & inconuulsa permanerent: quidquid autem Petrus Leonis pseu-

pseudopapa statuerat vel ordinauerat irritum haberetur, promulgans sententiam sic: Ordinationes factas à filio Petri Leonis, & ab alijs schismaticis & hæreticis euacuamus, & irritas esse censemus. In hac synodo adductus est supradictus hæreticus Eunus, & præsentatus Papæ à quodam catholico Britanniæ Episcopo. Hic igitur in audientia omnium, de sua peruersa hæresi discussus & conuictus, vitam quidem & membra, Episcopo, qui eum adduxerat, expostulante, retinuit, sed tamen præcepto Papæ in custodia relegatus, & ibi post non multum temporis mortuus est. In hac synodo Archiepiscopi, Episcopi & Abbates vsque ad mille centum resedisse dicuntur. Terrores de cælo & tempestates vltra solitum, aliàs clementiùs, aliàs inclementiùs acciderunt. Mense Martio, VIII. Kal. Aprilis, cùm dies iam ad vesperam inclinaret, grauissima fuêre tonitura, cum ingenti coruscatione & procellosa pluuia. Non autem euenit tunc, quod alio tempore euenire solet, vt sonus ille ad aures hominum paullatim perueniat, ac deinde crescat in maius, sed ita repentè & insperatè increpuit fragor ille tonitrui, vt omnes qui audirent, magno metu & admiratione concuteret. Item mense Iulio, in diuersis locis, magna tonitruorum & fulgurantium tempestatum detonauit procella; sed in castro Laudunensi plusquàm aliàs vis tempestatis desæuijt. Nam in monasterio S. Vincentij, cùm monachi Completorium canerent, fulmen irrupit basilicam, & duos monachos in choro stantes percussit & exstinxit: inde ad maius altare prouolans, pallas lineas, quæ altare velabant, exussit. Accidit autem ibi quiddam mirabile: quia maior palla, quæ desuper totum altare ambiebat, alijs pallis ardentibus, ardere non potuit. Dicitur autem quòd alia multa in eadem basilica ex ictu fulminis acciderunt; sed sufficiunt ista, ad cognoscendum quantus sit terror diuinæ districtionis. Cameracus ciuitas, ex magna parte sui, incendio conflagrauit, & principalis ecclesia, cum claustro & palatio Episcopi, monasterium etiam beati Autberti. Hoc etiam anno combustum est cœnobium sancti Sepulcri in eadem vrbe, paucis annis à priore eius combustione translactis. * *Daci & VVestfali ac Saxonum duces consenserunt in hoc, vt alijs euntibus Hierosolymam contra Saracenos, ipsi vicinam sibi Sclauorum gentem aut omnino delerent, aut cogerent Christianam fieri. Et cùm iam ad arma ex vtraque parte ventum fuisset, Teutonici, acceptâ pecuniâ, vendiderunt Dacos, cœptoque prælio se subtrahentes, multa millia Dacorum occidit Sclauorum gladius.* * *Ludowicus Rex Francorum ferè cum XXX. millibus equitum, & magna multitudine peditum, postquam præscriptum mare transijt, fraude Manuelis Imperatoris Constantinop. & penuria famis, & persecutione hostilis exercitus, maiore parte exercitus amissâ, Salaminam venit, & inde nauigio Antiochiam petijt. Camberonense monasterium, ordinis Cisterciensis in Haginoia fundatur. Alnæ ad Sabim fluuium, monachi item Cistercienses per beatum Bernardum collocantur, petente Heinrico Episcopo Leodicensi.*

Consule Barô. Car. Sigonium, de regno Italiæ lib. 11. & alios.

* *Ex ms. Gembl.*

* *Ex ms. Orti.*

NOTATIO.

Explicit codex ms. Gemblacensis. Quæ sequuntur vsque ad annum Christi M. CLXIV. ex ms. codice Lipsiano potissimum transscripsimus: suntque ab Affligemensi, vt equidem arbitror, monacho in Brabantia Benedictino, horum temporum æquali, in posterorum gratiam, litteris consignata. Datur id colligi ex ijs, quæ an. 1152. *itemque* 1154. *& alibi commemorantur.*

AVCTARIVM AFFLIGEMENSE.

XII. XIII. XIII. V.

1149. Imperator Conradus, & Rex Franciæ Ludovvicus, sine vllo effectu procinctum soluunt, & ab itinere Hierosolymorum reuertuntur, numquam auditâ tantâ infelicitate tanti exercitus. Hiems grauissima IV. mensibus inualuit & præualuit. * *Hoc anno consecrata est ecclesia S. MARIAE, Valcellensis cænobij, à Samsone Remorum Archiepiscopo, VII. Kal. Iunij.*

* Ex ms. Ortel.

XIIII. XIV. XIV. VI.

MCL. 1150. Orta est contentio inter Heinricum Episcopum Leodicensem, & Heinricum Comitem Namucensem: Comes quidem, vt dominaretur, intendebat; Episcopus vt sui ab eius dominatione & graui oppressione liberarentur, satagebat. Milites Comitis in quadam villa, quæ vocatur Hoylon, conuenerant: quorum vnus qui potior videbatur, manus in Episcopum, vt caperet, iniecit: sed ipse se ab eo subripiens, iratus suos ad eorum subuersionem fortiter incitauit. Tandem nescio quo infortunio ecclesia succensa est, & omnes qui in eam confugerant combusti sunt, miserabiliterque perierunt. Tandem congregato vtrimque exercitu congressi sunt; Episcopus superior factus est, Comitem fugauit, de suis potentiores cepit, sed cum miserabili cæde multorum victoria potitus est. * *Theodericus Comes Flandrensis reuertit ab Hierosolymis.*

* Ex ms. Aquic.

1151. XIV. XV. XV. VII.

Fructus terra vberes habuit, sed pluuiarum inundatione, à festiuitate S. Ioannis vsque ad medium Augustum, omnia vastante, vix ad maturitatem perduxit. Nam vinum & ceteri fructus magna ex parte defecerunt, & quod de vuis collectum est, in acorem versum est. * *Radulfus primus Abbas huius cænobij Valcellensis, III. Kal. Ianuarij, migrauit è mundo: cui successit Riquardus, & ipse*

* Ex ms. appendice Orteliana.

R. F. A. H. ANNO CHR.

& ipse de Claravalle sumtus, moribus maturus & temperatus in omnibus. [b] Ludovicus Rex Francorum Leonoram vxorem suam repudiauit, & Ducatum Aquitaniæ amisit. Erat enim filia Guilelmi Ducis Aquitaniæ. Ipsa verò nupsit Henrico Duci Normanniæ, filio Gaufridi Comitis Andegauorum, qui postea in Anglia regnauit. Ludovicus autem secundam duxit vxorem Constantiam, filiam Alfonsi Regis Hispaniæ. In ciuitate Atrebatensi, post Aluisum Episcopum, qui in expeditione Hierosolymitana obierat, ordinatur Godescalcus IV. Episcopus.

cuius auctorem hic discito monachū fuisse Valcellensem.
b Ex ms. Aquic.

XV. XVI. XVI. VII. 1152.

Conradus Imp. diem vltimum claudit; cui successit Fredericus, consobrinus eius. In Ecclesia S. Nicolai, quæ constructa est in oppido Brusellensi, Deus per beatam Virginem operatus est tanta miracula, quòd à temporibus Apostolorum adeò magna & frequentia in tam breui tempore nusquam sint audita. Dum enim consensu Abbatis Affligemensis & consilio fratrum, feretrum in honore S. MARIAE, auro & argento operiendum, ab ecclesia VVauerensi cum ceteris reliquijs, quæ in eadem continentur, fuisset allatum, & in ecclesia S. Nicolai decenter locatum, statim operante diuinâ virtute, per merita gloriosæ Virginis, cæci visum, surdi auditum, claudi gressum recipiunt, & tot infirmi varijs languoribus oppressi, à paschali hebdomada vsque in diem Natiuitatis S. Ioannis, sanitatem optatam consecuti sunt, vt si fratres supradictæ ecclesiæ hæc per singula stili officio fidelium memoriæ commendassent, non paruum volumen posteris profuturū conscripsissent. Hoc bono odore totâ prouinciâ in breui respersâ, non solum ex nostris, sed & ex valdè remotis partibus factus est concursus diuitum & pauperum, diuersæ ætatis & vtriusque sexus fideles cum oblationibus suis conuenerunt, & tantam pecuniam, quæ non facilè numerari potest, hac ratione diuidendam obtulerunt; partim scilicet in sustentationem pauperum, partim restaurationem ecclesiarum, partim in vsus fratrū in ecclesia * Affligemensi vel VVauerensi Deo seruientium. Abbas etiam Affligemensis, & fratres eius pedites vsque ad ipsum opidum conuenerunt, vbi albis vestiti & cappis induti, processionem multitudine monachorum compositè & honestè ordinauerunt: & sic cantando, Deum & eius genitricem collaudando, cum magna gloria & applausu totius populi, qui ea die dicūtur ferè ad XXX. millia conuenisse, in ecclesiam S. Nicolai intrauerunt. Attestati sunt fideles numquam se aliquo conuentu, qui factus sit aliquando, siue Imperatoris, siue iussu Rom. Pontificis, tam honestam & tam benè ordinatam processionem vidisse. Quoddam insuper beneficium, quod non est silentio prætereundum, imò super cetera commendandum, ipsa gloriosa Domina contulit toto illo tempore fidelibus suis; per quod bella multa, quæ iam instigante maligno concitata fuerant, & seditiones consopitæ quieuerunt. Dum enim ex diuersis partibus multi conuenissent, de quibus auditum est, quòd inimici essent ad inuicem, statim sine vlla exactione pecuniæ, vel qualibet satisfactione, quæ inter sæculares in

a Bruxellis in templo S. Nicolai, meritis B. Virginis plurima patrantur miracula.

** Haffligeniensis*

ANNO CHR. R. F. A. H.

huiusmodi negotijs solet fieri, solo Dei timore, & amore pijssimæ matris correpti, interuentu fidelium in pace reconciliati sunt. Hoc finito tempore relatum est feretrum in supra nominatam ecclesiam cum reliquijs, nec tamen toto illo anno desijt mater misericordiæ à cœptis circa infirmos beneficijs. Ecclesia S. Bertini, cum omnibus appendicijs suis, combusta est in ipso festo S. Bertini, dum matutinorum solennia agebantur.

I. XVII. XVII. IX.

1153. Eclipsis solis facta est, VII. Kal. Feb. in II. feria: V. Idus Februarij II. feria tonitrum auditum est. * Brusellenses opidani iniuriam, quàm præterito anno Abbati Affligemensi & fratribus eius intulerant, hoc anno correxerunt, hoc scilicet modo: quia ipsi Dominam nostram (sic enim aiunt) de ecclesia VVauerensi deuotè & humiliter tollentes, cum honore susceperunt, & suo tempore pacificè & cum gaudio remiserunt.

*Bruxellenses.

* Eugenius Papa diem vltimum claudit: succedit ei Conradus, S. Sabinæ Episcopus, Anastasius appellatus, vicarius domini Papæ prædecessoris sui. Domnus quoque Bernardus Abbas Clarevallensis, qui quasi lucifer exortus, ordinem nostrum illustrabat, migrauit ad Dominum: cuius vita & doctrina in tantum excellit, vt minus sit, quidquid in eius laude dictum fuerit. Hoc anno tanta sterilitas agris nostris incubuit, quòd vix ad duorum vel trium mensium nobis victum suffecit omnis copia messis nostræ. Turbo grauissimæ tempestatis per fines nostros viam molitus, quasi sulcum ducens, vnius diei itinere, quæque velut flammis depasta consumens, lugenda vestigia reliquit.

*Consentit Onuph.

Ascalon * capta est ab exercitu Domini, qui est Hierosolymis, & possessa à nostris; multo tamen labore ac diuturno bello, multis etiam periculis & grauibus damnis priùs exercitu afflicto. Namque diebus S. Dei genitricis purificationi proximis, Rex Hierosolymorum procinctum mouit, portas obsedit, & muros ciuitatis diffuso exercitu vallauit: nocturnis excubijs, diurno bello incessanter eis imminens, vsque in festum Assumtionis eiusdem sacratissimæ Virginis moras pertrahens, & infatigabilis perdurans. Proxima ergo die illius sacratissimi festi, turrim cum suis machinamentis muro admouit; & artificio subterraneo actum est, vt murus cadens latum ingressum nostris præberet. Itaque nostri ruunt & irruunt; primus præpositus & dux illius exercitus, qui fraternæ societatis professione templo militant, cum suo cuneo irrupit, & vsque ad plateam ciuitatis, agmine suorum stipatus, perueniens, gradum fixit: ibi artatus angustijs platearum, macerijs cinctus, & supereminentibus tectorũ domatibus, & omni parte confluẽte turbâ circumuentus opprimitur, & cum omni turba suorũ obtruncatur. Quorum capita in vnum cumulũ sunt congesta, vt Regi Babyloniæ, pro signo victoriæ, ostẽtarent: corpora verò in muro suspenderunt, nobis improperantes, & verbis blasphemiæ exercitum Dei prouocantes. Tandem nostri in Domino confortati

*Tyrius, an. 1154.

R. F. A. H. ANNO CHR,

fortati Regi dicebant, vt viriliter pugnaret, & de Dei misericordia non desperaret, cuius tunc maximè adesse solet auxilium, cùm deest, nec spectatur humanum. Quod ergò Christianorum propriè præsidium est, confessione peccatorum, eleemosynarum largitate, & deuotissimis supplicationibus, se Domino committentes, & S. Dei genitrici vota facientes, tertia die ad murum accesserunt, instrumenta bellica, machinas & balistas admouerunt, fide constantes. Crux verò Dominica, in manibus Patriarchæ, agmen præcedebat, certissimum victoriæ pignus, quod semper nostris in omnibus prælijs fuit. Tum verò virtus Domini manifesta fuit, linguas blasphemas edomuit, & omnem confidentiam superborum deiecit, & consilia dissipauit. * Vir ille qui præsens fuit, & omni tempore obsidionis in exercitu durauit, quod vidit, nobis narrauit. Percussi sunt omnes cæcitate, ita vt cùm molares lapides balista suo impetu in medio eorum emitteret, nullus lapidem venientem viderit, vt à loco cederet, ictumque lapidis declinaret. Quid multa? coacti sunt, quam negauerant, Dei confiteri virtutem, & quem blasphemabant, suorum esse fidelem protectorem & adiutorem. Ergò vltrà differre non valentes, ciuitatem in manus Regis tradunt, & ex illo tempore Ascalon nostra facta est, & à nostris possessa. Istud inter maximè miranda miracula miraculum esse videtur, quòd vrbs CL. turribus præualidis munita, & cœnaculis domatum in plateis suis quasi crypta laquearijs supertecta, *& quodammodo inexpugnabilis*, tandem aliquando vinci potuit: quod in historijs veterum nusquam legitur.

* Nota fidem scriptoris.

* *Bernardo in Claraualle successor datus est Robertus Brugensis, Abbas Dunensis in Flandria, ab ipso prælectus. Tunc domus Dunensis IV. mensibus absque pastore vacabat: donec Albero, ab ipso Roberto transmissus, ipsi in regimine successit, quod duobus annis tenuit.* * *Pax inter Stephanum Regem Anglorum, & Henricum Comitem Andegauensem restituta est, conditione interpositâ, vt Stephano mortuo, ipse Heinricus in regno Angliæ succederet. Ipse siquidem Heinrici Regis Anglorum ex filia nepos, & regnum Angliæ hereditario iure repetens, tam per se, quàm per coadiutores suos terræ multa mala intulerat, cùm Dux esset Normanniæ & Aquitaniæ. Filiam enim Guilelmi Ducis Aquitaniæ à Ludouico Rege Francorum, titulo consanguinitatis opposito relictam, duxerat; ex cuius parte Ducatum illum habebat. In Ascalonensi obsidione, mortuo Bernardo Sidoniensi Episcopo, Almaricus Abbas Canonicorum regularium, in loco qui dicitur S. Abacuc, siue S. Ioseph ab Arimatia, illi subrogatur.*

* Ex ms. Ortel.
* Ex eod.

II. XVIII. XVIII. X. 1154.

Anastasius Papa ex hac vita decessit: succedit ei Adrianus, antea Nicolaus dictus, Episcopus Albanensis. Rex in Anglia constitutus est Heinricus, cuius auus fuit ille magnus & famosus Angliæ Rex Heinricus. Filia namque eius, quæ Imperatori nupta, Imperatrix dicebatur & erat, Comiti Andegauensi in coniugio post eius excessum copulata, hunc, qui * modò regnat, de eo suscepit, & fratres eius, Qui cùm adhuc lactens sub vbere nutricis

* Nota ætatem scriptoris.

tricis

ANNO CHR.	R.	F.	A.	H.

tricis esset, defuncto auo eius Heinrico Rege, cum cunabulo in Angliam deportatus est, & ibi electione omnium Principum, datis iuramentis, in regno confirmatus est. Et quia sub manu procuratoris vsque ad legitimos annos eum seruari oportebat, electus est Comes Stephanus cognatus eius, qui regnum regeret, & eum educaret. Qui Stephanus à Principibus persuasus, & eorum adulationibus nimis prono fauore se inclinans, supplantator & perditor factus, regnum inuasit & tenuit. Hoc comperto mater, supra modum mulieris, animo attollitur & effertur: nec morâ intercedente, Angliam cum exercitu ingreditur; multis & grauibus prælijs commissis, multa audacter opera patrauit. Ad vltimum, post plurimos annos, iam adulto illo iuuene filio suo, Stephano etiam subitò, nec satis notâ morte defuncto, filium suum Heinricum in regno constituit. * *Stephanus Rex Anglorum obijt: Heinricus suprà nominatus, absque difficultate & contradictione, successit. Vuicelinus Vuandalorum Apostolus moritur.*

* *Ex ms. Ortel.*

1155.	III.	XIX.	I.	XI.

Imperator Fredericus, præterito anno profectus, hoc anno Romam peruenit, multis in itinere laboribus attritus, & diuersis hostiliter obsistentibus: quos omnes superauit, & ad deditionem atque subiectionem compulit: Romanis Principibus mandauit, vt se cum pace susciperent, & subiectionem non negarent. Quod illi renuerunt, dicentes, quòd nisi ad quas vellent conditiones acquiesceret, ipsos non subiectos sed hostes sentiret. Imperator Romam armatus ingreditur, Papam Adrianum amicum sibi inueniens, in ecclesia S. Petri benedictione *coronatur. Interim exercitus eius, hostium non ignorans insidias, totum procinctum ecclesiæ S. Petri armatus circumdederat; donec omnibus expletis Imperator egrederetur. Romani quibusdam residuis, quos incautos occupauerant, interfectis, cum Imperatore congrediuntur: sed mox in fugam versi, ad Tiberis alueum coguntur. Quanti in congressu ceciderint, quanti in flumine submersi sint, scriptis committere non audeo. Imperator victor regreditur.

* *Consule Dodechin. Baron. & alios.*

Multis annis sterilitate terræ & necessariorum penuria nobis laborantibus, hoc anno tritico omnino deficiente, in vltimo discrimine, quid agendum esset, vix anxijs potuit occurrere. In hoc tamen ad vltimum stetit sententia, vt pecunia mutuo amicorum fide sumta, emeremus victui necessaria. Misimus ergò fratres nostros in aliam regionem, qui sollicitè iniunctum negotium exsequuntur, & remenso itinere, onerata naue iter carpentes ad oppidum * Aldenardum dictum peruenerunt. Est ibi locus, in quo molendina & cataractæ, quæ aquarum transitum suscipiunt & reddunt, ita angustum & periculosum efficiunt ipsum locum, vt nauis nostra transitura, firmissimis funibus posti astricta teneretur, donec ipsam charybdim euaderet & pertransiret. Ergo tantâ cautelâ, tanto conamine nauis ad illam voraginem & præcipitem cursum aquæ frementis adducta, imò impulsa, in medio

* Aldenardum, veterum Neruiorū oppidum, ad Scaldim fl. in Flandria.

feruore

R. F. A. H. ANNO CHR.

feruore insani æstus, suis præsidijs destituitur. Soluuntur retinacula, rumpuntur fines, omnisque conatus frustratur. Nauis præcipiti cursu violenti amnis rapta, nunc sursum eiecta, nunc in imum præcipitata, tandem ad pontem, qui proximus erat, vndarum concursione, & violenta concussione impegit in postem firmum & fortem, qui sustentabat pontem: quem pontem confregit, ipsa nullum dispendium passa, libero & securo cursu pertransijt. Quid ad hoc dicemus? largitori bonorum omnium gratias agamus.

Godefridus iunior, Dux Lotharingiæ, Margaritam filiam Heinrici Comitis Lemburgensis in coniugio sortitus est: per quod tandem rebus omnibus pace compositis, contentio longo tempore protracta, eâ conditione finita est, vt Godefridus confirmatum sibi Ducatum, sine vlla contradictione, aduocatiam S. Trudonis, castellum Rode obtineat, atque omnium, quæ possidet idem Comes, post decessum eius, medietatem accipiens, hereditario iure successor fiat.

Arnoldus hæreticus & schismaticus de Brixia, discipulus magistri Petri Abailart, à quinque Apostolicis excommunicatur: tandem sub Adriano Papa laqueo suspenditur, corpus eius igne crematur, & combusti cineres in Tiberim proijciuntur.

IV. XX. II. XII. 1156.

* Fredericus Imperator, relictâ vxore suâ, duxit Agnetem filiam Comitis Burgundionum, Rainaldi nomine, vltra Saonam; quam patruus suus Comes VVilhelmus, artâ turris custodia diu clausam tenuerat; sed de manibus eius liberata, Imperatori copulata est. *De his omnibus consule Baronium & alios.*

Heinricus iunior Rex Anglorum, exercitum copiosum & magnum belli apparatum, quem proposuerat ducere in Hiberniam, vt eam suo dominio subiugaret, fratremque suum consilio Episcoporum, & religiosorum virorum illi insulæ Regem constitueret, conuertit contra Regem Francorum; hac scilicet de caussa, quia vxorem eius ab eo relictam in matrimonium duxerat, cuius patrimonium satis magnum & amplum, Ducatum scilicet Aquitaniæ, & omnia ipsi subiacentia, Rege contradicente, possidere contendebat. Inde grauis & longa contentio inter eos exorta est; ita vt in partibus vtriusque regni viderentur vrbes destrui, villæ & opida cremari, homicidia, deprædationes rerum omnium violenter fieri, & à Pyrenæis montibus penè ad fines Flandriæ, hoc malum quasi pestis grauissima intolerabiliter grassari.

• *Philippus filius Theoderici Comitis Flandrensium, filiam Rodulfi Veromandensium Comitis Elizabeth, vxorem ducit Bellouaci.* * *Fredericus Imp. à Papa Adriano & Rolando Cancellario, pro vxoris suæ primæ diuortio, vehementer arguitur. Quod ille ægrè ferens, Cardinalibus Romanis introitum ciuitatum & ecclesiarum regni sui interdixit. Heinricus Marchio Austriæ creatur primus Dux Austriæ, à Frederico Imp. Ratisbonæ.* *• Ex ms. Aquic. * Ex eod.*

ANNO CHR.	R.	F.	A.	H.
1157.	V.	XXI.	III.	XIII.

Theodericus Comes Flandriæ, iam tertiò profectus, cum quibusdam Principibus terræ suæ, ductâ etiam vxore suâ Sybillâ, zelo pio deuotionis accensâ, cum quadringentis militibus & copioso belli apparatu, Hierosolymam; Philippus filius eius Comitatum suscepit. Hanc Theodericus, ea tempestate, in tanta perturbatione & desperatione inuenit, vt iam timerent finibus suis expelli, loca sancta à gentibus profananda, totamque terram possidendam relinqui. Noradinus enim, Sanguinij filius, rupto pacis fœdere, primò improuisis superueniens, eis congressus superauit. Secundò in vigilia pentecostes congrediens, ferè sexcentos in exercitu probatos, quosdam templi, quosdam Regis milites cepit, occidit, Regem vix fuga elapsum, ceterosque in castrum Belinas impulit, terramque vsque maritima, nullo resistente, progrediens, multa cæde vastauit. In tanto timore positos Dominus adiutor in oportunitatibus, in tribulatione, per Comitem supradictum hoc modo consolatus est. * Ipse namque Dei confisus adiutorio, & sanctæ Crucis, quæ in exercitu ferebatur, munitus signaculo, adiuncto sibi Rege, audacter congressus, Noradinum cum suis superauit, superatos humiliauit, humiliatos ad pacem poscendam compulit. Castellum, quod Cauea dicitur, nostris valdè infestum (quippe qui per illud infra VII. annos ferè xv. millia de suis amiserant) magna instantia & fortitudine superatum, positis in eo militibus, obtinuit. Inde circa natale Domini Antiochiam veniens, duo castella Harenc & Femie acquisiuit, tertium destruxit, & quæcumque Princeps ipsius Raimundus incuriâ & insolenti temeritate amiserat, Turcis irruentibus, cum maxima parte exercitus sui occisus, ipse viriliter agens recuperauit. Deinde progressus in vlteriora, Cæsaream Cappadociæ obsedit, obsessam quarto die cepit: & quia retinere non potuit, vtpote à nostris longè positam, destruxit: & sic omnia prosperè agens, ad suos Hierosolymam cum magna gloria & gaudio Christianorum reuersus, ibidem biennio commoratus est. Vxor eius Bethaniæ religionis habitum suscepit.

Ista fusiùs narrat Guil. Tyrius lib. 18. cap. 16 & seqq.

Consule eundem & Vitriacum in hist. Orient.

Brandeburgh castellum in terra Sclauorum trans Albim, per quod pagani Christianos grauiter affligebant, Albertus Marchio Comes in Saxonia obsedit, cepit, positisque in eo militibus Sclauos humiliauit, ac per hoc Christianos fines multùm dilatauit.

Fredericus Imperator secundò in Italiam mouit exercitum, cum Duce Boëmiæ, & ceteris regni Principibus.

Cœnobium Gemblacense, quod ante annos circiter XX. succensum, sed Dei clementiâ & suffragijs Sanctorum, quorum reliquiæ in illa continentur ecclesia, aquis de alueo vicini fluminis eleuatis & monasterio superfusis restinctum, modò tali præsidio destitutum, occulto Dei iudicio cum claustro & ceteris officinis, totoque opido combustum est.

Ex ms. Aquic.

* *Adrianus Papa totus in Imperatorem inuehitur, & quoscumque potest, ab eo verbis*

R. F. A. H. ANNO CHR.

verbis & scriptis auertit. Italienses contra Imperatorem arma sumunt, ipse verò, ad eos debellandos, Italiam petit. Contra quem Italienses vrbibus & castellis munitis, se ad resistendum accingunt, & eum Mediolanum hostiliter adeuntem, non recipiunt. Imperator autem, expugnatis munitionibus, quæ contra se erant, Mediolanum obsidet. Baron. & alios consule.

• *Post Theoderici Comitis Flandriæ & Sibyllæ eius coniugis discessum, versus Hierosolymam, Philippus filius eorum, aduersus Simonis de Oizi, sibi subijci nolentis, contumaciam edomandam, exercitum ducit, & Inci castellum obsidet & capit.* • Ex eod. ms.

VI. XXII. IV. XIV. 1158.

Frederico Imperatore in Italia posito, ciuitatibus & vrbibus subactis, Duces, Comites & Principes terræ, ad eum timore conuenerunt, subiectionem & reuerentiam ei exhibuerunt; exceptis Mediolanensibus. Ipse absque vlla dilatione, ciuitatem obsedit, & quamuis interius haberent, vt dicitur, LX. millia armatorum, primo tamen & secundo congressu, multa strage humiliatos, ad deditionem compulit, vt CC. de nobilioribus ciuitatis, pacis obsides darent, & quamcumque conditionem sibi ab eo impositam susciperent. Quibus acceptis & conditionibus sacramento confirmatis, quasi securus, exercitum, quosdam in propria, quosdam in hiberna dimisit: ipse in Italia se retinens, Laudam ciuitatem, quam Mediolanenses destruxerant, in tutiori loco translatam, restruxit. Cumam quoque, quam ijdem pænè destruxerant, renouauit & muniuit. Vide Sigeb.

• *Domnus Robertus Brugensis, secundus Dunis & in Clara-Valle Abbas, è mundo migrauit. Viginti annis præfuit, quindecim annos & pænè quinque menses Dunensibus, quattuor annos & octo menses Clareuallensibus. Cui domnus Fastradus, Camberonensis in Hannonia Abbas, in regimine successit.* • *Adrianus Papa, cum Cardinalibus suis habito consilio, Fredericum Imp. qui viuente vxore sua, aliam superduxerat, excommunicat. Adrianus Papa & omnes Cardinales Romani, præter quattuor, Guilelmum Regem Siciliæ, ad regnandum in Italia, contra Fredericum Imp. inuitant; misso ei per Rolandum Cancellarium beati Petri vexillo. Sed non consenserunt Imerus Episcopus Tusculanus, Octauianus presbyter Cardinalis tituli S. Cæciliæ, VVido Cremonensis, & Ioannes de S. Martino. Vladislaus Boëmorum Dux à Frederico Imp. Rex creatur, Ratisbonæ. Otho Frisingensis Episcopus & chronographus, sancti Leopoldi Marchionis Austriæ filius, moritur.* • *Milo Morinorum Episcopus, olim Abbas S. Iudoci in Nemore, ordinis Præmonstratensis, postquam sedem Morinensem annis XXVII. rexerat, ad Dominum migrat. Cui successit Milo secundus, eius Archidiaconus, natione Anglus, S. Mariæ de Bosco, siue de Nemore, regularis Canonicus. Calatrauæ militum ordo in Hispania incohatur.* • Ex ms. Ortel. • Ex ms. Aquic. • In ms. Ortel. an. 1159.

VII. XXIII. V. XV. 1159.

• Adrianus Papa diem vltimum claudit. Rolandus Cancellarius, & Octauianus presbyter Cardinalis, ad papatum adspirant. • Cõsentiunt Dodechin. & Onuphrius

Bellum grauissimum ortum erat ante annos circiter XX. inter Ducem

ANNO CHR. R. F. A. H.

Louanij Godefridum iuniorem, & VValterum cognomento Bertoldum. Puer quidem Godefridus adhuc in cunis iacebat; turba autem seditiosorum vtriusque partis pacem turbabat. Vnde magnum malum processit, & quasi quoddam contagium terram vtriusque inuasit. Agricolæ enim bonis suis spoliati, miseri & exsules de finibus suis sunt egressi, terra deserta habitatoribus inculta remansit. Erat cernere miseriam, incendia, homicidia, rerum omnium deprædationes violenter fieri, ferè per annos XX. donec hoc anno quarto bello Grimbergensis vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos, castrumque magnum & famosum, quod humana virtute vix poterat, iusto Dei iudicio combustum, & ad solum vsque dirutum est. Accidit hoc in festo S. Remigij. Itaque omni auxilio destitutus, à Comite Flandriæ derelictus, cui soli innitebatur, cum Duce, serò tamen, in pacem redijt.

Notēt antiquitatis Brabãticæ studiosi, Grimbergam *olim vrbem fuisse.*

Mediolanenses castrum, in quo Imperator thesauros suos deposuerat, inuadunt, milites custodes castelli capiunt, thesauros diripiunt, vlteriusque progredientes, amicos eius & confœderatos impugnant. Ipse hoc audito, obsedit Criminum castrum satis munitum, in quo erat maxima fiducia, & fortitudo eorum, obsessum cepit, captum destruxit, milites qui in eo inuenti sunt, vita donatos, abire permisit: sed & quæcumque Mediolanensium erant, circumquaque vastari præcepit. * *Heinricus Rex Anglorum, congregato exercitu Aquitaniam transijt, & Tolosam obsidione cinxit. Ludowico autem Rege Francorum, vrbem potenter ingresso, Rex Anglorum inefficax redijt. Theodericus Comes Flandriæ, tertia vice Hierosolymis reuertitur. Sibylla autem Comitissa ibi remansit, & habitu religionis apud S. Lazarum assumto, ibidem sancto fine quieuit.*

* Ex ms. Aquic.

MCLX. 1160. VIII. XXIIII. VI. XVI.

Heinricus Rex Anglorum, filiam Stephani, neptem suam sanctimonialem & Abbatissam in claustro consecratam, contra fas legum, Matthæo filio Comitis Flandriæ dedit vxorem; vt per eam Comitatum retineret Boloniensem. Et quia sponsa Deo dicata, non sponsum sed adulterum summo Regi superduxit, bella & seditiones inimicus inter patrem & filium, inter fratrem & fratrem concitauit. Fridericus Imp. cùm videret propter paucitatem exercitus, Mediolanenses contra se insolentiùs agere, misit per omnes fines regni sui, vt venirent ei in auxilium, & iurauit se non recessurum à ciuitate donec caperet eam. Vt autem hoc iuramentum ratum maneret, designauit si fortè vita decederet, duos Imperatores, filium Conradi prædecessoris sui, & post eum Heinricum Ducem Saxoniæ. * *Obijt Guilelmus filius Stephani Regis Angliæ, Comes Boloniæ, & Dapifer Regis Angliæ, sine herede. Matthæus verò, filius Theoderici Comitis Flandriæ, filiam Stephani Regis Anglorum, Abbatissam raptam de monasterio, vbi erat Deo sacrata, per violentiam Regis Anglorum, ducit vxorem, & per eam obtinet Comitatum Boloniensem. Qua de caussa à S[illegible]ne Remorum Archiepiscopo, eiusque suffraganeis Episcopis excommunicatus est, & à patre*

* Ex ms. Aquic.

R. F. A. H. ANNO CHR.

patre suo Theoderico, & à fratre Philippo, propter castellum Lens, quod aduersus eos iure hereditario repetebat, est iniuriatus.

IX. XXV. VII. XVII. 1161.

Conuenerat exercitus magnus ex omnibus partibus regni, præterito anno, ab Imperatore ter vocatus: quorum aduentu lætatus, statim obsedit ex omni parte Mediolanum, & ita coartauit eos, vt non haberent potestatem liberè egrediendi vel ingrediendi, emendi vel vendendi. * *Post generale capitulum, Lambertus Abbas Cisterčij, officio cedens, dimisit abbatiam, & Cistercienses domnum Fastradum Clareuallensem fecerunt sibi patrem, & Clareuallenses acceperunt domnum Gaufridum Igniacensem Abbatem.* * Ex ms. Ortel.

* *Samson Remorum Archiepiscopus obijt, & sepelitur in cœnobio Igniacensi: cui succedit Heinricus Episcopus Bellouacensis, frater Ludouici Francorum Regis. In episcopatu Bellouacensi substituitur Bartholomæus, ecclesiæ Remensis Archidiaconus. Alexander Papa, veritus potentiam Frederici Imp. profugus ab Italia, emenso mari, venit in Franciam: qui à Ludouico Rege, & optimatibus eius gloriosè excipitur.* * Ex ms. Aquic.

Petrus Lombardus fit Episcopus Parisiensis. Hunc vulgò Magistrum sententiarum vocant.

X. XXVI. VIII. XVIII. 1162.

Mediolanenses obsidione, fame, inopia & dissensione coartati, per internuntios petunt ab Imperatore misericordiam; tantùm vt vita donentur; omnem conditionem ab ipso propositam promittunt se sustinere. Kalendis itaque Martij, omnes per turmas suas exeunt, priùs principes, post eos nobiles & milites, gladios manibus tenentes, quasi essent rei maiestatis & proditores, deinde promiscuum vulgus, funibus colla innexi, in cilicijs, cinere capitibus aspersis, ad pedes Imperatoris in modum crucis se prosternũt. Imperator, qui proposuerat eos, ad terrorem aliorum, diuersis supplicijs interimere, vita donatos, rebusque necessarijs, quantum secum ferre poterant, concessis per regiones dispersit, ita vt non haberent licentiam in ciuitatem amplius reuertendi: deinde iussit suos ciuitatem ingredi, muros, turres, alta & superba fastigia & ædificia destrui (tribus tamen pepercit ecclesijs S. MARIAE, S. Mauricij, & S. Ambrosij, cum officinis clericorum, officialibus ipsorum, domibus etiam indemnitate rerum concessâ) ærarium publicum sibi reseruari. Placentini, Bononienses, Brixienses Mediolanensibus contra Imperatorem confœderati, exemplo eorum territi, eamdem humilitatis subiectionem, substrati Imperatoris pedibus, exhibuerũt & veniã obtinuerunt. *Consule Baron. Sigonium, aliosq́; de his omnibus.*

Fames grauissima in tantum preualuit, vt modius tritici venderetur XXX. & eò amplius solidis Louaniensis monetæ: multaque millia hominum fame perissent, nisi Dominus pauperis populi afflictionem respexisset. Ipse enim qui percutit & medetur, dedit spiritum bonum in cordibus fidelium suorum,

ANNO CHR.	R.	F.	A.	H.

cuius instinctu largam manum ad pauperes extenderunt, eorumque inopiam sua abundantia suppleuerunt, & largiùs quàm aliquando nostris temporibus vidimus, sua eos liberalitate sustentauerunt.

Consule eosdem.

Imperator Fredericus à Rege Francorum inuitatus, vt sublato schismate Romanæ Ecclesiæ pax firma redderetur, concilium in territorio Vesuntionum in Dola villa super Saonam fluuium, in decollationem S. Ioannis Baptistæ conuocauit: sed Rege Franciæ ab Imperatore auerso, quique sine effectu, eâdem & adhuc grauiore permanente discordiâ, in sua redierunt.

Desponsatâ filiâ Regis Francorũ filio Regis Anglorũ, contentio conquieuit, & pax plena inter eos conuenit. Obijt Balduinus Rex Hierosolymorũ, sine herede: succedit ei Amalricus frater eius, Comes de Ioppe.* *Mense Septẽbri Fredericus Imp. cum Octauiano, iuxta Saonam fl. consedit, & Rex Ludouicus Diuione, congregatis ex vtraque parte multis Episcopis, Abbatibus, clericis, laicis, tam principibus, quàm popularibus, vt schismati Ecclesiæ finem facerent, si possent: & non potuerunt, sed cum magna dissensione & simultate ab inuicem discesserunt. Ideoque capitulum eo anno non tunc apud Cistercium, sed postea circa festum S. Martini, apud grangiam quandam de Fusinaco celebratum est.* * *Alexander Papa, collecto generali concilio Turonis, excommunicauit Octauianum schismaticum, & Rainaldum Coloniensem electum, Archiepiscopum quoque Moguntinum, Hugonem etiam Abbatem Cluniacensem: in quo concilio quædam Ecclesiæ vtilia tractauit.*

** Ex ms. Ortel.*

** Ex ms. Aquic.*

1163.	XI.	XXVII.	IX.	I.

Corpora trium Magorum à Rainaldo Coloniensi electo, de ecclesia quadam, ciuitati Mediolanensi contigua, translata sunt, & cum magno gaudio & exultatione totius prouinciæ, processione mirabiliter ordinatâ, ciuitati Coloniensi illata, & in ecclesia S. Petri reposita sunt. Si quis vult scire, quomodo de partibus suis translata sint Constantinopolim, & de Constantinopoli Mediolanum, id in ecclesia S. Petri Coloniensis inueniet.

** Alijs, an. 1162.*

XIV. Kal. Iunij Fastradus, Abbas Cistercij, Parisijs obijt, Cistercium translatus ante Ascensionem: cui subrogatus est domnus Gislebertus Abbas Vrsi-campi, post concilium Turonense.

** Ex ms. Ortel. Alijs, an. 1162.*

NOTATIO.

Explicit Auctarium Affligemense, itemque codex ms. Ortelianus. De Auctarij Affligemensis scriptore dixi suprà ad an. 1148. *Ceterùm Orteliani codicis Appendicem scripsit monachus quidam* * *Valcellensis, instituti Cistercienses, in agro Cameracensi: quem his ipsis temporibus vixisse crediderim. Quæ subiunguntur, ex ms. codice Aquicinctino, excerpsimus. Sunt autem ea litteris mandata à monacho*

** Vide suprà an. 1151.*

R. F. A. H. ANNO CHR.

nacho eius, nisi fallor, loci Benedictino, idque hortatu Simonis, eiusdem cœnobij Abbatis: de quo infrà, sub finem huius Auctarij dicemus. Ex quo liquet, quando Appendicis huius Aquicinctinæ auctor vixerit.

AVCTARIVM AQVICINCTINVM.

Theodericus Comes Flandrensium quartò Hierosolymam petit. Obijt *Giezo Rex Hungarorum. Succedit Stephanus filius eius, habens vxorem filiam Heinrici Austrasiorum Marchionis, qui fuit frater Conradi Imperatoris. Giezo, frater eiusdem Stephani, Hungarorum regnum turbat & infestat plurimùm, auxilio Manuelis Imp. Constantinopolitani, cuius filiam duxerat vxorem.

* Geiza.

Obijt Octauianus pseudopapa, & in ciuitate Lucensi sepelitur. Vuido Cremonēsis ab eius sequacibus eligitur, & Paschalis appellatur. Fredericus Imp. in die pentecostes, coacto concilio Episcoporum & Principum Imperij apud VVirseburch, Alexandrum Papam abiurando, se subiecit Paschali. Tam temerario Imperatoris iuramento Archiepiscopi & Episcopi, seu Abbates vel Principes regni subscribebant, & idem iuramentum faciebant. Aliqui tamen eorum corde Alexandro Papæ adhærebant. Hac de caussa in Ecclesia oritur graue scandalum, & in regno augescit discidium.

De his omnibus consule Baronium, Onuphrium, Ciaconium, & alios.

*Venerabilis *Ioscio, cognomento Roscus, monasterij S. Bertini in Artesia monachus, Virgini-Matri deuotissimus, in Domino obdormit.*

** De eo Vincent. in Speculo.*

XII. XXVIII. X. II. 1164.

Fredericus Imp. natale Domini in palatio suo celebrauit Aquis, ad cuius curiam omnes primates regni, siue ecclesiastici, seu sæculares, ab ipso submoniti, conuenerunt, & corpus domini KAROLI MAGNI Imp. qui in basilica B. Mariæ semper Virginis quiescebat, de tumulo marmoreo leuantes, in locello ligneo in medio eiusdem basilicæ reposuerunt. Ibi Philippus Comes Flandriæ cum magno militum exercitu adfuit, & ab Imperatore *Cameracum suscipiens, homo eius effectus est, & magnam pacem Flandrensibus per terram Imperatoris eundi ac redeundi obtinuit. Idem à curia reuertēs, statim patri suo Theoderico Comiti, ab Hierosolyma reuertēti, obuiā proficiscitur.

** De hac eleuatione vide Molanum in Natal. SS. Belgij.*

** Lege Meyerum & alios.*

Saladinus, princeps militiæ Noradini Regis Damasci, cum magna Turcorum & Saracenorum multitudine, Ægyptum sibi subiugaturus ingreditur. Soldanus igitur Babyloniæ, qui & Rex Ægypti, de sua suorumque virtute diffidens, Amalricum Regem Hierosolymorum, consilio cum suis habito,

Vide Tyrium & Vitriacum

ANNO CHR. R. F. A. H.

habito, quæsiuit sibi adiutorem, ea conditione, vt illi annuū persolueret tributum, & Christianos, qui captiui tenebātur liberaret per totam Ægyptum. His conditionibus Rex Hierosolymorum assensum præbuit, & Boamundo Principi Antiocheno, cognato suo, traditâ curâ regni sui, cum exercitu valido in auxilium properauit Regis Ægypti. Quo comperto Noradinus Rex Damasci, collectis vndecumque infidelium Regibus & populis, castellum Principis Antiocheni, Harenc nomine, obsedit. Princeps autem Antiochenus, contractis vndique viribus, egressus Antiochia, vsque ad castellum cum suo exercitu saluus peruenit. Turci verò obsidione relictâ, non longè à castello inter angustias substiterunt locorum. Princeps autem Antiochenus altera die Turcos insecutus, infeliciter cum eis pugnauit, ita vt nullus ex eis ferè euaderet, nisi quem fortitudo equi, aut aliquis casus eripuit. Captus est Princeps, retentus est & Comes Tripolis, cum multis alijs: alij capiuntur, alij detruncantur. Turci ad castellum Harenc reuertentes, summa cum festinatione illud obtinuerunt; & ex pactione debilem multitudinem, tam mulierum, quàm infantum & vulneratorum, vsque Antiochiam perduxerūt. Amalricus verò Rex Hierusalem, cum Soldano Ægypti Salahadinū Ægyptum opprimentem, totis viribus populatur: quem in ciuitate Belbacensi obsidione cinxit, qui impetum Regis ferre non præualens, missis ad eum nuntijs, reddidit se eius fidelitati: qui à Rege, ex consulto cum suis, dimissus in Damascum redijt. Rege quoque in Hierusalem reuerso, Amiraldi Saracenorum indignè ferentes, Soldanum Babyloniæ Christianorū tributarium effectum, omnes in vnum conglobati cum prædicto Salahadino super eum irruentes, vita simul & regno priuauerunt. Salahadinus verò, quod diu concupierat, regnum AEgypti inuasit, vxoremque Soldani à se interfecti, amissionem viri lugere prohibitam, in coniugium suum transire coëgit. Noradinus Rex Syriæ non post multum moritur. Prædictus autem Salahadinus, iustum regni successorem interficiens, pro eo regnauit. Sic tempestate illa Oriens & Occidens diuersis afficiebatur calamitatibus.

Guil. Tyrius lib. 19. cap. 9. & Vitriacus in hist. orient.

Heinricus Rex, ecclesiarum regni sui iura auferendo, in Anglia tyrannizat: contra quem Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, pro libertate Ecclesiæ decertans, ab ipso exsiliatur; qui mare Britannicum transiens, à Ludovvico Rege Francorum tam deuotè, quàm benignè suscipitur.

Godelscalcus Atrebatensis Episcopus, infirmitate capitis grauatus, episcopatum * dimisit: cui successit Andreas quidam Abbas de ordine Cistercienſi; agente Heinrico Remensi Archiepiscopo. *Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, cognomento Magister sententiarum, moritur.*

** Ipsrio, an. 1157.*

1165. XIII. XXIX. XI. III.

Alexander Papa, à Romanis contra Fredericum Imp. inuitatus, Francia relictâ, in Italiam reuertitur, & in die festiuitatis S. Clementis Papæ & Martyris, Missa apud B. Petrum, in Roma Leoniana, ab ipso celebratur.

Pascha-

R. F. A. H. ANNO CHR.

Paſchalis, qui & Guido, Antipapa, in ciuitate Italiæ, quæ Viterbium dicitur, ſedem ſibi epiſcopalem ſtatuit, & potentia Imperatoris fultus, peregrinos ſeu mercatores, de terra Francorum in Italiam tranſeuntes, turbat & deprædatur. Quod multi videntes, licèt inuiti, ipſum colebant, & magnis muneribus honorabant.

Alexander Papa, Romanos habens ſuſpectos, ad Tuſculanos ſe contulit. Paſchalis, qui & Guido, aſſumtis ſecum Imperatoris ſequacibus, ciſternam Neronis, vbi Alexander Papa fuerat conſecratus, totam terræ coæquauit.

Philippus Comes Flandriæ, & Matthæus frater eius Comes Boloniæ, & Godefridus Dux Louanienſis, cum ſeptem ferè millibus nauium, expeditionem mouent aduerſus Theodericum Comitem Hollandiæ; quem in deditionem venientem cum ſuis Comes Flandriæ diutiùs tenuit in captiuitate.

In Gandauo infans natus eſt trium capitum, habens in collo caudam pecudis. Similiter in villa S. Petri, quædam femina vndecim menſibus grauida, peperit monſtrum, deorſum formatum vt pharetra, ſurſum vt galea, ibi habens duo cornua.

Obijt domna Sibylla, Flandrenſium Comitiſſa, piæ memoriæ, poſtquam X. annis Hieroſolymis apud S. Lazarum ſeruierat.

XIV. XXX. XII. IIII. 1166.

Imp. Fredericus, ad debellandos Romanos aduerſantes ſibi, exercitum in Italiam mittit.

Bellum inter Ludovvicum Regem Francorum, & Heinricum Regem Anglorum pro regni ſui terminis. Ludovvicus Rex, auxilio Philippi Flandrorum Comitis, Regem Anglorum fugat, & pax inter eos vſque in paſcha ſequentis anni firmatur.

Ducatu Rainaldi Colonienſis Archiepiſcopi, & Chriſtiani Moguntinenſis, Alexandri quoque Leodicenſis Epiſcopi, orientalis exercitus Frederici Imp. ſtragem fecit quindecim millium de Romanis, reliquos vſque ad Tiberim fugat. Supradicti Epiſcopi, excepto Moguntinenſi, & Karolus Dux, filius Conradi Imp. cum multis alijs ibidem peſtilentia mortui ſunt. Oſſa verò Rainaldi Archiepiſcopi Coloniam ſunt relata, & in eccleſia B. Petri tumulata. Succeſſit ei in epiſcopatu Philippus Archidiaconus eius, filius Gozuini de Falconis monte.

Piæ memoriæ domnus * Gozuinus, Abbas Aquicinenſis ſeptimus, caritate illuſtris, amator pacis & religionis, VII. Id. Octob. circa mediam noctem, die Dominica, luna XI. Indictione XIV. de hoc ſæculo tranſijt: quo in eccleſia B. Mariæ ſemper Virginis, in loco vbi orare conſueuerat, cum magno filiorum ſuorum gemitu, tumulato, Alexander Prior eiuſdē eccleſiæ, ei octauus ſuccedit. Magna vini abundantia.

* De eo Molanus in Natal. SS. Belgij.

f Frede-

ANNO CHR.	R.	F.	A.	H.
1167.	XV.	XXXI.	XIIII.	V.

Fredericus Imp. Italienses leuibus prælijs fundit: illi autem, pro libertate patriæ suæ tuenda, satis animati, de omnibus penè Italiæ ciuitatibus, quæ inter Alpes & Romam consistunt in vnum conuenientes, ciuitatem Mediolanensem egregiè munitam reædificant, in contemtum Imperatoris.

Ludovvicus Rex Francorum, & Philippus Comes Flandrorum, iterum mouent expeditionem aduersus Henricum Regem Angliæ. Francis inuidentibus & detrahentibus frequentibus benè gestis Philippi Comitis, sine laude reuertitur.

Obijt Nicolaus Cameracensis Episcopus. Petrus, filius Theoderici Comitis Flandrensium, loco eius eligitur.

Ecclesia S. Bertini valdè infestatur à Theoderico Comite Flandrensi, astu & persuasione Roberti Ariensis Præpositi, eiusdem Comitis Cancellarij. Vnde Godescalcus Abbas & fratres eiusdem ecclesiæ, animo consternati, & humano auxilio destituti, bis in die pro tribulatione illa clamorem ad Deum faciebant prostrati, ad Missam scilicet, & in fine Completorij.

1168.	XVI.	XXXII.	XIIII.	VI.

Iperio, an. 1199. * Obijt Comes Theodericus Flandrensis, in villa illa, quam S. Bertino abstulerat, per violentiam Roberti Præpositi. Succedit ei in Comitatu Flandrensi filius eius Philippus; qui ante mortem patris sui, defuncto Rodulfo, Comite Viromandensi eumdem Comitatum, per vxorem sibi debitum, obtinuerat. Balduinus Comes Montensis, & Philippus Comes Flandriæ confœderantur.

Rugiani, Sclauorum populi, ab Erico Danorum Rege, & Finlandi ab Erico Sueco-rum Rege victi, Christum agnoscunt. Helmoldus, presbyter & Canonicus Busonienſis, historiam conuersionis Henetorum siue Sclauorum ad Christum, à temporibus Karoli Magni vsque ad hæc tempora perduxit. Hebronensi in Syria ecclesiæ primus datur Episcopus Rainaldus, Fulcherij Patriarchæ Hierosolymitani nepos.

1169.	XVII.	XXXIII.	XV.	VII.

Fredericus Imp. ad comprimendos Italienses ire disponens, Henricum filium suum adhuc puerum in Regem sublimat Aquis.

Noua iterum Romanis consurgit ruina: quia cum Tusculanis bellum ciuile ineuntes, penè vsque ad internecionem Romani deleti sunt. Hac de caussa discordia magna inter Alexandrum Papam & Romanos orta est. Alexander Papa auxilia militum vndecumque contrahens, cum Tusculanis Romanos & Imperatori adhærentes debellabat. Fredericus autem Imp. Christianum Archiepiscopum Moguntinum Cancellarium suum, cum valido exercitu in Italiam misit; qui Imperatoris hostes inuadens, munitiones eorum

R. F. A. H. ANNO CHR.

eorum destruxit, & ciuitates cepit, magnamque partem Italiæ Imperatori subegit.

Balduinus iunior, filius Balduini Comitis Haginoensium, vxorem duxit Margaretam, sororem Philippi Comitis Flandrensium: *ex qua genuit Balduinum, postea Flandriæ Comitem & Constantinopolitanum Imperatorem; & hac via successio Flandriæ rediit ad verum heredem & rectam lineam.*

Maria, filia Stephani Regis Angliæ, habitum religionis resumsit. * *Milo II. Morinorum Episcopus obiit: Desiderius, Tornacensis Episcopus ei in pontificatu succedit.* **Consentit Iperius.*

XVIII. XXXIV. XVI. VIII. MCLXX. 1170.

Heinricus, Rex Angliæ, Heinricum filium suum in Regem sublimat in Anglia per manus Rogeri Archiepiscopi Eboracensis, eiusque suffraganeorum: cùm tamen Rex Anglorum, iuxta priuilegia Rom. Pontificum, ecclesiæ Cantuariensi collata, deberet inungi ab Archiepiscopo Cantuariensi.

Ludovvicus Rex Francorum, & Heinricus senior Rex Anglorum ad mutuum conuenerunt colloquium: vbi Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, cum vtriusque regni proceribus, adfuit, & pax inter ipsum & Regem Angliæ magis palliatur, quàm confirmatur.

Obiit Balduinus IV. Comes Haginoensis, VI. Idus Nouembris, in monte Castri-loco, & in ecclesia S. VValdetrudis, ab Alexãdro Aquicinensi Abbate sepelitur. Successit ei Balduinus filius eius, huius nominis Comes V.

Ipso die ventus vehemens, pluuiæ mixtus, periculosus & damnosus exstitit, in tantum, vt domos, turres, & ædificia subuerteret, siluasque euelleret. Inter cetera tectum maximæ turris sancti Ioannis Baptistæ Lauduni euulsit, & longiùs à templo proiecit.

Thomas Archiepiscopus Cantuariensis ab Heinrico Rege septenni exsilio iniuriatus, tandem ipsius Regis permissu, ante natale Domini, ad suam sedem reuertitur: *Philippo Flandriæ Comite per Flandriam vsque in Angliam ipsum comitante. In hoc transitu ipse Præsul capellam in Male, hospitio Flandriæ Comitis, consecrauit. Dominicus, qui ordinem Prædicatorum postea instituit, Calarogæ in Hispania nascitur. Ordo * Humiliatorum ab exsulibus Mediolanensibus, instituitur.* ** De iis Vitriacus hist. occid. c. 28.*

XIX. XXXV. XVII. IX. 1171.

* Thomas Archiepiscopus Cantuariæ, ac Primas totius Britanniæ, diu ab Heinrico Rege iniuriis & exsilij fatigatione afflictus, die V. natiuitatis Dominicæ, in maiori ecclesia, hora nona, ante quoddam altare, à satellitibus præfati Regis, capite mutilato, effusoque cerebro, in congregatione pretiosorum martyrum coronatur à Domino: ad cuius sepulcrum mira & inaudita per eius merita à Domino Deo fiunt miracula. Alexander Papa, & omnes ** Iperio & aliis annum à Kalendis Ian. incohantibus, obiit, an. 1170.*

ANNO CHR. R. F. A. H.

Episcopi Franciæ, interfectores Archiepiscopi anathematizant. Heinricus Rex Angliæ, pro interfectione beati Thomæ, ab omnibus exosus habetur.

Christianus, Cancellarius Imp. Frederici, Alexandrum Papam, & Tusculanos Imperatori aduersos obsessurus, Tusculum pergit. Alexander autem Papa, veritus imminentem iam ceruicibus suis Cancellarium, animo consternatus, de ciuitate fugere disponit. Hoc eius propositum omnibus innotuit, quorum custodia detentus ex vrbe discedere non potuit: ciues tamen, accepto consilio, Cancellarium magnis obsequijs delinitum, maximisque auri & argenti muneribus honoratum, de sua ciuitate aliò transmittunt.

Lege Sigõ de regno Italia.

1172. XX. XXXVI. XVIII. X.

In Italia homines agrarij VVilhelmi Marchisi de Montferrat, cum quibusdam militibus, terras suas & possessiones relinquentes, cum vxoribus & filijs, vrbem nouam contra Fredericum Imp. ædificant, quam Alexandriam in honorem Alexandri Papæ nuncupant.

Heinricus Rex Angliæ vltra se elatus, inconcessa captans, & affectans indebita, regnum Hiberniæ subiugaturus, & regium diadema, vt putabat, capiti suo impositurus, naues parat, militesque de suo regno congregat. Ingressus igitur Hiberniam, cùm pagenses sensisset ad bellandum satis paratos, tum panis, quo patria premebatur, timens inopiam, tum ventorum in redeundo cauens discrimina, confusus recessit in sua.

Alexander Papa legatos in Normanniam ad Heinricum Regem dirigit, Autbertum videlicet presbyterum Cardinalem, sancti Laurentij in Lucina, & Theotimum presbyterum Cardinalem, tituli sancti Vitalis. In quorum præsentia, adstantibus Episcopis & regni sui optimatibus, de interfectione beati Thomæ, tactis Sanctorum reliquijs, præfatus Rex se purgauit: & ecclesijs sui regni, quæque sui erant iuris, ad arbitrium Cardinalium restituens, à vinculo absoluitur anathematis.

Alexander Papa, auditis miraculis, quæ Deus per beatum Thomam martyrem suum operabatur, per auctoritatem Apostolicam, decreuit eum in numero sanctorum martyrum solenniter habendum. Interfectores beati Thomæ Archiepiscopi, pænitentia ducti, ad Papam Alexandrum pergunt, & in omnium præsentia, graui plectuntur sententia. *Obijt Godescalcus quondam Atrebatensis Episcopus, in Monte S. Martini, ordinis Præmonstratensis monasterio, apud Laudunum sito; cuius loci, ante episcopatum, Abbas fuerat. Stephano III. Hungariæ Regi succedit Ladislaus, & Ladislao Stephanus IV.*

XXI. XXXVII. XIX. XI.

1173. Imp. Fredericus & VVilhelmus Marchisus de Montferrat, exercitum congregant, vt in sequenti anno Alexandrinos & Italienses expugnent.

Contra Heinricum Regem, coniuratione vxoris & filiorum eius, quorumdam

R. F. A. H. ANNO CHR.

rumdam etiam optimatum eius exortâ, filij eius ad Ludovvicum Regem Francorum, contra patrem auxilium petentes confugiunt.

Rex verò assumto secum Philippo Comite Flandrensi, in Normanniam expeditionem ducit. Exercitu autem eorum in duas partes diuiso, Philippus cum suis Flandrensibus tres munitiones summa cum festinatione cepit.

Matthæus verò Comes Boloniæ, frater Philippi Comitis, sagitta letaliter vulneratus, ibi non multò pòst obijt, & sepultus est in monasterio sancti Iudoci. Rex autem Francorum cum suis Francis quoddam castrum, cum magna difficultate cepit; sed his qui in arce eiusdem castri erant, viriliter repugnantibus, eam capere non potuit. Rex itaque relictâ obsidione castelli, pænè inefficax redijt. Heinricus Rex Angliæ aduersantes sibi, alios exauctorizauit, alios bonis priuauit, ac per hoc amicos etiam suos magis contra se exacerbauit.

Alexander Abbas Aquicinensis pretiosas plurimorum Sanctorum reliquias, de diuersis ecclesiarum locis congregauit, quas in theca auro & argento ad hoc præparata decenter locauit.

Obijt Andreas Atrebatensis Episcopus: Robertus Ariensis Præpositus loco eius eligitur.

Alexander Papa domnum Bernardum, Clarevallensem Abbatem, in numero sanctorum confessorum in ecclesia decreuit honorandum. Hiems solitò asperior; hiemi accedit intemperies aëris. Nam corrupto aëre, mense Decembri, homines succumbunt infirmitatibus diuersis; multi etiam infirmitate illa moriuntur, quam medici vocant catarrhum & tussim. *Stephano IV. Hungariæ Regi sufficitur Bela. In Polonia Boleslaum Regem excipit Casimirus.*

XXII. XXXVIII. XX. XII. 1174.

Obijt Alexander Aquicinensis ecclesiæ Abbas VIII. Succedit ei Simon, monachus eiusdem ecclesiæ, Abbas IX.

Petrus Cameracensis electus, frater Philippi Comitis Flandriæ, assensu eiusdem fratris sui, relicto episcopatu & clericali corona, in hebdomada pentecostes, sabbato, armis militaribus accingitur. Sequenti anno vxorem duxit, relictam Comitis Niuernorum, eodemque anno diem clausit vltimũ.

Robertus Atrebatensium electus, industriâ Philippi Comitis, Cameracensium Episcopus eligitur. In episcopatu autem Atrebatensi * Frumaldus Archidiaconus Ostrouandiæ, ipso Roberto annitente, substituitur. * Frumoldus.

Fredericus Imp. & VVilhelmus Marchisus de Montferrat, post pentecosten Italiam potenter ingresi, nouam Alexandriam obsidione cingunt.

Ludovvicus Rex Francorum, Heinricus & Richardus, filij Regis Angliæ, cum Philippo Comite Flandriæ contra præfatum Regem iterum insurgunt: qui in Normanniam profecti, ciuitatem Rotomagum obsederunt. Pars verò quædã exercitus Flandriæ, instinctu Roberti Cameracensis electi, Angliam deprædatura, trans mare mittitur: quorum alij marina tempestate

ANNO CHR. R. F. A. H.

quassati, alij verò ab Anglis militibus viriliter suscepti, & ignominiosè repulsi, cum dedecore ad propria sunt reuersi.

Heinricus Rex Angliæ, cernens se ab omnibus impeti, in se reuersus, tandem hoc suis imputauit peccatis, & suis viribus diffidens, diuinum poscit auxilium. Qui Cantuariam veniens, beatum Thomam Archiepiscopum, olim à se iniuriosè tractatum, humili & deuota satisfactione, ad sanctum tumulum eius vberrimè flendo, placauit: quæ res ei, vt credimus, victoriam contulit. Nam mox Regem * Gualensiũ, diu sibi rebellem, & quosdam inimicos suos, quindecim dierum spatio, in deditionem coëgit: quorumdam etiam Anglorum contra se sentientium motus compescuit. Posthoc in Normanniam reuersus, ciuitatem Rotomagum à Rege Francorum obsessam, circa mediam noctem est ingressus.

* VValensium.

Iacobus de Auesnis, quidam * miles diues, in obsidione Rotomagẽsi, à Roberto, Cameracensi electo, contumelijs verborum afficitur. Rex Francorum & Comes Flandrorum de obsidione illa inefficaces redierunt: sic filij contra patrem venientes, reuersi sunt inglorij.

* *Id est, Eques, vt nunc loquimur.*

* Robertus Cameracensium electus, à seruientibus Iacobi de Auesnis, ignominiosè apud Condatum in Hannonia perimitur. Duo Cameracenses Archidiaconi ad episcopatum per contentionem eliguntur, Rogerus scilicet & Alardus. Sed Rogero à Philippo Comite Flandrorum & saniori parte abdicato, Alardus substituitur. Vterque episcopatum desiderans, transcensis Alpibus certatim ad Imp. Fredericum in Italiam pergit. Imperator itaque visis personis, auditaque ratione electionis, visis etiam litteris Philippi Comitis, pro Alardo petentibus, communicato cum Episcopis, qui ibi aderant, consilio, illi episcopatum dedit.

* *Consensu Iperius*

Philippus Comes Flandrorum, contra Iacobum de Auesnis, pro interfectione Roberti Cameracensis electi, cum exercitu vadit: sed interuentu Heinrici Remensis Archiepiscopi detentus, pacto pacis magis vtrimque simulato, quàm composito, in Flandriam redijt. Hiems pluuiosa exercitum Frederici Imp. Alexandriam obsidentis, nimis attriuit.

1175. XXIII. XXXIX. XXI. XIII.

Heinricus Rex Angliæ & filij eius, mediante Ludovvico Francorum Rege pacificantur. Heinricus Remorum Archiepiscopus natale Domini apud Aquicinctum celebrauit: deinde profectus est in Flandriam, ad curiam Philippi Comitis, ibique Iacobus de Auesnis, de morte Roberti Cameracensis electi, facto secundùm iudicium curiæ iuramento, se immunem ostendit.

In die sancto Parasceues, Philippus Comes Flandrorum, cum multis alijs, in Hierusalem profecturus, crucem accepit.

Æstas pluuiosa & damnosa messem Augusti mensis, & autumnalem vindemiam protelauit. Per Galliam & Germaniam panis inopia multos affligit. Sub hac tempestate multi monachi & milites, in hac nostra regione eleëmosynas

R. F. A. H. ANNO CHR.

ſynas largas pauperibus tribuebant: inter quos Valcellenſes monachi eminebant. Obijt Heinricus Remenſis Archiepiſcopus, frater Ludovvici Regis Francorũ. Magna circa natiuitatem Domini fluuiorum redundantia, in tantum, vt Sequana, Axona & Liſa alueos ſuos egreſſi, vna nocte, magnum circummanentibus damnum inferrent, multos etiam necarent. *Alexander III. Papa, nouam Inſubriæ vrbem Alexandriam epiſcopali cathedra exornat. * Milites S. Iacobi his temporibus in Hiſpania celebrari cœperunt; eodem Papa Alexandro approbante, & S. Auguſtini regulam ijs præſcribente. Primus eius militiæ Magiſter creatus eſt Petrus Fernandus à Ponte Encalato.* * *Lege Vitriacum & Marianam.*

XXIV. XL. XXII. XIV. 1176.

Inter Imp. Fredericum & Italienſes vario euentu ſæpenumerò pugnatur. Chriſtianus Cancellarius, de pace inter Imperatorem & Papam reformanda, valdè erat ſollicitus.

Heinricus Rex Anglorum, miſſis nuntijs ad Philippum Comitem Flandrorum, neſcio quibus verbis aut promiſsionibus illectum, ab itinere Hieroſolymitano detinuit hoc anno. Iacobus de Aueſnis ſatis ſuperbus & inſolens, contra dominum ſuum Comitem Haginoenſem rebellat; at Balduinus Comes contumaciam eius ægrè ferens, caſtellum eiusdem Iacobi Condatum obſidione cingit, auxilio Philippi Flandrorum Comitis. Iacobus verò ſuis diffidens viribus, claues caſtelli inuitus Comiti reddidit: Comes verò accepto caſtello murum & turrim ſolo tenus æquauit.

Obiit Petrus, frater Philippi Comitis apud Hilſeldunum. Ortâ iterum inter Philippum Comitem & Iacobum de Aueſnis ſimultate, poſt meſſem Auguſti, aſſumto ſecum Comite Haginoenſi, duas eiuſdem Iacobi munitiones, ſitas in Comitatu Viromandenſi, Comes Flandrorum cum ſumma feſtinatione cepit: quarum alterâ deſtructâ, alteram ſibi retinuit. Magna panis & vini abundãtia. In ciuitate Cameraco, & caſtro ſancti Quintini, in Gandauo & in Betunia multæ eccleſiæ & domus ſunt incenſæ. VVilhelmus Senonenſis Archiepiſcopus, frater Elizabeth Reginæ Francorum, de Senonenſi eccleſia in Remenſem eccleſiam transmutatur. * Obijt Amalricus Rex Hieruſalem, ſuccedit ei Balduinus, filius eius, ætate impotens & infirmitate. * *Tyrius an. 1173.*

XXV. XLI. XXIII. I. 1177.

Inter Fredericum Imp. & Italienſes pax vſque in quinquennium firmatur. Italienſes Imperatori ſubmittentes colla, magnis eum auri & argenti onuſtant muneribus. Imperator degens in ciuitate Rauenna, & Alexander Papa in Venetia, legationes alternatim, de pace inter ipſos reformanda plus vice ſimplici mittunt. Philippus Comes Flandrorum, circa pentecoſten Hieroſolymam petit. VVilhelmus, filius VVilhelmi Marchiſi de Montferrat, qui filiam Amalrici Hieroſolymorum Regis vxorem duxerat, à tranſmarinis militibus veneno exſtinguitur. *Lege Sigonium lib. 14. hiſt. de regno Ital.*

DE

DE RECONCILIATIONE REGNI ET SACERDOTII.

Consule Baronium & Ciaconium.

Hoc eodem anno IX. Kal. Augusti facta est lætitia magna in vniuersali ecclesia, quia discordia, quæ inter regnum & sacerdotium per XX. annos fuerat exagitata, & magno scandalo toti mundo erat, auctore Deo, in hac die est pacificata. Christianus enim Archiepiscopus Moguntinus, qui & Cancellarius, & primates regni cum Episcopis conuenientes, Fredericum Imp. ad domnum Papam Alexandrum, discalceatum, & regijs ornamentis nudatum, in Venetia, in loco, qui Altus riuus nuncupatur, adduxerunt. Ipse verò cum tanta humilitate, quod ei fuerat indictum, impleuit, vt illius exstitisse opus sine dubitatione creditur, de quo dicitur, Cor Regis in manu Dei, vbi voluerit conuertet illud. Sanè quàm timoratum Deo, & obedientem ecclesiæ & domno Papæ se curauerit exhibere, lacrymis pedes eius deosculando, & regijs muneribus honorando, magnificè demonstrauit. Sequenti verò die, in festiuitate scilicet S. Iacobi Apostoli, domnus Papa cum Cardinalibus suis & Episcopis, Missam solenniter celebrauit, & prædictum Imperatorem à vinculo anathematis absolutum, Corpore & Sanguine Domini nostri IESV Christi, in confirmatione vnitatis & pacis communicauit. Tota ciuitas lætatur, & Imperatorem muneribus honorans, conuiuijs vacat. Alexander Papa de pace recepta, & de honore à Deo sibi collato gaudens, epistolas ad omnes Episcopos Galliarum dirigit, continẽtes seriem huiusmodi:

Epistola Alexãdri III. Papæ.

Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, VVilhelmo Remensi Archiepiscopo, Apostolicæ sedis Legato, & suffraganeis eius, & dilectis filijs Abbatibus, in Remensi prouincia constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm per auxilium, potentiam & fauorem carissimi in Christo filij nostri Ludovvici illustris Francorũ Regis, & regni sui, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ ac nobis recognoscamus gloriosa & magnifica beneficia prouenisse; dignum est & consentaneum rationi, vt illi & vobis, quorum auxilio potenter sumus in necessitatibus nostris adiuti, prosperos & felices pacis successus significemus: indubitata veritate tenentes, quòd post Deum idem Rex simul cum regno suo, cooperatus est honori, & exaltationi sanctæ Ecclesiæ, & ei magnum contulit incrementum. Quod quidem sicut verbo recognoscimus, ita opere & sermone omni tempore, auctore Deo, recognoscemus. Notum sit autem sollicitudini vestræ, quòd carissimus in Christo filius noster Fredericus, illustris Romanorũ Imperator, per inspirationem diuinæ gratiæ, deposito vanitatis errore, ad viam veritatis conuersus, ad obedientiam ecclesiæ & nostram, reuerenter & deuotè, sicut decuit, redijt, & illam B. Petro in nobis reuerentiam & deuotionem exhibuit, quam antecessores eius nostris consueuerunt antecessoribus exhibere, & se de cetero exhibiturum promisit. Super quo vtique laudes altissimo agimus,

agimus, & consequenter Regi & regno gratias copiosas referimus, de eo quòd Ecclesiam & nos ipsos in tribulationibus & persecutionibus nostris nequaquam deseruit, sed vsque in finem magnificè iuuit & defendit. Monemus itaque dilectionem vestram & hortamur attentiùs, quatenus Ecclesiæ & nobis in prosperitatibus congaudentes, in deuotione beati Petri & nostra, sicut hactenus firmiter perstitistis, perseueretis, & Regem, vt in eodem cum regno suo persistat, monere propensiùs & inducere studeatis. Data Venetiæ in Riuo alto, VI. Kal. Augusti.

Nono Kal. Augusti, die Dominica, ipso die quo pax inter Imperatorem & Papam facta est, dedicata est Marcianensis ecclesia, in honore sanctorum Apostolorum Petri & Paulli, à VVilhelmo Remensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, & duobus Episcopis, ipsius suffraganeis, Frumaldo scilicet Atrebatensi, & Euerardo Tornacensi.

Æstas nimiùm fuit sicca & calida. Messis triticea prouenit vberior solitò. Post finem mensis Augusti, autumnus nimis exstitit pluuialis. Vindemia etiam ipsius temporis, multis in locis corrupta est. Nam quadam matutinali nebula vuæ contactæ, atque ita putrefactæ sunt, vt vinum ex eis expressum magnam bibentibus attulerit incommoditatem. Multi etiam in hac nostra regione diuersis laborant febribus, multi & moriuntur.

Ludovvicus Rex Francorum & Heinricus senior Rex Anglorum, magnificè confœderantur. Heinricus Comes Trecarum, cum multis alijs in Hierusalem profecturus, crucem accipit. Philippus Comes Flandriæ, à transmarinis Principibus seu militibus cum magno honore suscipitur. Paucis autem, postquam illuc venerat, euolutis diebus, inter ipsum & Templarios, pro quibusdam regni negotijs, ortâ simultate, Palæstinâ relictâ, Antiochiam Syriæ, à Principe ipsius ciuitatis inuitatus, proficiscitur. Initium hiemis frequentibus pluuijs & ventorum flabris satis molestum.

Princeps Antiochenus & Philippus Comes Flandriæ, congregato vndecumque exercitu copioso, castellum Harenc, Christianitati superioribus annis violenter ereptum, omni ex parte obsident. Quo nuntijs intervolantibus cõperto, Salahadinus Princeps Damasci, putans omni militum solatio Hierosolymorum ciuitatem destitutam, congregatis Turcorum seu Saracenorum Admiraldis à Damasco, ciuitatem Hierusalem, prout superbo cogitabat animo, capturus, & totam deleturus Christianitatem, adiunctâ secum sagittariorum & rusticorum innumerâ turbâ, Gazam peruenit. Exin Hierosolymorum iter arripiens, Regem ipsius ciuitatis, & Templarios milites cum cruce Dominica, paruoque armatos milite, sed fide Christi animatos, obuios excepit. A quibus victus, confusus & confutatus, omnibus pænè suis gladio seu flumine, qui interfluebat, consumtis, totus sanguineus suorum militum cæde, in Damascum sanguineam regreditur. Actum est hoc à Christianis victoriosum bellum, feria VI. ante natale B. Andreæ Apostoli, Philippo Comite, & Principe Antiocheno cum suis exercitibus in obsidione

Lege Ian. Vuriacum in hist. &c. cid.

ANNO. CHR. R. F. A. H.

Harenc laborantibus. Pridie Kal. Decembres in nocte festiuitatis beati Andreæ Apostoli, ventus vehemens ab Africa veniens, multis in locis damnosus exstitit. Obijt Alardus Cameracensis Episcopus, & Valcellis sepelitur. Electio Episcopi, factâ ad Apostolicam Sedem appellatione, in sequentem annum differtur.

1178. XXVI. XLII. XXIV. II.

Circa finem Ianuarij mensis, cùm gelu & nix liquarentur, inundatio fluminum per totas Gallias talis erupit, quæ illusas viuariorum & structuras molendinorum rapido impetu secum ferret, domos euerteret, multos etiam necaret. Rogerus Cameracensis Archidiaconus, dono ab Imperatore Frederico accepto, ipsius vrbis donatur episcopio.

Eclipsis lunæ facta est, III. Nonas Martij, die Dominica, prima noctis hora sequentis secundæ feriæ. Eodem die Rogerus Laudunensis Episcopus, cùm pagenses episcopij sui à communione inter se, assensu Ludovvici Regis perperam iurata, minimè retrahere posset, malo accepto consilio, militum auxilia vndecumque contrahens, II. Non. Martij, in diebus scilicet Quadragesimæ, eos aggressus est: vbi quidam interfecti, multi etiam capti, quidam autem eorum, dum fugerent, in quodam flumine necati sunt.

Philippus Comes in obsidione Harenc parum proficiens, procinctum soluens circa diem paschalem, ob visionem sacri ignis, Hierosolymam remeauit. Celebratâ ergo ibidem paschali solennitate, marina timens discrimina, per Hesperiam, Thraciam & Pannoniam, seu Saxoniam redijt ad propria.

Æstas sicca, nec nimis calida vsque ad V. Non. Iulij exstitit. Abhinc pluuiæ erumpentes, vsque ad ipsas Kalendas Ianuarij, homines afflixerunt. Nam fœnum secare, triticum metere, vinum colligere, semen iacere vix potuerunt. Eclipsis solis facta est Idib. Septembris, ante VI. horam.

Alexander Papa subdiaconos Cardinales ad submonendum concilium, in Quadragesima anni sequentis celebrandum, per totum pænè Christianissimum dirigit. Philippus Comes Octobri mense reuersus, à suis Flandrensibus fauorabiliter est susceptus. Inter quos Brugenses opidani piscem monstrosum, iam pridem à piscatoribus captum & sale conditum, ei obtulerunt. Habebat enim ad similitudinem auis rostrum permaximum, & super caput cartilaginem, gladio simillimam.

1179. XXVII. XLIII. XXV. III.

Secunda hebdomada mensis Ianuarij niues copiosè ceciderunt: subsequitur gelu maximum, vsque in medium mensem Februarij, nimis molestum. Reliqui dies eiusdem mensis, Martius quoque & Aprilis, vento flante, continuè Subsolano, gelidissimi fuerunt. Hoc istius anni initio carissima pecudum fuit annona: ita vt quod retroactis annis tribus comparabatur de-

narijs, s

narijs, nunc tribus venderetur solidis, fœni scilicet & straminis. Subsecuta est mortalitas ouium & boum.

Generale concilium apud Romam, in patriarchio Lateranensi Alexander Papa celebrauit: in quo plusquam CCC. Episcopi, cum quibusdam * transmarinis adfuerunt. Quidam etiam Episcopi de Græcia legatos suos eôdem transmiserunt. Abbatum etiam interfuit innumera penè multitudo. Ibi domnus Papa ordinationes factas ab Octauiano & Guidone, & Ioanne Strumensi, qui eos fuerat secutus, irritas esse censuit. Decreta ipsius concilij, quia multa sunt, & penes multos habentur, in hac chronicæ breuitate scribere non fuit vtile. *Tyrius eos recenset l.21.c.26.* *Consule Onuphr. & Baron.*

Simon Abbas Aquicinensis, in reditu à concilio, Clarevallem diuertit, & reliquias domni Bernardi, eiusdem cœnobij Abbatis, petitas obtinuit, & in hoc Aquicinensi monasterio decenter reposuit. Messis triticea solitò fuit rarior; porrò auena seu tertij mensis semina supraścripta reparauêre damna.

* Ludovvicus Rex Francorum, assumto secum Philippo Comite Flandrensium, mare transnauigans, Cantuariam pergit, sanctumque martyrem Thomam diuersis muneribus honorauit. Heinricus senior Rex Anglorum honorificè eum suscepit. Autumnus perpulcher & calidus, vsque ad V. Nonas Octobris exstitit. Ludovvicus Rex Francorum filium suum Philippum in Regem sublimat Remis, in festiuitate omnium Sanctorum. Sequenti Dominica Guilhelmus Remensis Archiepiscopus, Cardinalis presbyter, tituli sanctæ Sabinæ, & Apostolicæ Sedis Legatus, conuocatis Episcopis, & totius secundæ Belgicæ personis, concilium tenet, tractans cum suis coëpiscopis, de rebus sibi vel Ecclesiæ necessarijs. *Iperio, an. 1180.*

Iterum Romana Ecclesia schismaticorum affligitur violentia. Nam post reconciliationem Frederici Imperatoris cum Alexandro Papa, Ioannes Strumensis, Apostolici nominis præsumtuosus inuasor, suis suorumque diffidens viribus, ad pedes domni Papæ corruit vltroneus. Cui domnus Papa, obtentu Cancellarij, veniam clementer indulsit, eumque Præpositum Beneuentanæ ecclesiæ constituit. Porro schismatici quietem non ferentes ecclesiæ, iterum quemdam clericum de progenie illorum, quos Frangipanes Romani vocant, contra Papam Alexandrum, Antipapam statuunt: quem mutato nomine Innocentium Tertium vocitarunt. Quem quidam miles, frater Octauiani, qui per contentionem cum Alexandro prouectus fuerat, propter odium Papæ manu tenebat, traditâ ei turri vel munitione suâ, quam iuxta Romanam ciuitatem fortissimam habebat. At istius violentia supra ceteros schismaticos afflictus Papa, communicato cum Cardinalibus consilio, pace cum Cardinalibus, propinquis prædicti Octauiani reformatâ, præfatam munitionem à prædicto milite magno pretio comparauit. Sicque per industriam Hugonis diaconi Cardinalis, qui & ipse inter Romanos nobilissimus erat, prædictam cepit, cum sæpefato pseudopapa, munitionem: qui ad pedes *Lege Baron. & Ciaconium.* *Consule eosdem.*

ANNO CHR. R. F. A. H.

des domni Papæ adductus, in cauea est perpetuò clausus. Hoc anno Christianis transmarinis magnum accidit infortunium; quia suis omnibus pænè militibus occisis vel vulneratis, munitionem Vadi Iacob perdiderunt. Henricus Dux Saxoniæ Frederico Imperatori aduersatur.

MC. LXXX. 1180. XXVIII. XLIV. XXVI. IV.

Fredericus Imp. anno superiori, vndecumque contracto exercitu, super Ducem Saxoniæ hostiliter vadit. Is enim filiam Heinrici Regis Anglorum habebat in coniugio: qui in expeditione Italica, ab ipso Imperatore ter commonitus, venire noluit, sed nec nuntium nec milites in eius auxilium direxit. Vndè Imperator vltrà quàm dici potest, commotus, ciuitates, castella, opida, terras auferendo, eum debellat. Colonienses ciues, qui & ipsi Imperatori in Italiam proficiscenti aduersi aliquantulum exstiterant, audito infortunio Ducis Saxoniæ, Imperatorem pertimescentes, ciuitatem suam vallo miræ latitudinis & profunditatis muniunt, & aquas Rheni fluminis in circuitu vrbis nobilissimæ circumducunt.

Christianus Archiepiscopus Moguntinus, Imperatoris Cancellarius, in Italia negotium exsequens sibi iniunctum, dolo filij Marchisi de Montferrat capitur. Philippus filius Ludovvici Regis Francorum vxorem ducit Elisabetham, filiam Balduini Comitis Montensis, quæ fuit filia Margaretæ sororis Philippi Flandrensium Comitis. Celebratæ sunt hæ nuptiæ Bapalmis à Rogero Laudunensi Episcopo: vbi adfuerunt Comites Philippus Flandrensis, Balduinus Montensis, Heinricus Namucensis, Clari-montis, Suessionensis, Pontiuensis, & sancti Paulli.

Ludovvicus Rex senior, Reginam in die Ascensionis Domini, in basilica sancti Dionysij martyris per Archiepiscopum Senonensem eiusque suffraganeos coronari fecit. Hoc anno per hanc nostram Galliam profert humus frumentum, hordeum, legumina, & sufficientem auenam. Heinricus Comes Campanensis à partibus transmarinis per Asiam Minorem & Illyricum repatrians, insidijs quorumdam, magnum passus est detrimentum, amissis non solùm facultatibus, sed etiam suis interfectis, seu captis omnibus pænè hominibus.

Ludovvicus Rex Francorum Septimus, per annum paralysi dissolutus, tandem mense Septembri morbo & vita caruit, *& in monasterio Cisterciensis ordinis, nomine Barbel, ad Sequanam fl. est sepultus*: qui regnum Francorum per *XLIV. annos satis iusto moderamine gubernauit: cui successit filius eius Philippus, huius nominis Rex secundus. Domnus Abbas Simon Aquicinctensis nonus, communicato cum fratribus suis consilio, ecclesiam sancti Saluatoris mense Septembri deponit: eo quòd non sufficeret tam parua basilica magno conuentui Aquicinctensi. Et hoc multoties à tempore domni Gosuini Abbatis, successorisque eius Alexandri, præmeditatum fuerat: sed alijs dissolutionem ordinis, alijs operis magnitudinem, & quamdam prætendentibus

* Alijs, XLV.

R. F. A. H. ANNO CHR.

dentibus difficultatem, alijs verò aliàs intentis, hoc opus vsque ad hæc Simonis Abbatis tempora est protelatum. Tandem omnes vnanimes, corde magno & animo volenti, veterem, vt dictum est, deponunt basilicam, venturo anno incepturi nouam. Igitur Missa de sancta Trinitate, in maiori ecclesia deuotissimè celebratâ, XV. Kal. Octobris, maius altare cum multorum lacrymis deponunt, & incohationem nouæ ecclesiæ, propter instantem hiemem, in sequentem annum differunt.

S. Hildegardis virgo & Abbatissa cœnobij Bingensis, ordinis S. Benedicti, in diœcesi Moguntina, moritur, anno ætatis LXXXII. Christianus Archiepiscopus Moguntinus moritur in Italia, non procul ab vrbe Roma. Heinricus Comes Campaniæ, filius Theobaldi Comitis, Hierosolymis reuersus, moritur.

XXIX. I. XXVII. V. 1181.

Anno Verbi incarnati MCLXXXI. Indictione XIV. Luna XIII. concurrente III. epacta III. anno à prima constructione eiusdem ecclesiæ centesimo tertio, mense Martio, die II. eiusdẽ mensis, id est, feria II. Dominicæ II. Quadragesimæ, iacta sunt fundamenta istius nouæ Aquicinctensis ecclesiæ. Missa igitur de sancta Trinitate celebratâ, Simon Abbas, assumtis secum duobus Abbatibus, Ioanne videlicet S. Amandi, & Nicolao Maricolensi, cum Sanctorum reliquijs, crucibus, thuribulis, & cereis, cum tota congregatione cappis solennibus indutâ, processit ad locum. Ibi aderat Balduinus Comes istius pagi, cum multitudine militum, & aliorum Christi fidelium. Primum lapidem in fundamento Comes manibus suis cum cæmento posuit, & in ecclesia magnum gaudium fuit. Ipsa dies, quod prætereundum non est, sed attentiùs notandum, valdè clara & perpulchra exstitit: cùm ceteri mensis transacti dies valdè pluuiosi & nimbosi exstiterint.

Heinricus Comes Trecarum, his diebus Quadragesimæ, à transmarinis partibus ad propria reuersus, à nepote suo Rege Francorum, ceterisque regni optimatibus cum magno fauore excipitur. Philippus Rex Francorum, & Philippus Comes Flandrensium ab Heinrico Rege Anglorum, ante Heinrici Comitis reuersionem sollicitati, vt super Fredericum Imperatorem, propter Ducis Saxoniæ exheredationem, secum ducerent exercitum, à Comite supradicto consilio accepto, à tali auertuntur facto.

In Saliaco villa beatæ Rictrudis, natus est agnus habens duo capita & septem pedes. Heinricus Comes, infra VII. dies suæ reuersionis, apud Trecas diem obijt. Hugo Cameracensis quondam Decanus, qui ecclesiæ Aquicinctensi, in principio suæ prouectionis, magno fuit adminiculo, à proprio remouetur sepulcro. Nam nouæ ecclesiæ fundamentum per ipsum recto tramite suum dirigebat cursum: lapis in sepulcro eius repertus est, in quo hoc scriptum continebatur:

ANNO CHR. R. F. A. H.

HIC EST SEPVLTVM CORPVS HVGONIS DECANI SANCTAE MARIAE CAMERACENSIS ECCLESIAE, QVI CONSTRVXIT CLAVSTRVM CVM PORTICV EIVSDEM ECCLESIAE, CAPELLAMQVE SANCTI GINGVLFI. INSVPER, VT CETERA TACEAMVS, MVLTIS ANNIS A CARNE ABSTINVIT, SVPER PLVMAM NON IACVIT, NISI FORTE IN HOC MONASTERIO, IVSSV ABBATIS. HIC CONSTRVXIT CLAVSTRVM, PORTICVM, ELEEMOSYNARIVM, CAPELLAMQVE BEATAE MARIAE, ET MVLTA ALIA BENEFICIA FRATRIBVS CONTVLIT. HIC IN FESTIVITATE OMNIVM SANCTORVM, POSTQVAM MISSAM CELEBRASSET, GRAVI INFIRMITATE PERCVSSVS, MONACHVS EFFECTVS, OBIIT IN BONA CONFESSIONE ET VERA FIDE, ANNO DOMINI MXC. III. VI. ID. NOVEMBR.

Fredericus Imperator Heinricum cognatum suum, Ducem Saxoniæ debellans, omnia pænè ipsius castella sibi subiugauit, & eum in quamdam insulam, quæ Brunsvvich lingua Saxonica nuncupatur, fugere compulit.

Heinricus Anglorum Rex, Ducis Saxonum exheredationem & filiæ suæ ægrè ferens, nuntios ad Imperatorem dirigit, & vt ab omni possessione præfati Ducis animum retrahat, munera auri & argenti magni ponderis promittit. Sed Imperator munera despexit, aures clausit, & Ducem victoriosis attritum prælijs ad deditionem coëgit.

Alexander Papa senex & plenus dierum, vicesimo fermè ab vrbe milliari, in quadam Rom. Ecclesiæ possessione, diem clausit vltimum: cui successit Hubaldus Ostiensis Episcopus, Alexandro senior, patria Lucensis, quem alterato nomine Lucium III. appellauerunt.

Philippus puer Rex Francorum, & Philippus Comes Flandrensium, post festiuitatem omnium Sanctorum, instante hieme, quæ in isto anno & hoc mense nimis exstitit pluuiosa, inter se dissentiunt, & cum ipsis omnes primores Francorum. Huius mali incentores fuisse feruntur Comes Clari-montis, Rodulfus etiam de Cociaco, & filij Roberti cognomento Clementis, Regis consiliarij. Insurgit ergò primus Comes in Regem, & Rex versâ vice, in Comitem. Incendia & rapinæ exercentur, ecclesiarum exspoliationes, burgensium oppresiones, pauperum destructiones, vsque ad Aduentum Domini grassantur. Tandem appropinquante die natiuitatis Dominicæ, sapientibus viris cum Rege tractantibus, vsque ad octauas epiphaniæ, istius guerræ induciæ dantur. *Gerardus Comes de Gelra, Idam filiam Matthæi & Mariæ Comitissæ Boloniensis, duxit vxorem, & breui postmodùm mortuus est.*

1182. XXX. II. XXVIII. VI.

In ipsis diebus natiuitatis Dominicæ, Fredericus Imp. nuntios cum epistola in Franciam dirigit, Regi consilium dans, vt cum Comite faciat pacem. Quòd si nollet facere, sciret pro certo, se Comiti Flandriæ, auxilium pro posse

posse laturum. Post octauas epiphaniæ, inducijs finitis, milites plures numero, quàm priùs, vtrimque armantur, rapinæ, cædes, incendia, absque vllo remedio perpetrantur. In Regis procinctu isti erant signiferi, Heinricus Rex Anglorum iunior, Richardus frater eius, Dux Aquitanus, Comes Clarimontis, & Rodulfus de Cociaco: Comiti verò Flandriæ aderant Balduinus Comes Haginoensis, Hugo Comes de sancto Paullo, Iacobus de Auesnis, & Hugo de Oisy, Castellanus Cameracensis. Vniuersa Gallia hoc vento agitata hac illacque curuatur: nec fuit citra Alpes locus qui se absconderet ab auditu tonitrui huius: instantibus autem sanctæ Quadragesimæ diebus, religiosis viris hinc inde discurrentibus, iterum induciæ vsque in pascha obtinétur. Philippus Comes, Dominica III. Quadragesimæ, ad colloquium Heinrici Regis iuuenis, filij Frederici Imp. Leodium vadit, seque iniustè conquestus est à domino suo, Rege scilicet Francorum, vexari. Heinricus autem Rex, vt domino suo humiliter satisfaciat, Comitem cohortatur, promittens ei sub sacramento suum non defuturum auxilium, si Rex Francorum suum renueret audire consilium.

Elisabeth Flandrensium & Veromandensium Comitissa, post nimias tribulationes & corporis infirmitates, die sancto parasceues defuncta, sequenti die, astante Philippo Comite, cum magnis plurimorum lacrymis, in ecclesia beatissimæ Dei genitricis Mariæ, Atrebati honorificè est tumulata. Post pascha Heinricus Rex Anglorum senior, mari transito, in Normanniam venit: nam filij eius, sicut suprà diximus, Heinricus Rex & Richardus Dux, Regi Francorum, contra Comitem Flandriarum auxilium ferebant. Dux autem Burgundiæ, & Comitissa Campaniæ, soror Regis, quondam vxor Heinrici Comitis, Philippo Comiti associati debellabant Regem: Gulielmus verò Remensis Archiepiscopus & Comes Blesensium Theobaldus, Regis auunculi, reformandæ paci intendebant. Igitur transactis inducijs inter Regem & Comitem, pax non sperabatur, sed bellum. Ex insperato tamen Heinricus senior Rex Anglorum & Philippus Rex Francorum, Philippus etiam Comes Flandriarum, mediante Heinrico Albanensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, cum Archiepiscopis, Episcopis Abbatibus, & Francorum proceribus, inter Crispeium & ciuitatem Siluanectensem, & nuntijs pacis intercurrentibus, pax inter eos firma firmatur. Numquam, nostrâ ætate audiuimus tantum belli incendium, tam paruâ pacis scintillâ exstinctum.

Balduinus Rex Hierusalem, regio morbo laborans, & fastigia regni fastidiens, Templarij quoque & transmarini milites, sæpenumerò nuntios transmittentes, Regem Francorum & Anglorum obsecrant, vt regnum Hierosolymitanum ordinantes, & terræ succurrentes, de corona regni suum velle faciant. Fredericus Imp. solennitatem pentecostes apud Moguntiam celebrat: ad hanc Imperatoris curiam omnes pænè primates Teutonici regni adfuerunt: Philippus quoque Comes Flandriæ cum suis Baronibus adfuit, qui se liberalissimum super omnes regni Principes, sua dando, non sine admi-

ratione

ANNO CHR. R. F. A. H.

ratione multorum exhibuit. Ibi Heinricus Dux Saxoniæ, triennij condemnatus exsilio: qui de regno coactus exire, ad Heinricum Regem Anglorum se cum sua contulit vxore. Tandem consensu Imperatoris, quosdam terræ suæ redditus, ad sui exsilij sustentationem, habere permittitur. Mauritius Parisiacæ ciuitatis Episcopus, vas vtile, & oliua fructifera in domo Dei, floret inter coepiscopos suos in Gallia. Præter illa enim quæ intrinsecus sunt, quæ solus nouit Deus, exteriùs claret litteraturâ, verbi Dei prædicatione, eleẽmosynarũ largitione, & bonorum operũ exhibitione. Ecclesiam beatissimæ Dei Genitricis MARIAE, in qua ipse residet Episcopus, proprijs magis sumtibus quàm alienis, decentissimo & sumtuoso opere renouauit, plateam ante ipsam ecclesiam inter vtrumque pontem dilatauit, redemto magno pretio à ciuibus loco, multis mansionibus priùs occupato; mansiones renouauit Episcopi; duas abbatias, vnam Canonicorum, sanctimonialium alteram construxit. In ecclesia magis est assiduus quàm frequens. * Vidi enim eum in quadam non solenni festiuitate, cùm hora vespertina decantaretur, non in cathedra episcopali, vt moris est, sed cum ceteris psallentem, & sedentem in choro, vallatum plusquam centenario clericorum numero.

** Nota ætatem scriptoris.*

Heinricus etiam Siluanectensis Episcopus, iustitiæ dicitur inuictus esse amator, & iustæ seueritatis tenax. Luna mensis Augusti, & in accessu & in discessu nimis exstitit pluuiosa, & admodùm frigida, quæ magnam incommoditatem per multa generauit loca. Nam segetes humidæ in horreis sunt reconditæ, fœnum vix potuit colligi; & vini maturitas & collectio tardiùs prouenit. Quattuor hæretici in Atrebatensi ciuitate deprehensi, à Frumaldo eiusdem ciuitatis Episcopo, in carcere sunt reclusi. Quorum vnus dicebatur Adam litteratus, alter Radulfus, eloquentissimus laicus: sequentium nomina nescimus. Horum iudicium Episcopus iam paralysi laborans Archiepiscopo reseruauit. *Maria, filia Stephani Regis Anglorum, quondam Abbatissa, postea Boloniæ Comitissa, tertiodecimo anno, postquam resumserat habitum sanctimonialis, apud Monasteriolum moritur & sepelitur.*

XXXI. III. XXXIX. VII.

Tranlactis diebus natiuitatis Dominicæ, VVilhelmus Remensis Archiepiscopus, & Comes Flandriæ Philippus, in ciuitate Atrebatensi, de secretis suis locuturi conueniunt. Ibi multarum hæresium fraudes per quandam mulierem in terra Comitis sunt detectæ. Isti hæretici nullius hæresiarchæ muniuntur præsidio: quidam dicunt illos Manichæos, alij Cataphrygas, nonnulli verò Arianos, Alexander autem Papa vocat eos Pateruios. Sed quidquid sint, oris proprij confessione conuicti sunt hæretici immundissimi. Multi sunt in præsentia Archiepiscopi & Comitis accusati; nobiles, ignobiles, clerici, milites, rustici, virgines, viduæ, vxoratæ. Tunc decretalis sententia ab Archiepiscopo & Comiti præfixa est, vt deprehensi incendio traderentur; substantiæ verò eorum sacerdoti & Principi resignarentur.

Obijt

R. F. A. H. ANNO CHR.

Obijt Frumaldus Episcopus Attrebatensis: ecclesia prædicta anno vacauit integro. Manuele Imp. Constantinopolitano mortuo, Alexius filius eius adhuc puer, post eum imperat. Hic, viuente patre, filiam Ludovvici Francorum Regis vxorem duxerat: qui morem patris imitatus, Græcos paruipendens, Latinos diligebat. Horum consilio vtebatur, horum auxilio sustentabatur & clericali scientiâ, & laicali iustitiâ. Hæc fuit caussa interitus ipsius, sicut sequens demonstrabit annus.

Heinricus iunior Rex Angliæ, & Gaufridus frater eius, Comes Britanniæ, insurgunt super Richardum fratrem suum, Comitem Aquitaniæ. Quo audito Heinricus Rex senior, pater eorum, indignè ferens, quòd talia, sine assensu suo, facere præsumsissent, Richardo filio suo, contra fratres suos, militum copiam misit in auxilium. Certatum est multis diebus vtrimque, donec immatura morte præuentus Heinricus Rex iuuenis, bellandi finem fecit. Qui cum multis lacrymis & incomparabili omnium luctu (nam diligebatur nimis ab omnibus) ad Cenomanos defertur, & ibi sepelitur. Quod pater audiens (non enim interfuerat morti nec sepulturæ) iterato planctu & multiplicato, ab ipso Rotomagum defertur, & ibi cum patribus suis, cum magno gemitu, secundò sepelitur.

In ciuitate Atrebatensi Petrus Abbas Cisterciensis Episcopus eligitur. * *Domnus Bernardus verè pœnitens, in monasterio S. Bertini apud Artesios moritur: cuius vitam virtutibus plenam scripsit domnus Ioannes, postea Abbas S. Bertini. Idam prædictam, filiam Matthæi Comitis, Boloniæ Comitissam, Bertoldus Dux de Saringes, duxit vxorem.*

* *Iperius consentit.*

XXXII. IV. XXX. VIII. 1184.

Fredericus Imp. in Italiam proficiscitur. Romani Lucium Papam paruipendentes, & clerum despicientes, magnum commiserunt flagitium. Nam extra vrbem fortè quosdam clericos inuenientes comprehenderunt, & omnes excæcauerunt, præter vnum, quem ad dominum Papam direxerunt. Quod intuens Papa ingemuit, & eos qui hoc scelus perpetrauerant, perpetuo feriens anathemate, cum suis exijt ab Vrbe. Qui veniens Veronam, ibi resedit vsque ad diem mortis suæ.

Philippus Rex Francorum, consilio quorumdam Baronum suorum, Philippo Comiti Flandriæ inuidentiū, Reginam vult dimittere. At illa ad Deum conuersa, tantam erga Dei Genitricem in ciuitate Siluanectensi exhibuit deuotionem, humilitatem & contritionem, vt omnes pænè intuentes ad lacrymas commoueret. Nam nudis pedibus per plateas ciuitatis incedens, & cereos in manibus portans, eleēmosynamq̃ue omnibus indigentibus affluenter dispertiens, intrauit beatæ Dei Genitricis ecclesiam. Vbi & diutiùs orauit, & ipso die omnes ciuitatis pauperes lautè refecit, quibus ipsa ministrauit. Quod Rex & omnes optimates eius audientes, compassi sunt, & pœnitentiâ ducti, ab incepto destiterunt. Propter hanc caussam & alias, inter

ANNO C.I.R. R. F. A. H.

Regem & Comitem pax est turbata. Post pentecosten Rex & Comes, cum suis exercitibus in marchis terrarum suarum conueniunt. Regis exercitus equitibus, porrò Comitis, agminibus peditum optimè armatorum praecellebat. * Standarum altissimum, draconem desuper praeferentem, Comes secum super currum quattuor rotarum duci fecit: quod Rex, cum tota Francia, valdè indignè tulit. Tamen mediante Heinrico Anglorum Rege, ab instanti festo S. Ioannis, vsque in annum protelantur induciae. In his inducijs Balduinus Comes Hainoensis à Rege ponitur: vnde Philippus Comes valdè est indignatus.

* *Id est, vexillū.*

Kalendis Maij signum circa horam sextā in sole apparuit. Nam eius pars inferior tota est obscurata, in medio verò quasi trabem subobscuram habebat, reliqua autem pars tota erat pallida: ita vt omnes videntes, eumdem colorem in vultu praeferrent. Philippus Comes Flandrorum, & Balduinus Comes Montensis, in loco qui nuncupatur Mons sancti Remigij, ad mutuū veniunt colloquium. Vbi Balduinus eum obsecrat, quatenus contra Heinricum Ducem Louaniensem, se exheredantem, auxilium ferat: quod cum Comes renueret, discordes discedunt ab inuicem. Balduinus Comes Montensis, super Heinricum Ducem Louaniae, cum exercitu in loco, qui dicitur Lembeca vadit, sed Ducem imparatum non inueniens, & vt quidam asserunt, à suis proditus, inefficax redijt. Mense Augusto Philippus Comes Flandrorum, secundam duxit vxorem, filiam Regis Portugalensis Adelfonsi, nomine ** Tarasiam.

** *Alijs Mathildē.*

Petrus Abbas Cisterciensis ordinatur & consecratur Episcopus Atrebatēsis, Veronae in ecclesia beati martyris Zenonis, *per Guilielmum Archiepiscopum Remensem.* Graeci indignè ferentes, quòd Imperator eorum Alexius Comnenus Francos eis praeponeret, Andronicum cognatum eius dolosè vocant, vt veniat, & Imperatorem, vtpote puerum, quasi vir sapiens manu teneat. Qui nuntijs grataner susceptis, assumtis secum Saracenis Iconiensibus, ciuitatem ingressus est. Die sequenti palatium ingreditur cum paucis & Imperatorem salutat, at ille eum magnificè honorat, & se illius tuitioni commendat, quem ille in sua suscipit fide. Qui quod animo conceperat mente, perfecit opere. Paucis enim elapsis diebus, palatium armato milite stipatus ingreditur, Graecos, Francos, Anglos, quos ibi inuenit, omnes interfecit. Ipsum denique Imperatorem cum sua matre capiens, in carcere clausit: quos post modicum in mare perductos, crudeliter innocentes necari fecit, & omnes eius familiares, qui in vrbe remanserant, interfecit. Tunc imposito sibi diademate, imperat ciuitati nobilissimae, non vt Imperator, sed sicut tyrannus. Deinde his pro nihilo ductis, nuptias facit illicitas, Annam vxorem cognati sui, Imperatoris scilicet domini sui, filiam Regis Francorum accipiens.

Consule Graecae historiae scriptores.

Philippus Comes Flandrorum, Balduinum Comitem Montensem, per nuntios saepenumerò conuenit, vt sibi & suae vtili concordaret voluntati. Ille verò minimè acquiescente, mense Nouembri, Philippus Archiepisco-

pus

R. F. A. H. ANNO CHR.

pus Coloniæ ab oriente, Philippus Comes Flandrorum à meridie, porro Duacenses & Pabulenses ab occidente, terram eius ingressi, incendijs & rapinis eam sunt demoliti. Balduinus verò Comes congregatis armatis septingentis, terram Comitis, virtute militum irrumpere cupiens, cùm ad villam quæ Obercicurtis dicitur, armatus cum armatis venisset, mutato consilio regressus, milites à se conductos abire permisit. Die autem natiuitatis Dominicæ propinquante, induciæ dantur vtrimque.

Guilielmi Tyrij Archiepiscopi historia belli sacri, quæ vulgò legitur, ad hunc vsque annum est deducta. Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus venit in Galliam & Angliam, à Regibus aduersus Saracenos auxilium petiturus.

XXXIII. V. XXXI. IX. 1185.

Multi per loca diuersa in Francia, & Flandria, & Hainau, discordiam Principum & guerram pertimescentes, vnusquisque ciuitatem suam castellum seu villam muro circumdat, vallo firmat. Cum autem inter Philippum Regem & Philippum Comitem induciæ finiendæ essent, & Comes Flandrensis suam præpararet expeditionem; Balduinus Comes Montensis siue Hagnoensis, terram Iacobi de Auesnis virtute irrumpens, veteris memor iniuriæ, incendio tradit. Ille enim incentor discordiæ, inter vtrumque Comitem esse ferebatur. Post festiuitatem S. Ioannis, inducijs finitis, Rex & Comes exercitus militum & peditum armatorum producunt. Qui in pago Ambianensi residentes, rei finem exspectabant. Tandem Dei nutu, vt credimus, Comes ad gratiam Regis redijt, antequam aliquis caperetur, vulneraretur, vel perimeretur. Tunc Regi reddidit quædam castella Comitatus Veromandensis, inter quæ eminebant Causiacus, Torota, Mons Desiderij, Calmacus, & Comitatus Ambianensis. Ibi pacificantur Philippus Comes Flandrensis & Balduinus Hainoensis, sed nondum corde firmo.

Hic annus abundat frumēto & vino. Francigenæ vilipendunt Philippum Comitem Flandrensem in præsentia Regis apud Compendium, verbis nugacibus irritantes eum. Qui in Alemanniam pergens ad Regem Heinricum, eius consilio animatus, & auxilio, si necesse fuerit, corroborandus, hilaris in Flandriam reuertitur.

Andronicus Constantinopolitanus tyrannus interficitur in palatio, à quodam * milite regij generis, quem dolosè occidere disponebat. Qui animatus auxilio parentum suorum & ciuium, Andronicum odientium, occidere se volentem occidit, & consentientibus pro eo imperauit: qui Imperatricem, filiam scilicet Ludovvici Regis Francorum, clausit, & ei condigno honore ministrari præcepit. (* Lucius Papa apud Veronam mortuus est: quem in ecclesia beatæ Mariæ, in sepulcro marmoreo, ante maius altare sepelierunt: Cui successit Lambertus Mediolanensis Archiepiscopus, quondam Bituricensis Archidiaconus, qui, iuxta morem prædecessorum suorum, nomine mutato, vocatur Vrbanus III.

* *Isaacio Angelo.*

* *Consentiunt Onuph. & Ciacon.*

h 2 Imp.

ANNO CHR.	R.	F.	A.	H.
1186.	XXXIV.	VI.	XXXII.	X.

Imp. Fredericus dies Dominicæ natiuitatis, cum Heinrico Rege filio suo, apud Papiam peregit. Illis diebus fecit Imperator nuptias filio suo, despondens ei filiam Rogeri, ditissimi quondam Regis Siciliæ, & Ducis Apuliæ, Regis Francorum cognatam. Hæc enim nata est ex filia Comitis de Reitesta. His nuptijs interfuit Comes Flandriæ Philippus, cum plurimis Imperij Romani primatibus. Qui eundo, Franciam dimittens, per Germaniam iter fecit; reuertens verò per Franciam venit, ne Regi Francorum esset suspicioni. Rex autem, aduentu eius audito, nuntios fideles ad eum dirigit, mandans ei, & designans locum, vbi ad secretum conuenirent colloquium. Rex eum honorificè suscepit, mutuò colloquuntur, & pax inter eos firma firmatur.

Vrbanus Papa, & Imperator Fredericus, inter se dissentiunt. Multimodæ fuerunt [a] caussæ dissensionis; præcipua, quòd Patriarcha Aquileiensis, & quidam Episcopi interfuerunt, absque consensu Papæ coronationi Heinrici Regis, die quodam solenni in Italia. Quos omnes Papa à diuino suspendit officio. Alia, quòd [b] Formosum electum Treuerensem, electum canonicè sabbatho sancto pentecostes, in presbyterum Cardinalem, & crastino die in Archiepiscopum, contra votum Imperatoris, consecrauit. Nam alter electus perperam fuerat, quem Imperator manutenebat. His & alijs caussis intercurrentibus inter Papam & Imperatorem in Italia pax turbatur.

[a] De caussis hic allegatis & alijs, consule Baronium aliosq́ue.

[b] Folmarum nuncupat Laurentius Leodicensis in historia ms. Episcoporum Virdunensium.

Fredericus Imp. Cremonenses sibi aduersos, auxilio Mediolanensium, in suum inuitos cogit seruitium. Imperator relinquens Heinricum filium suum in partibus Beneventanis, in Germaniam redit. Heinricus Rex, Imperatoris filius, quemdam Vrbani Papæ seruientem, & multas secum auri & argenti pecunias deferentem, obuium ex insperato habens, aurum & argentum auferens, in contumeliam Papæ, nasum ei præscidit.

Balduinus Comes Hainoensis, & Heinricus auunculus eius, Comes Namucensis super Godefridum Ducem Louaniensem vadunt, & eius terram incendunt. Villa Gemblacensis peroptima, cum ecclesia sancti Guicberti tunc est incensa. Philippus Rex Francorum, & Philippus Comes Flandrorum, contrahentes vndecumque copiosum exercitum, hostiliter vadunt super Ducem Burgundionum: qui fortitudinem Regis & Comitis non sustinens, quibusdam castellis perditis, ad pedes Regis veniens, semetipsum dedidit. Pridie Kal. Iulij turbo grauissimus & tempestas valida ab Africo veniens, & ad Subsolanum tendens, per multa loca fruges & omnia sata pessumdedit. Nam lapides ouo gallinæ maiores per loca diuersa ceciderũt, qui pecora & aues occiderunt: fenestras quoque vitreas ecclesiarum, & domorum tegulas confregerunt: stipula quoque, quæ in agris remanserat, ita erat fetens & inutilis, vt nec pastui esset apta bestijs. Obijt Gaufridus Comes Britanniæ, filius Heinrici Angliæ Regis. Vindemia in pago Belluacensi

luacensi & Nouiomensi per tempestatem tota pænè est perdita, non solùm in his locis, sed etiam in Comitatu Ostrevandensi & Hainoensi. *Liuonia Christum agnoscere cæpit, prædicante Meinardo sacerdote Lubecensi, qui postea Liuoniensium Episcopus est ordinatus.*

XXXV. VII. XXXIII. XI. 1187.

Hoc anno incomparabilis dolor & tristitia ineffabilis vniuersæ accidit Christianitati. Nam Balduino Rege Hierosolymorum, filio Amalrici * defuncto, successit ei Balduinus puer, eius ex sorore nepos, filius VVilhelmi Marchisi de Montferrat, quem suprà diximus veneno exstinctum. Tutela pueri & regni, ex consilio primatum totius prouinciæ, committitur Comiti Tripolitano. Mater autem pueri Sibylla, satis astuta, extorsit à Patriarcha & ceteris Principibus regni, vt, si puer decederet, morte immaturâ, sibi redderetur corona regia. Balduinus Rex Hierosolymorum, sub tutela Comitis Tripolitani, moritur; mater verò eius, Comitissa de Ioppe à Patriarcha, & militibus templi & hospitalis, & ceteris prouinciæ primoribus, coronam regni, sibi hereditario iure competentem, expetijt. Quâ receptâ, capiti viri sui Guidonis, Comitis de Ioppe, eam imposuit. Is autem Guido erat genere Aquitanus, de castello * Lesinione, à semine regio alienus. Quod factum multis Principibus displicuit, maximè Comiti Tripolitano. Rex verò, prædictus cùm * hominium requireret à præfato Comite, ei denegauit; insuper & Salahadinum, Regem Babylonis, & Principem Damasci, super eum inuitauit, & fœdus pacis, quod cum Christianis per duos annos pepigerat, disrumpere fecit. Salahadinus, auditâ eorum discordiâ, gauisus est, & contracto vndique Turcorum & Saracenorum innumerabili exercitu, ante mensem Augustum, prope montem Thabor castra locauit. Guido autem Rex, congregato exercitu Christianorum, comparatione paganorum minimo, iuxta ciuitatem Nazareth tentoria fixit. Comes autem Tripolitanus, facti pœnitens, ad Regem venit, & videns exercitum Christianorum imparatum & paruum, consilium dat Regi, vt ad tempus recedat, & ciuitates & castella totius regni muniat. Cui Rex minimè acquieuit. Comes autem cum suis statim inde recessit, & terram suam muniuit & custodiuit. Guido verò Rex nondum duos menses in regno transegerat. Initur bellum miserabile, & omnibus Christicolis valdè lamentabile. Albertus Bethleemites Episcopus ferebat crucem Dominicam: in quo conflictu ipse sacerdos occiditur, crux Dominica à paganis aufertur, & heu! translata est gloria ab Israël, vt de arca Domini refertur. Rex capitur, & omnes Principes aut occiduntur, vel capiuntur, vulgus innumerabile perimitur. Sicque omni terrâ pænè à suis defensoribus vacuatâ, Salahadinus terram perambulat, ciuitates capit, castella aut sibi retinet aut destruit, monasteria euertit, monachos, presbyteros, clericos interficit, sanctimoniales dehonestat & occidit. Rex cum ceteris captiuis & Cruce Dominica, Damascum ducitur: Armenij,

* An. 1185. vt alij tradūt

* Lusignione.

* homagium.

Hierosolymitanam vrbem hoc anno à Saracenis in potestatem redactam, tradunt Vrsperg. Vitriacus & alij.

ANNO CHR.	R.	F.	A.	H.

Græci, Christiani, magno dato auri pretio, sepulcrum Domini cum sua ecclesia, & Domini templum à Salahadino redemerunt. Hæ sunt ciuitates, quæ Christianis remanserunt, Antiochia Syriæ, fortitudine Principis sui & inhabitantium custodita; Tyrus ciuitas Phœniciæ, per industriam Guilielmi filij Marchisi de Montferrat, fratris Guilielmi, quem suprà retulimus exstinctum veneno, retenta; Tripolis etiam per Comitem & inhabitantes retenta. Obijt Comes Tripolitanus, huius mali incentor.

Vrbanus Papa à Verona secedens, & Venetiam ire disponens, Ferrariam venit. Ibi audito graui nuntio de perditione transmarinæ Christianitatis, in infirmitatem decidit; quo mortuo & ibidem tumulato, succedit ei * Anthertus Cancellarius eius, qui alterato nomine, vocatus est Gregorius VIII. & Pisis moriens, ibidem in ecclesia B. Mariæ est sepultus: cui succedit Paullus Prænestinus Episcopus, qui mutato nomine, vocatur Clemens III. Richardus Aquitaniæ Dux, filius Heinrici Anglorum Regis iniuriam sepulcri Dominici vindicaturus, primus omnium Principum regni Francorum crucem assumit, ante natalem Domini. *Leontius Patriarcha Hierosolymitanus contra Heraclium à Græcis constitutus, moritur: cui Dositheum Græci ijdem suffecerunt.*

* Albertus.

1188.	XXXVI.	VIII.	XXXIV.	I.

Post natiuitatem Domini, Philippus Rex Francorum, & Heinricus Rex Anglorum, & Heinricus Episcopus Albanensis, Legatus Romanus, & multi alij tam Episcopi, quàm Duces & Comites, in marchis vtriusque regni conuenerunt: vbi inter eos de diuersis caussis sunt tractata diuersa, maximè de Ecclesia trāsmarina. Ambo Reges cum multis sui regni Principibus, Episcopis, & militibus, & nobilibus, & ignobilibus trans mare profecturi, cruces accipiunt. Richardus Aquitaniæ Dux, insurgit contra dominum suum Regem Francorum: quem Rex totis viribus excipiens, compulit ad deditionem. Pace autem inter eos firmatā, contra Heinricum Regem Anglorum exercitum ducunt, & eius castella diripiunt & incendūt: nam semper Francorum Regibus aduersus exstiterat.

Dominica media Quadragesimæ, apud Moguntiacum generali curiā congregatā, Fredericus Imp. cum multis Episcopis, & totius regni sui Principibus, & innumerabili multitudine Teutonicorum cruces sumunt. Comes Namucensis Heinricus, filiam suam vnicam, adhuc lactentem, dat Heinrico Comiti Trecarum, & cum ea post suum decessum, omnem terræ suæ Comitatum. Balduinus Comes Hainoensis, ex sorore nepos eius, hoc audiens & videns, indoluit: quia eundem Comitatum valdè affectabat, & pro eo adipiscendo, tam Imperatori Frederico, quàm ceteris de curia, multas dederat pecunias. Cum autem ante mensem Augustum in guerra Regis Francorum, Heinricus Comes Trecensis inexcusabiliter occupatus esset, & Heinricus Comes lecto decumberet, Balduinus vndecumque contracto exercitu, castrum milites nudatum & defensoribus reperiens, inexpugnabilis

R. P. A. H. ANNO CHR.

bile castrum Namucense, vt putabatur, fortunâ sibi arridente cepit. Mediante autem mense Augusto, vltrà progreditur, & castellum fortissimum Bouiniense obsidione cingens, post diem XV. viriliter cepit, & omnem terram, citra Mosam, Comitatus Namucensis sibi subdidit. Paucis verò diebus transactis, Comes Namucensis, * Canonicos de ecclesia Floressia eijciens, contra impetum Balduini castellum sibi fecit, & milites cum suis satellitibus ibi constituit.

* Regulares scilicet ordinis Praemonstratensis.

Notatio de cereo Bethuniensi.

Vt suprà ad annum Christi 1129. de cereo Atrebatensi; sic hoc loco pauca quædam de cereo Bethuniensi notare, haud abs re fuerit. *Bethunia oppidum est Artesiæ apud Belgas, in quo sodalitas est ciuium, quam partim ab effectu, partim ab auctore, C A R I T A T E M Æ L I G I A N A M nominant; qua fortasse nihil habet vniuersa Europa neque laudabilius, neque Reipublicæ salutarius. Græcè non ineptè νεκροφορία ab exportandis cadaueribus siue funeribus efferendis nuncupare possis: qua fit, vt nemo hic, cuiuscumodi sit conditionis, supremo funeris & sepulcri honore careat. Auctor, seu potiùs suasor huius instituti fertur fuisse S. Eligius, vetus ille Flandrorum Apostolus, idemq́ Nouiomensis ac Tornacensis Episcopus: qui anno MCLXXXVIII. eodem temporis & horæ articulo, duobus fabris ferrarijs, vni Bethuniæ, alteri Beurieri (inter quæ interuallum est passuum amplius mille) sub noctem apparuisse, & vt cereum illum toto Belgio memoratissimum (qui etiamnum visitur, pompis solennibus circumfertur, ad sacra accenditur, neque vlla tamen sui parte deperire perhibetur) formarent, commonefecisse proditur. Quam rem cum diligentissimè inquisitione cognouisset Rogerus ad illum Praiectus, in suburbijs occiduis Bethuniensibus, Brier, singulari vitæ sanctimonia præditus, suasor fuit, vt eiusmodi sodalitas, quædam velut νεκροφορία καὶ θεραπεία, caritatis & Christianæ in defunctos pietatis alumna, institueretur. Ad cuius legitimam & politicam administrationem, quotannis XXI. viri, ex honestissima ciuium ordine deliguntur, qui communibus suffragijs Præpositum & IV. viros creant, quos Maiores nominant, qui se duces præbeant, & ceteros pro sua auctoritate sese subsequi cogant in ædium mortualium penetralia: inde cadauera exportare; & sandapila & sepulturam efferre, quocumque morbi genere etiam pestilentiæ extincta, mortuorum sodalitatem nomina dederint. Cuinatrastatos epidlimites mortui deprehendantur. Et annis iam abhinc quadringentis, vsu & longinqui temporis perstilitatione, est compertum, nihil vmquam contagionis ex adfectis corporibus contraxisse eos, qui tam piam Christianæ caritatis munus exercerent. Quod quidem beneficium Bethunienses ciues, cum immensæ Dei clementiæ, tum assiduæ beati Eligij, tutelaris Diui, apud eumdem pro se suaq́ ciuitate intercessioni, meritissimè acceptum referunt.* Sic Andreas Hoius, Brugensis, Græcarum Duacilitterarum Professor, in Bethuniensis vrbis descriptione.

XXXVII. IX. XXXV. II. 1189.

* Fredericus Imp. cum suo exercitu, post dies paschæ, arripuit iter, & cum magno exercitus sui detrimento, transijt per Hungariam, Thraciam & Græciam, & peruenit vsque ad fluuium Syriæ nominatissimum Farfar. Porrò nostri milites, Iacobus scilicet de Auesnis, Hellinus Dapifer, & multi alij diuersæ dignitatis & ordinis, per Apuliam incedentes, mare transeunt, & vrbem Acon, quam Ptolemaidam scriptura diuina vocat, obsidione cingunt. Eodem tempore obijt VVilhelmus Rex Apuliæ, Christianorum transmarinorum protector & defensor, absque herede: qui congregatis totius regni sui Principibus, heredem regni designat Heinricum Regem, filium Frederici Imperatoris, qui eius amitam habebat in coniugio. Qui omnes cum sacramento fide interposita promiserunt, sua prædicto Regi colla submissuros. Post mortem verò Regis VVilhelmi, fidem & sacramentum, quod fecerant, paruipendentes, quemdam Tancredũ ex semine regio sibi Regẽ creauerunt.

* Consentiunt Vspergensis, Andreas Marchianensis, & alij.

Phi-

ANNO CHR.

R. F. A.

Philippus Rex Francorum, assumtis secum Philippo Comite Flandrorũ, & Richardo Aquitaniæ Comite, castella & villas regni Heinrici Regis Angliæ incendit & destruit. Rex verò Angliæ ad conflictum non sustinebat eos, sed eorum aduentu audito, quasi fugiens de loco ad locum secedebat. Tandem Cenomanos peruenit; quò eum Rex Francorum & Richardus Comes insecuti sunt: qui insperatum eorum audiens aduentum, vltrà quàm credi potest, contristatus, in infirmitatem decidit. Cumque apud castellum, quod vocatur Cinon, venisset, vbi pars thesaurorum eius custodiebatur, languore ingrauescente, moritur. Qui apud fontem Ebraldi deportatus, vix necessarios sumtus, ille quondam diues & præpotens, ad sepeliendum habens, ibi in monasterio virginum tumulatur: cui succedit Richardus Comes Aquitanus, filius eius. Obijt Hugo Castellanus Cameracensis. Elisabeth Francorum Regina, satis religiosa, ad Dominum migrauit, & cum nimio Francorum planctu in ecclesia beatæ Mariæ Parisijs sepelitur. Ciuitas Atrebatensis, cum ecclesia sancti Vedasti, incendio conflagrauit. * *Ordo militum Teutonicorum incohatur; quem anno MC.XCI. Februarij die XXII. Cælestinus Papa confirmauit. Primus huius ordinis Magister creatus fuit Heinricus Vualpot.*

** De ijs Vitriacus hist. orient.*

MC. XC. 1190.

XXXVIII. X. I.

Circa festiuitatem S. Ioannis,* Philippus Rex Francorum, & Richardus Rex Anglorum, trans mare profecturi, iter arripiunt; Rex Francorum portum Genuæ ciuitatis expetijt, & Rex Anglorum Massiliam venit. Pridie Kal. Augusti, Christiani qui Acon obsederant, inconsultis exercitus Principibus, infeliciter pugnauerunt aduersus Salahadinum, instigante eos Elberto presbytero, Duacensi Decano: vt relatum est * nobis ab his qui interfuerunt. Ibi occisus est idem Elbertus, & multi alij vsque ad VI. millia interierunt. Cùm Rex Francorum Genuæ ventum ad transfretandũ exspectaret aptum, quadam die in eadem ciuitate fulgur de cælo quinquies cecidit: quod Regem valdè perterruit. Tandem omnibus necessarijs præparatis, in die festiuitatis sancti Laurentij, relicto portu, velificauit: cumque prosperè nauigarent, & iam multa maris spatia transuolassent, repentè ventus surgens contrarius, Regem retrogredi coëgit. Multæ naues confractæ sunt, equi amissi, instrumenta lignea, quæ secum ducebat ad capiendas munitiones, sunt perdita. Milites etiam multi submersi & perditi. Sicque Rex Francorum suo frustratus conatu, in Messana ciuitate, cum Rege Anglorum transitum sequentis anni exspectans resedit. Comes autem Flandrorum Philippus, mediante Augusto profectus est, & in Italia hiemauit. * Ipso anno eodem, Fredericus Barbarossa Imperator, cùm in flumine Farfar, prope Antiochiam, lauandi & refrigerandi caussâ nataret, violentiam aquæ non sustinens, ter in eiusdem aquæ profundo demersus est, & cum magno militum labore inde est extractus. Qui triduo supervixit elinguis, & corpore Dominico accepto, cum sacra vnctione, diem vltimum clausit: cui successit in regno Heinricus filius eius.

** Huius expeditionis historia, Gallicè à Vilarduino, qui tunc vixit, scripta, exstat Parisijs ms. in Bibliotheca Regina.*

** Nota ætatem scriptoris.*

** Cōsentit Vrsperg.*

R. F. A. ANNO CHR.

eius. Porrò exercitum eius, qui in Syria remanserat, rexit Conradus Dux Sueuorum, filius ipsius. Obijt Euerardus Tornacensis Episcopus: cui successit Stephanus. In hebdomada, quæ præcessit natiuitatem Dominicam, factum est prælium in Hispania, inter Reges Hispaniarum & Saracenos: in quo Christiani, Deo auxiliante, victores facti innumerabilem eorum multitudinem peremerunt.

Lege Marianã historiam Hispaniæ.

I. XI. II. 1191.

Multi tam Principes quàm Episcopi, & innumerabilis multitudo vulgi, qui vrbem Acon obsidebant, mortui sunt, tam propria morte, quàm Saracenorum telis; Balduinus Archiepiscopus Cantuariensis, Rogerus Cameracensis Episcopus, Fredericus Dux Sueuorum, Theobaldus Comes Blesensis, & Stephanus frater eius, Hellinus quoque Dapifer Flandrensis, & multi alij. Philippus Rex Francorum, Richardus Rex Anglorum, & Philippus Comes Flandrorum, post mensem Martium, cum suis exercitibus, mare transeunt. Richardus Rex Anglorum antequam transiret, vxorem duxit filiam Regis Nauarræ, contemtâ sorore Regis Francorum, quam spoponderat. Clemens III. Papa obijt; succedit ei Hyacinthus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ, in schola Græca, genere nobilissimus, ætate prouectus, & vocatus est Cælestinus III. Heinricus Rex, filius Frederici Imp. in Imperatorem in solennitate paschali ab eo coronatur: qui in sua promotione multas contradictiones tam à Romanis, quàm à Cardinalibus sustinuit: tandem cernens regnorum perturbationem, & Apuliensium erga se commotionem, pro tempore Cardinalibus satisfecit, Papæ restituens multa, quæ antecessores eius Ecclesiæ abstulerant; Romanis verò munitionem Tusculanam tradens, quam pater eius Papæ abstulerat: quâ Romani acceptâ, in coronationem Imperatoris præbuerunt assensum.

Consule Ciaconiũ & alios.

Philippus Comes Flandrorum, in obsidione vrbis Aconensis, indigentibus & maximè militibus, qui sua stipendia consumserant, sua erogando, nimiùm liberalis exstitit. Si mille haberem linguas, non potero proferre necessitates famis, frigoris & æstus, quas in quadriennali vrbis obsidione exercitus Dei sustinuit. Philippus Comes Flandrorum inclytus Kalendis Iunij obijt, tertio mense transfretationis suæ, & sepultus est in basilica sancti Nicolai, foris murum Aconis: vbi etiam tumulati sunt plusquam L. tam Episcopi, quàm Duces & Comites. In cuius obitu dolor incomparabilis Christianis fuit, gaudium verò Saracenis & Turcis.

Eclipsis solis facta est IX. Kal. Iulij, die Dominica, hora VI. in vigilia beati Ioannis Baptistæ, fulgore eius in aquilonari parte remanente, iuxta quantitatem tertianæ lunæ. Post festiuitatem sancti Ioannis Philippus Rex Francorum, & Richardus Rex Anglorum, cum suis exercitibus vallum, quod Saraceni in circuitu ciuitatis munitissimum fecerant, cum magno labore muro ciuitatis coæquauerunt: & petrarias X. prope murum erexerunt.

ANNO CHR. R. F. A.

Saraceni verò & Turci impetum eorum non ferentes, & de ciuitatis retentione diffidentes, eam Regi Francorum & exercitui Christiano V. Kal. Iulij reddiderunt. Quam Rex ea conditione recepit, vt omnes inde sani exirent, si & Salahadinus sanctam Crucem, & II. millia & DC. captiuos redderet Christianos. Post discessum verò Regis Francorum, prædictâ conditione infirmatâ, Rex Anglorum qui ibidem remanserat, II. millia & DC. paucis de nobilioribus retentis, per quos sanctam Crucem & quosdam captiuos recuperare sperabant, diuersis interfecit tormentis.

Lege Vitriaci historiam Orient.

Heinricus Imp. contra Tancredum Regem Apuliæ dimicans, ciuitatem Neapolitanam obsedit: in qua obsidione Philippus Archiepiscopus Coloniæ, & multi alij Duces & Comites mortui sunt, & omnis exercitus eius incommoditate aëris pænè consumtus est. Quo comperto ciues Salernitani, & ipsum Imperatorem mortuum existimantes, qui ei anteà fauebant, ad gratiam Tancredi recuperandam, Imperatricem, quæ in eadem vrbe degebat, ceperunt, & custodiæ honestæ mancipauerunt. Imperator autē, amisso exercitu & vxore, in Italiam interiorem rediјt cum tristitia & dolore. In ciuitate Cameracensi, Ioannes eiusdem ecclesiæ Archidiaconus, & Attrebatensis Decanus, eligitur Episcopus. Richardus Rex Anglorum, post regressum Regis Francorum, & ruinis murorum ciuitatis Aconensis pro tempore reparatis, diuisis exercitibus suis in tres turmas, versus Ascalonem tēdit. *Adfuerunt ei inter alios * Gualterus Blesensis, Guido Montis fortis, Comites, Andreas de Sauigny, Drogo de Mello, Guilielmus de Barris, & Hugo de Fleamis, Franci; Volmarus Lemburgensis, N. Comes de Hosse, Theodericus Comes de Cleue, Teutonici; Guilielmus Longa spata, & Baro de Stagno forti, Anglici.* Tractus autem viæ inter Aconem & Ascalonem longus erat. In vltima turma, quæ præcedentes muniebat, multi ceciderunt, Salahadini insidijs & Turcorum telis. Tandem Cæsaream peruenerunt, & ibi paululùm quieuerunt. Cùm autem de Cæsarea pergerent versus Ioppen, Salahadinus cum suis fit eis obuius, in sabatho vigiliæ natiuitatis beatæ Mariæ. Mira Dei virtus ostensa est in illa die. Nam Salahadinus cum exercitu suo, nostris persequentibus, fugam arripuit, tantamque stragem de nobilioribus Saracenis, quos secum habuerat, die illa prope Assur nostri fecerunt, quantam omni tempore principatus sui non sustinuit vna die. De nostris autem nullus cecidit, nisi * Iacobus de Auesnis miles egregius, & vni de Machabæis comparandus. In mense Septembri relatio verax de morte Philippi Comitis, qui comitatum Flandriæ XXIV. annis strennuè rexerat, venit. Omnes timent, omnes dolent tam clerus quàm populus. Succedit ei Balduinus Comes Hainoensis, hereditario iure. Nam Margaritam filiam Theoderici Comitis, sororem Philippi, habebat in coniugio: ex qua genuerat Elisabetham Francorū Reginam, vxorem Philippi Regis, & filios Balduinum, Philippum & Heinricum. *Ex his Balduinus patri suo successit in Flandriæ & Hannoniæ comitatu, & postea Imperator Constantinopolitanus fuit electus: Philippus verò Comes fuit Namucensis, &* Hein-

** Iperius eosdem recenset.*

** De eo vide Molanum in Natal. SS. Belgij.*

R. F. A. ANNO CHR.

Heinricus Andeuagensis. Philippus Rex Francorum, ante dies natiuitatis Dominicæ, in Franciam venit. Videntes autem quidam milites, Deum minùs diligentes, eius repatriationem, laboris & certaminis pro Christo impatientes, & cum filijs Effrem, in die belli, terga hostibus dantes, non vt milites, sed vt lepores timidi, ad suam æternam confusionem, ad propria sunt reuersi. Non sic Iacobus de Auesnis, non sic; sed quia perseuerauit vsque in finem, vt credimus, saluus erit, & cum sanctis martyribus in cælis triumphabit. *Desiderio Morinensi Episcopo, in decrepita ætate à cura pastorali absoluto, Lambertus de Brugis, Cancellarius Remensis, in Episcopum eligitur & consecratur. Albertus Eremita, Petri Eremitæ, qui belli sacri auctor Vrbano II. Pontifici fuit, pronepos, ex Episcopo Bethlehemitano, *Patriarcha Hierosolymitanus, post Heraclium, à Cælestino III. Papa constituitur.* ** Sic & Alf. Ciaconius. Alij, an. 1204.*

II. XII. III. 1192.

Heinricus Imp. dies natiuitatis Dominicæ apud VVormatiam, cum optimatibus regni, celebrauit: ibi in præsentia totius curiæ confirmauit electionem Ioannis Cameracensis electi. Philippus etiam Rex Francorum Parisijs cum suis eosdem dies celebrauit. Ad cuius curiam Balduinus Comes Flandriæ, litteris ipsius præcipientibus, venit. Rex autem nec humanè nec benignè eum suscepit. Quod cernens Comes, Rege insalutato, clàm à ciuitate discessit. XVIII. Kal. Febr. IV. feria, post solis occasum, in ipso noctis crepusculo, visa est à multis species ignis terribilis, totum orbem ad partem borealem occupans: subsecuta est in multis locis in partibus illis plaga ignis diuini. Vnde in episcopatu * Tornacensi & multis locis, indictum est ieiunium VI. feriæ vniuersis, exceptis infirmis & infantibus. Balduinus Comes sibi & terræ suæ consulens, ad recuperandam Regis gratiam, Simonem Abbatem Aquicinensem, & Danielem de Camberon, ad eum direxit. Tandem pòst, mediante VVilhelmo Remensi Archiepiscopo, & Petro Atrebatensi Episcopo, pax inter Regem & Comitem formata est, apud Peronam, & apud Atrebatum firmanda. In VII. hebdomada ante pascha, Rex Peronam cum suis Episcopis & Baronibus venit. Ibi Balduinus Comes cum suis adfuit, & * hominium Regi faciens, partem Flandriæ orientalem possedit, Rex verò occidentalem, S. Audomarum, Ariam, Atrebatum, Bapalmas, Comitatum Hesdiniensem & Lensensem, hominagiū Boloniæ, & S. Paulli, & Gisnense & * Lilense. Reliqua Balduino cesserunt. Hæc omnia suprascripta dedit Philippus Comes Regi, quando ei neptem suam Elisabetham, filiam Margaritæ sororis suæ, Hainoensis Comitissæ, legali matrimonio coniunxit.

** Vide supra an. 1129.*

* homagiū, *siue* hominagium.

* Insulēse.

Cùm Marchisus de Montferrat Conradus Tyrum Syriæ Phœnicis ciuitatem nobilissimam iusto moderamine regeret, machinatione cuiusdam potentissimi Principis Christiani, probitati & felicitati eius inuidentis, hoc modo occisus est. In diebus enim paschalibus III. Kal. Maij, cùm Princeps

Lege Vitriaci historiam Orient.

ipse quadam die in loco ciuitatis, vbi monetarij erant, super equum sedens ad eos intenderet, subitò duo ex illo genere hominum, quos historiographi *Arsacidas vocant, à præfato perfido Principe transmissi, vtrumque latus eius ambierunt: qui nullum timentes clara die, astante populi frequentia, cultellis crudeliter lateribus eius infixis, nobilissimum Principem interfecerunt. Illi autem statim à populo necati sunt: miles verò magno planctu plangitur, & sepulturæ traditur. Sic Principes & milites multi gladio corruerunt & mortui sunt, Fredericus scilicet Imperator, Fredericus Dux Sueuorum, filius eius, Iacobus de Auesnis, Hellinus Dapifer, Philippus Comes Flandrensis, Theobaldus Carnotensis, Stephanus Blesensis, & innumerabiles alij: & militiæ soria fugiens, reuersa est.

*Assasinos. *De ijs Vitriacus hist. orient.*

Richardus Rex Anglorũ & Hugo Dux Burgundiæ, & ceteri Principes, tẽpli quoque & hospitalis milites, communicato ad inuicem consilio, Heinricum Comitem Campanensem, Principem totius Christianitatis transmarinæ, excepto principatu Antiocheno, constituerunt, & ei vxorem Conradi Marchisi de Montferrat in coniugio tradiderunt. Hæc enim erat orta de regali genere, filia enim Amalrici Regis mater eius exstitit. Guidoni verò Lusignano quondam Regi, dedit Rex Anglorum insulam opulentissimam Cyprum. Ordine vtor præpostero, sed hoc fecit obliuio. Præcedenti enim anno, cùm Rex Francorum cum suis ad vrbem transfretasset Aconem, Rex Anglorum ad Cypri nauigauit insulam. In ea namque * quidam præpotens contra Imperatorem Constantinopolitanum tyrannizabat, & nomen sibi imperiale vsurpauerat. Contra hunc ascendit Rex Anglorum cum suis de mari; quem viriliter debellans, cum tota sibi subiugauit insula. Quem cum vxore & liberis captiuum, cum auri & argenti, & ceterarum rerum copijs, secum adduxit, & ad exercitum Domini in obsidione vrbis Aconensis, fame diuturna laborantem, peruenit, eorumque inopiam, cum opibus secum adductis, magnificè releuauit. Filiam huius Principis, quem secum vinctum adduxerat, dedit Rex Anglorum Guidoni quondam Regi, cum tota Cypri insula. Comes verò Heinricus, si Deus nobis restitueret Hierusalem, Rex futurus, Tyrum, Ascalonem, Aconem, Cæsaream, Ioppen & cetera castella, super litus maris stantia, possedit.

Henricus Angl. Rex Cyprum 1191. occupauit, & Guidoni Lusignano 1192. dedit. Hinc exordia regni Cypri.

* Isaaciũ Comnenum *nuncupat Nicetas. Vide Mart. Polonum.*

Tancredus Apuliæ tyrannus nuntios suos ad Cælestinum Papam & Romanos dirigit, spondens se redditurum sancto Petro, quidquid Apulienses Duces ab antiquis diebus illi abstulerant, si fidem, quam habebant cum Heinrico Imp. ad se transferrent. Quod audiens Papa Cælestinus valdè est indignatus: qui versâ vice nuntios suos, duos scilicet Cardinales, ad eum direxit, mandans vt Imperatricem de custodia educens, Imperatori remitteret. Si verò hoc facere nollet, anathemate perpetuo se feriendum, cum parte prouinciæ, quæ illi fauebat, pro certo sciret.

Radulfo Leodicensi Episcopo, qui cum Frederico Imp. crucem assumserat, in itinere anno superiori mortuo; duo per contentionem in prædicta

ecclesia

ecclesia sunt electi, * Autbertus scilicet, frater Ducis Louaniensis, & Autbertus frater Comitis de Reitesta. Verumtamen Louaniensi Autberto iustior pars, sanior & multiplicior fauebat. Heinricus autem Imp. ab expeditione Apuliensi reuersus, electionem vtriusque cassauit, & Lothariũ Bonnensem Præpositum ditissimum, ad ciuitatem dirigens, palatium Episcopi, villas, & castella episcopij, ei tradidit; clerum quoque cum populo ei obedire præcepit. Hæc omnia, vt quidam existimant, fecit Imperator consilio Balduini Comitis Hainoensis. Nam propter ipsius Ducis animositatem, & inueteratam erga se simultatem, infestum habebat ipsius fratrem. Ipse verò Autbertus, frater Ducis, videns factam in se iniustitiam, timore Imperatoris, habitu pauperis viatoris assumto, ad pedes Cælestini Papæ in Lateranũ peruenit. Auditâ autem Papa electionis ratione & concordiâ, electo litteras suas tradidit, Archiepiscopo mandans Coloniensi, vt ei munus conferat consecrationis. Lotharius tamen ab Imperatore electus, per ecclesias, castella & eiusdem episcopij villas pontificales agebat caussas.

* Alijs Albertus.

Luna mensis Augusti crescens & decrescens nimis exstitit pluuiosa, & tempestuosa, & metentibus nimis molesta: tamen subsequens luna mensis Septembris fuit gratiosa, vnde messis triticea & vindemia mediocriter fuit bona. * Richardus Rex Anglorum cupidus & auarus, & omni Christianitati inuisus, à Salahadino magno pretio auri accepto, Ascalonem nominatissimam ciuitatem Christianorum subuertit.

* An hæc sint vera, alios historicos consule.

Tancredus Siciliæ tyrannus à Cælestino Papa compulsus, Imperatricem de custodia relaxans, Imperatori remittit. VVilhelmus Remensis Archiepiscopus, litteris à Cælestino Papa acceptis, Autbertum Leodicensem electum, in ciuitate Remensi mense Septembri Episcopum consecrauit. Archiepiscopus etiam Coloniensis, ab eius consecratione se excusans, vt ei munus consecrationis imponeret, per litteras suas obtinuit.

Heinricus Imp. audiens, quòd Autbertus, Leodicensis electus, gratiam consecrationis à Papa & Romanis contra suum propositum impetrauerat, nimiùm indignatus Leodium venit, & domos clericorum, qui ei adhærebãt subuertit, & regni sui introitum eidem Episcopo interdixit. Tancredus Apuliæ tyrannus moritur. Cælestinus Papa, morte eius auditâ, contra Heinricum Imp. quem propter Autbertum Leodicensem Episcopum, & alias latentes caussas, infestum habebat, filium Tancredi in Apulia, Calabria, & Sicilia Regem sublimat.

Eclipsis lunæ accidit XI. Kal. Decemb. luna XII. hora noctis VIII. duabus eiusdem partibus obscuratis, in suo fulgore parte tertia permanente. Subsequenti die, Autbertus Leodicensis Episcopus, à quibusdam proditoribus extra vrbẽ Remensem eductus, inaudita mortis crudelitate, vir iustus ab impijs & proditoribus innocenter perimitur. Eum Heinricus Imp. qui Lothario fauebat, quem in sedem Leodicensem intruserat, à regno suo excluserat. VVilhelmus autem Remensis Archiepiscopus, & omnes ciues Re-

S. Albertus Episcopus Leodicensis & martyr, tabulis Rom. martyrologij adscriptus est, ad diem 21. Nouembris.

 menses,

ANNO CHR. R. F. A.

menses, ipsum detinentes ibidem, magnum ei honorem & reuerentiam exhibebant. Sepultus est autem, cum magnis omnium lacrymis in ecclesia maiori beatissimæ MARIAE Dei Genitricis, in loco vbi beatus Nicasius Archiepiscopus pro Christo occubuit. Qui fuerint interfectores Episcopi, & à quo missi ignoratur: hoc tamen scitur, quòd de Germania venerint, & illuc confugerint. Væ illis, quia via Cain abierunt, qui fratrem suum Abel iustum in agro interfecit, è tabernaculo extractũ. Cuius sequaces isti, patrem suum & dominum, de ciuitate Remensi callidè educentes, vt liberius perpetrarent flagitium, secundo mense consecrationis eius vix elapso, caput sancti sacerdotis mucrone impio mutilauerunt. Prudens lector nota inauditam proditorum versutiam. Pridie enim quàm ista agere deliberarent, hominium ei fecerunt, ne eos haberet suspectos. Væ impijs traditoribus, quorum impietatem cæli reuelabunt, & terra aduersus eos consurget in die furoris Domini, nisi fuerint, Domino præstante, conuersi. Inter Richardum Regem Anglorum & Salahadinũ, Christianos quoque & Saracenos transmarinos, induciæ trium annorum firmantur, miserâ conditione interpositâ, vt ciuitas Ascalon nobilissima subuerteretur à nostris. Hugo Dux Burgundionum ibidem moritur: cui in Ducatu Burgundionum successit Odo, filius eius. Multi milites armis strennui hoc anno trans mare sunt mortui, quidam Saracenorum gladijs interemti, alij verò morte naturali. Residui autem, excepto Heinrico Rege & suis, parum ibi proficientes, ad propria sunt reuersi.

1193. III. XIII. IV.

Mense Ianuario peregrini transmarini ad nos reuersi sunt, de recuperatione terræ perditæ, quod nos lætificaret, vel scripto dignum esset, nihil nuntiantes. Richardus beatæ memoriæ conuersus Aquicinctensis moritur, & in eodem monasterio sepelitur. Huius viri mira fuit cibi & potus abstinentia, lectus nullus aut durus, vestis abiecta, compassio erga pauperes & monachos claustrales eximia.

Heinricus Dux Louaniensis, & Heinricus patruus eius, Dux Ardennensis insurgunt contra Comitem de Ostada, & Lotharium fratrem eius, quem Heinricus Imp. in sedem intruserat Leodicensem, pro interfectione Autberti Episcopi nominatæ vrbis. Omnia eius castella, quæ circa Rhenum possidebat capiunt, & quædam destruunt & incendunt. Ipse autem Comes cum fratre suo ad Imperatorem fecit confugium.

Cælestinus Papa omnes interfectores Episcopi anathemate perpetuo innodauit. Cùm Richardus Rex Angliæ ante dies Quadragesimæ de transmarinis partibus reuerteretur, suspectas habens quasdam regiones, Apuliam scilicet & Calabriam, Corsicam & Italiam, propter interfectionem Conradi Marchisi de Montferrat, quæ illi, nescio si iustè, imponebatur, paucis secum assumtis socijs, vt secretiùs ad nepotem suum Ducem Saxoniæ peruenire posset, terram Leopoldi Ducis Austriæ ingressus, ab ipso Duce capitur, & custodiæ

custodiæ mancipatur. Nam cùm esset idem Dux in obsidione vrbis Aconensis, Rex Anglorum frequenter illum verborum contumelijs affecerat: quem aliquanto tempore secum detinuit, & postmodùm ad Imperatorem in Alemanniam direxit. Qui eum secum, quocumque pergeret, ducebat sub honorabili custodia. Dum Richardus Rex Anglorum ab Imperatore detineretur, Philippus Rex Francorum, vndecumque collecto, ex omni regno sibi subiecto, copioso exercitu, post paschalem solennitatem mense Aprili, in Northmanniam vadit, eam depopulaturus, castella Vilcassini territorij, Gisortium scilicet & alia multa cepit. Ciuitatem Northmanniæ Metropolitanam Rotomagum obsidione cinxit; sed ciuibus viriliter repugnātibus, commotus ira, petrarijs & ingenijs, quibus vrbem vallauerat, incensis, ab assultu inglorius redijt.

Salahadino apud Damascum mortuo, filij eius in principatu Syriæ & Babylonis ei succedunt. Ecclesiæ Angliæ & Northmanniæ, & monasteria monachorum thesauris suis, ob redemtionem Regis Anglorum, spoliantur. Lotharius Leodicensis intrusus, caussâ interfectionis Autberti eiusdem vrbis Episcopi, omni prælatione ecclesiæ à Cælestino Papa priuatur. Heinricus Imp. de morte Episcopi supradicti, parentibus eius satisfaciens, motus Principum regni, qui aduersus eum propter hanc caussam insurrexerant, conatur sedare; eâ conditione, vt Duci Louaniensi & Ardennensi, cum consilio capituli liceret, quem voluerint eligere Episcopum in sede Leodicensi: qui auctoritate Imperiali freti, elegerunt * Simonem, filium Ducis Ardennensis.

Philippus Rex secundam duxit vxorem, Ingelburgem Regis Daciæ filiam, in vigilia assumtionis sanctæ Mariæ, Ambianis. In die autem assumtionis eiusdem, die Dominica, præsente VVilhelmo Archiepiscopo Remensi, Petro Atrebatensi Ioanne Cameracensi, Theobaldo Ambianensi, Lamberto Morinensi, Stephano Tornacensi, & alijs suffraganeis Archiepiscopi, & multis Franciæ Principibus astantibus, regio diademate coronata est, in totius ciuitatis gaudio & conspectu. Octogesimo autem & secundo die post has nuptias, quorumdam consilio, apud Compendiū Rex cum suis Archiepiscopis, Episcopis, & Baronibus colloquium habuit Ibi quidam consurgentes, consanguinitatem inter primam Reginam & secundam iurauerunt. Quo iuramento Rex accepto, absque vlla dilatione & consilio, dimisit eam.

** Sed hæc rata habere noluit Cælestinus Papa, vt nec electionem Simonis Ardueñensis, vt infrà an. 1195. dicetur. Consule Baron. & Gallic. suæ historiæ scriptores.*

A Kalendis Martij vsque ad lunam Decembris mensis, omnes lunationes, in initijs mensiū, nimis exstitêre pluuiales, mense Octobri excepto. In nocte festiuitatis sancti Martini eclipsis lunæ fuit. Hæ litteræ translatæ sunt à partibus transmarinis in Galliam.

* Frater Gaufridus, Dei gratiâ sanctæ, domus hospitalis Hierusalem humilis Magister, vnà cum vniuerso eiusdem domus capitulo, carissimo & dilecto in Domino fratri VV. de Vilerũs, Præceptori vltramarino, salutẽ & fraternam dilectionem. Quoniam de his, quæ in terra Hierosolymitanorum aguntur, credimus vos certos rumores desiderare, notum vobis facimus, quòd

* Epistola Gaufridi, Magistri militum Hospitaliorum.

proximo

ANNO CHR. R. F. A.

proximò post Septembrem quidam de gente pagana, nobilis genere, & armis famosus, nomine Mestoc, vitam suam terminauit. Deinde mortuus est vetus dominus Assyriorum; deinde mortuus est Soltanus de Iconio, & eo mortuo, ira & discordia exorta est inter filios suos: deinde in prima septimana Martij, die qui dicitur Mercurij, mortuus est persecutor noster Salahadinus: in cuius morte genti suæ factus est timor & perturbatio, & inter filios eius exorta est ira & dissensio. Quilibet enim illorum, quorum alter est in Halapia, alter in Damasco, alter in Babylonia commoratur, se fratri suo subiectum esse fastidit, sed alter ad dominium alterius & terræ eius potiùs intendit. Vnde veraciter cognoscimus, quòd à tempore perditionis terræ, hereditas Christi sic de leui non potuit recuperari. Terra quam tenet Christianitas in treugis, manet ferè penitus habitatoribus destituta. Factum anno Domino MC.XCIII. in exitu Aprilis.

Albertus Magnus in vico Sueuiæ Lauginga nascitur. S. Ioannes Gualbertus, Abbas, institutor ordinis Vallis vmbrosæ, à Cælestino III. Papa, in Sanctorũ numerum refertur. * *Fredericus II. filius Heinrici VI. ex Constantia Rogeri Siculi filia, quinquagenaria, Panormi, magno Ecclesiæ damno, nascitur.*

* *Lips. in Exempl. polit.*

1194. IV. XIV. V.

Richardus Rex Anglorum, post annuam captiuitatem, magno, & vt ita dicam, infinito argenti redemtus pretio, ab Imperatore Heinrico, honorificè, & cum gratia, pace etiam inter eos firmatâ, in Angliam remittitur: qui nauibus in portu Andouerpi præparatis, transfretauit; cum fauore magno à suis suscipitur, & in regni solio relocatur. Illos qui fideles sibi exstiterant, honoribus sublimauit, proditores verò exauctorizauit, quosdã etiam occidit. Inter quos vnum, qui Dapifer Ioannis fratris eius fuerat, cuius consilio, vt dicebatur, ab eo defecerat, & ad Regem Francorum transierat, excoriauit. Et quia dies Quadragesimæ instabant, inter ipsum & Regem Francorum Philippum treugæ vsque ad octauas pentecostes componuntur.

Balduinus Comes Flandrorum & Hainoensium, in ipsis diebus Quadragesimæ exercitum congregans copiosum, contra Heinricum Ducem Louaniæ, & quosdam Flandrenses sibi rebelles hostiliter vadit, sed parum proficiẽs pænè inefficax rediјt: & induciæ vix obtinentur, vsque ad medium mensis Augusti. Quidam ab Anglia venientes in Northmanniam, homines Regis Francorum iniurijs lacessentes, pacem terræ turbauerunt: ob quàm caussam Rex Francorum turbatus, inducias vsque ad octauas pentecostes, iuxta condictum, minimè exspectauit, sed vndecumque collecto grandi exercitu, castellum munitissimum Regis Angliæ, quod Vernolium vocant, circa ascensionem Domini obsedit. Richardus Rex Anglorum hoc audiens mare transfretauit, & cum multis militibus & viris fortissimis ad obsidionem castelli non imparatus venit. Obsessi & sua multitudine & fortitudine, castelli etiam fortissima munitione confisi, viriliter resistebãt, ianuis apertis relictis,

in

in contemtum exercitus Regis Francorum. Cùm itaque Rex Francorum ibi sederet, Rex Anglorum milites electos ad ciuitatem Ebroicensium misit, qui homines Regis Francorum, castellum eiusdem ciuitatis custodientes, per proditionem ciuium omnes interfecerunt. Nam retro acto anno, cùm Rex Anglorum detineretur in Alemãnia, eamdem ciuitatẽ, cum quibusdam Northmanniæ castellis, Rex Francorum ceperat. Auditâ igitur Philippus Rex hominum suorum nece, vlrà quàm dici potest, iratus, castelli Vernolij relictâ obsidione, cum electis militibus ad ciuitatem Ebroicensium venit, & ipsam totam, cum templo sancti Taurini Episcopi, & alijs monasterijs funditus subuertit, in sollennitate Spiritus sancti. Rex autem Francorum præceperat Principibus, vt exercitum in obsidione castelli tenerent; sed eo discedente nullus potuit eum retinere. Heinricus Imp. contra Apulienses sibi aduersantes exercitum ducit. In ciuitate Atrebatensi quidam clericus & soror eius, ob reatum homicidij, incendio sunt adiudicati. Accensus est in Balduini monte ignis, astante innumerâ frequentiâ populi. Frater & soror ad stipitem ligantur, & ignis in circuitu eorum copiosus accenditur. Mulier cum valido cordis clamore & ineffabili contritione, & oris confessione, sanctam MARIAM Dei genitricem inuocans, & idem fratrem facere admonens, illo in flammis mortuo, meritis beatissimæ Dei genitricis MARIAE liberatur ab incendio. Mira res: facies eius & loquela non est immutata: capillus eius nec pilus adustus, nec etiam odor incendij remansit in ea. Cùm autem inquireretur ab ea saluationis modus; dicebat speciosissimam dominam secum fuisse, & ab igne extraxisse. Post hæc in ciuitatem ad ecclesiam beatæ Mariæ liberatricis suæ reducitur: tota pænè ciuitas congregatur, & in præsentia domini Petri Episcopi & cleri, laudes omnium attolluntur, & tam grande miraculum, nostris temporibus inauditum, à præfato reuerendo Episcopo auctorizatur. Actum hoc anno apud Atrebatum, in solennitate Spiritus sancti. *Vide suprà an. 1129.*

Heinricus Imperator Apulienses, Siculos & Calabros, partem etiã quamdam Africæ, absque sanguinis effusione sibi victoriosè subiugauit. Ciuitatem Panormitanam, expulsis habitatoribus, pænè totam destruxit; eò quòd eorum factione, Imperatrix capta fuerit anno superiore. Primates etiam illius regionis, qui contra eum coniurauerant, cepit & incarcerauit.

Margareta Hainoensiũ & Flandrensium Comitissa moritur, & in templo S. Donatiani, iuxta Karolum Comitem, Brugis sepelitur: cui successit in Comitatu Flandrorum Balduinus filius eius. Sicque Comitatus reuersus est ad iustum heredem Balduini Hasnoniensis, anno Domini MCXCIV. qui ab anno MLXXII. possessus fuerat à successoribus Roberti * Callotensis Comitis, per annos C. & XXIII. successores fuerunt huius Roberti, Robertus filius eius, Balduinus filius eius, Carolus cognatus eius, VVilhelmus Northmannus, Theodericus, Philippus filius eius. Hi omnes orti sunt de genere Roberti, qui apud Casletum in bello occidit Arnulfum nepotem suum, filium Balduini Hasnoniensis fratris sui; & sic Flandrensium inuasit ** Casletensis.*

ANNO CHR. R. F. A.

Comitatum. * *Guidoni Lusignano, Regi Cypri, defuncto succedit in regno Almaricus frater eius.*

• Idem tradit Iperius.

1195. V. XV. VI.

Mensis Ianuarius, Februarius & Aprilis, nimis fuerunt pluuiales. Quinto Kal. April. in pago Cameracensi, tempestas cum tonitru horribili cecidit, quæ vnam villam cum templo ita destruxit, vt vix in ea paruæ remanerent reliquiæ. Heinricus Imp. ab Apulia victor cum triumpho reuertitur, adducens secum vxorem & filium Tancredi, & Principes, qui contra eum conspirationem fecerant, in custodia: magnam etiam copiam auri & argenti, & aliarum etiam rerum, secum adduxit. Mense Iulio Saraceni ab Africa venientes, super Regem Hispaniæ quem Paruum vocant, & eius exercitum irruerunt, & ex eis magnam stragem fecerunt. Rex autem Hispaniæ in crastino, viribus per Dei gratiam receptis, plusquam viginti millia eorum interfecit: in quo prælio Archiepiscopus sancti Iacobi occubuit. Electio Simonis Leodicensis à Cælestino Papa cassatur, & * Autberti confirmatur. Tamen Simoni à Papa quædam Cardinalitas confertur. Clerici qui cum eo Romam venerant, omnes ferè mortui sunt; ipse etiam, intrante mense Augusto, ibidem defunctus est. Autbertus autem, Româ cum munere electionis reuersus, apud Cistercium veniens, aliquantulum infirmus ibi est detentus. Rumor autem falsus perlatus apud Leodium, nuntiauit Canonicis illum esse mortuum: qui statim elegerunt quemdam illustrem Canonicum, Philippi de Falconis monte filium. Sic post interfectionem Autberti Episcopi Remis occisi, ecclesia Leodicensis in electione Episcopi fluctuauit.

* Alberti Cuquensis

Pluuia mensis Augusti metentibus nimis fuit molesta, Septembris vindemiam colligentibus grauis, in Octobri seminantibus nimis incommoda. Sexto Idus Octobris ventus vehemens post noctem mediam ab Africa veniens, domos euertit, turres destruxit, ruina domorum plurimos strauit, quercus annosas & arbores fructiferas euulsit, & in multis locis nimis damnosus exstitit. Multi de regno Teutonico Lotharingi, Alemanni, Saxones, hortatu Imperatoris Heinrici, cruces assumunt, Episcopi, Duces, Comites, milites, & de reliquo populo innumera multitudo. Philippus Rex Francorum & Richardus Rex Anglorum, post longam discordiam, tandem redeunt ad concordiam. Obijt Balduinus Marchio Namucensis & Comes Hainoensis XVI. Kal. Ianuarii, & sepelitur apud Castri-locum cum patribus. Succedit ei Balduinus filius eius, Comes Flandrorum: sed quia in superioribus huius chronicæ parum declaratur, ex qua hi Comites Hainoenses oriundi fuerunt stirpe, id breuiter declarare legentibus, dignum duximus. Originem enim ducunt ex sanguine imperiali Romanorum & regali Francorum. Balduinus Insulanus Comes Flandrorum, ortus de genere Karoli Calui Imp. Romanorum & Regis Francorum, duxit vxorem Adelam, filiam Roberti Regis Francorum, & genuit ex ea Balduinum Hasnoniensem, Comitem

Hānoniæ Comitū genealogia.

tem

R. F. A. ANNO CHR.

tem Flandrensium & Hainoensium, & Robertum Casletensem, fratrem eius. Balduinus Hasnoniensis duxit vxorem Richildem, relictam Herimanni Comitis Montensis, quæ erat de sanguine imperiali, & soror sancti Leonis Papæ Noni, & genuit ex ea Arnulfum Comitē Flandrensem, quem Robertus patruus eius interfecit in bello Casletensi, & Balduinum Hierosolymitanum, Comitem Hainoensem, fratrem eius. Balduinus Hierosolymitanus duxit vxorem Idam, filiam Heinrici Imp. IV. & genuit ex ea Balduinum: cui abstulit Robertus, Comes Flandrorum, Duacum castrum. Hic duxit vxorem * Iolendem, filiam Gerardi Comitis de VVassemberga, & genuit ex ea Balduinum, qui Valentianenses sibi rebelles optimè retinuit, & alia vtilia Comitatui adduxit. Hic quoque duxit vxorem * Ermensendam, sororem Heinrici Comitis Namucensis; ex qua genuit Balduinum Marchionem, cui etiam multoties accesserunt felices accessus: qui duxit vxorem Margaretam sororem Philippi Comitis Flandrorum, quæ ei genuit Balduinum Comitem Flandrensium & Hainoensium, Philippum quoque & Heinricum. Duxit autem Balduinus, adhuc viuente patre, vxorem Mariam, filiam Heinrici Comitis Campanensis, quā genuit ex filia Ludovvici VIII. Francorum Regis. *Alexius III. Angelus Comnenus, pulso fratre Isaacio, Constantinopolitanum imperium inuadit.*

* Iolentam.

* Ermesindem.

VI. XVI. VII. 1196.

Henricus Imp. hieme transactâ, iterū ad Siciliam & Apuliam proficiscitur; & quidquid in regno corrigendum erat, ab eo corrigitur. Præparantur etiam naues, & cetera quæ Teutonicis, qui superiori anno cruces assumserant, ad transfretandum erant necessaria. Quibus præfecit Conradum Archiepiscopum Moguntinum.

Philippus Rex Francorum, * filiam cuiusdam Comitis Alemannici, Ingelburgi Reginæ superinducit. Pax inter Philippum Regem Francorum & Richardum Regem Anglorum iterum turbatur: vnde Philippus Rex, collecto vndecumque grandi exercitu, castellum Regis Anglorū, in Northmannia, quod Albamarla vocatur, obsedit, & post sex hebdomadas cepit & destruxit. Multi, & maximè iuuenes, acutâ febre moriuntur: inter quos & Ioannes Cameracensis Episcopus, cùm ad Regem in Northmanniam proficisceretur, Ambianis mortuus est. Grauissima panis penuria hoc anno multos afflixit, & multos pauperauit. Ab Apennino monte, vsque ad mare Oceanum, per totam Galliam & Germaniam, fames in tantum præualuit, vt maximam vtriusque sexus multitudinem contigerit interisse. Nam triticum XL. vel L. solidis venumdabatur, quod pro quattuor aut quinque ante hanc pestem dabatur: vnde accidit vt multi, qui putabantur sibi sufficientes esse, diro famis gladio perurgente, coacti sint aliò emigrare. Sicque factum est, vt excrescentem pauperum multitudinem, sine magno grauamine, sustentare possent hi, qui respectu Dei manum misericordiæ

* Mariā, Ducis Boemiæ Morauiæq; filiam.

ANNO CHR. R. F. A.

eis porrigebant. Carnes quoque iam fetentium animalium, & radices inusitatas herbarum, compulsi sunt manducare. Non tantùm panis, sed etiam ceteræ res manducabiles, inaudito nobis pretio, venumdabantur. Lupi circa Alpes, in itineribus & in villis in vnum congregati, absque vllo timore multos deuorant. Triticea messis & auenæ collectio, vltra æstimationem hominum, fuit rarissima. *Heinricus iunior Dux Saxoniæ, & Heinricus Dux Louaniensis, cum alijs quibusdam principibus, Hierusalem proficiscuntur.*

1197. VII. XVII. VIII.

Menses Ianuarius, Februarius, Martius quoque & Aprilis, hoc anno fuerunt naturales & hominibus gratissimi. Verumtamen fames, annis superioribus concepta, nullum habuit temperamentum, quia superioris anni annonæ rara collectio nullum potuit conferre leuamentum. Nam vsque hodie fame moriuntur millia millium: multi enim hac necessitate constricti, contra consuetum viuendi vsum, latrones effecti, laqueo sunt suspensi. Sed vernalis temperies gratiosa, temporis & seminum, vt videtur, pulchra processio, fit exspectantibus non minima consolatio.

Henricus Episcopus Belluacensis capitur à militibus Richardi Regis Anglorum, & apud Rotomagum graui custodiæ mancipatur. Inter Philippum Regem Francorum, & Balduinum Comitem Flandrorum pax turbatur, instinctu Richardi Regis Anglorum. In mense Iulio, Balduinus Comes, contracto vndecumque exercitu copioso, contra Regem Francorum, & pagum Tornacensem & Cameracensem vadit, & omnia eiusdem pagi castella cepit, sicque ad ciuitatem Atrebatensem tendens, eam à parte orientali obsedit: sed secundo obsessionis die subitò inde recessit. Philippus Rex Francorum hoc audiens & indignè ferens, congregatis sui regni Episcopis, Abbatibus, equitum quoque & peditum magnâ copiâ, contra Balduinum proficiscitur, & in vigilia assumtionis beatæ Mariæ, apud Duacum ex insperato venit: sed vtili nobis accepto consilio, eadem die recessit. Deinde per pagum Letigum transiens, apud Ariam pontem fluminis, qui dicitur Lis, transiens, in terram Comitis, eam vastaturus, intrauit: sed quibusdam tactus infortunijs, cum Comite, extra Ipram, colloquium habuit, sed infecto negotio ad terram suam redijt. Multi, qui aduentum eius formidauerant, discessum inefficacem riserunt. Inter duos Reges induciæ per annum iurantur. Vindemia per totam Franciam in pago scilicet Remensi, Laudunensi, Suessionensi, Nouiomensi & Belluacensi, rara fuit & tarda: vnde accidit, vt rustici qui vineas colebant, & pecuniam super vinum futurum mutuauerant, non valentes vinum reddere, compulsi sint fugere.

Alijs an. 1198 Consule Baron. & alios. * Henricus Imperator in Apulia moritur. Hic statura personalis non fuit, sed litteratura eius, magnanimitas, iustitia & prudentia pulchritudinem Absolonis superauit. Luget mundus mortem eius; Syria, Sicilia, Apulia, Calabria, Africa, Italia, Alemannia, Saxonia, Baioaria, Sueuia, Frisia, Austria,

Lotha-

R. F. A. ANNO CHR.

Lotharingia. Nam de eius morte omnes sunt turbati. Filius eius puer paruulus, à Siculis in Regem iure paterno suscipitur: porrò Philippus, frater Henrici Imp. tutor puer constituitur. Lacrymabilis fortuna accidit in vrbe Acone. Nam Henricus Comes Campanensis, & Princeps transmarinæ Christianitatis, cùm quadam die apud eamdem vrbem, in solario cuiusdam domus fenestras aperire voluisset, per eam ad terram corruit, & ceruice confractâ, proh dolor, exspirauit, VI. anno principatus sui. Cuius mors ineffabilem Christianis dolorem, & magnam Saracenis præbuit lætitiam. Inter milites Christianos, quos Henricus Imp. ante obitum suum trans mare miserat, & Turcos, sæpenumerò pugnatur, sed certam nostrorum victoriam adhuc minimè audiuimus. *Ordo SS. Trinitatis de Redemtione captiuorum initium cepit, auctoribus Ioanne de Matha, ex Prouincia oriundo, Doctore Theologo Parisiensi, & Felice anachoreta Valesiensi; Innocentio III. Papa confirmante. Bertholdus secundus Liuoniensium Episcopus ab infidelibus trucidatur.*

VII. XVII. IX. 1198.

Hiems mollissima; Ianuarius, Februarius & Martius tranquilli & gratissimi fuerunt; porrò Aprilis & Maius pluuiales & frigidi exstiterunt. Cælestinus III. Papa senex & plenus dierum moritur. Lotharius Diaconus Cardinalis, genere Romanus, vocatus Innocentius, huius nominis Papa III. ætate iuuenis, succedit.

Fulco venerabilis presbyter, de territorio Parisiensi, auctoritate Apostolica, per totam Franciam publicè prædicat. Cùm in sermone suo omnia carperet vitia, tamen omnis vis prædicationis contra vsurarios, auaros & cupidos, contra Prælatos negligentes & presbyteros incontinentes maximè intonabat. Tota pænè patria in melius eius prædicatione mutata est. Maximam quoque mulierum publicarum conuertit multitudinem: multa etiam per eius preces fiebant miracula. Nam cæci illuminabantur, claudi curabantur, surdis auditus reddebatur, & quod magis omnibus pro miraculo erat, innumerabilis populi multitudo, ad eum audiendum, quasi ad aliquem Apostolum, vndecumque confluebat. Post mortẽ Henrici Imp. primates regni Teutonici, de Rege substituendo diffidentes, Sueui, Baioarij, Alemanni, Apulienses vel Sicilienses, Philippum Ducem Sueuorum, fratrem Henrici Imp. quem suprà diximus tutorem pueri constitutum, elegerunt; Saxones autem & Lotharingi, Othonem Comitem Pictauensem, filium Henrici Ducis Saxonum, in Aquensi palatio in Regem sublimauerunt. Hic erat ex sorore Richardi Regis Anglorum: cuius consilio & auxilio, & Balduini Comitis Flandrorum, assentientibus eis Archiepiscopo Coloniensi & primatibus Lotharingis, Aquense palatium obsedit, contra * VValerannum filium Henrici Ducis Lemburgensis: qui opidum Aquense, cum valida manu militum, Philippo Duci Sueuorum custodiebat: qui sexta obsidionis septimana

De eodẽ Vitriacus, Meyerus, & alij.

Consule Sigonium & alios.

* Vualeramum.

ANNO CHR. F. A.

mana, labore multiplici fatigati, nullum ab eo, cui palatium custodiebant, habentes succursum, Othoni, castrum reddiderunt: quem statim Coloniensis Archiepiscopus cum suffraganeis suis oleo sacro inunctum, in solio regni sedere fecit. A diebus enim Karoli Magni sedes regni est Aquis-Grani, vbi idem requiescit. Duxit autem Otho Rex vxorem, filiam Godefridi Comitis Louaniensis, ac Ducis Lotharingiæ.

Philippus Dux & Otho Rex de Imperio contendentes, fluuium Rhenũ, qui Lotharingiam & Saxoniam diuidit, transire non potuerunt, Philippus ab oriente in occidentem, Otho verò ab occidente in orientem. Post mensem Augustum, Balduinus Comes Flandrorum & Hainoensium, congregatâ validâ tam equitum quàm peditum multitudine, in Flandriam pergit, vt castella quæ sui erant, vt ipsi videbatur, iuris, & Rex iniustè tenebat, suo Comitatui resociaret. Arienses eius formidantes impetum, pacificè eum recipientes absque vlla mora se reddiderunt. Deinde exercitum apud sanctum Audomarum ducens, castrum obsedit: portas obsessi claudunt, ad Regem in Franciam nuntios, consensu & consilio eiusdem Comitis, dirigunt: à quo nullum habentes, nec sperantes succursum, castrum Comiti reddunt, eumque pacificè & honorificè post sex hebdomadas intra castrum recipiunt. Cùm igitur Balduinus Comes sanctum Audomarum obsideret, Richardus Rex Anglorum, in pago Vilcassino, multitudine stipatus militum, super Philippum Regem Francorum irruit. Rex Francorum contrà veniens, armis mutatis, prope Gisortium in flumen cecidit: qui inde vix extractus, nobilioribus eius militibus captis cum magno labore euasit. Qui statim exercitum copiosum congregans, terram Northmanniæ, suæ vicinam terræ, incendio & rapinis totam vastauit. *S. Dominicus ordinem fratrum Prædicatorum incohat.* * *Almaricus Rex Cypri, viduam Henrici Campanensis & Conradi Montferratensis, ducit vxorem, & treugas cum Salfandino, Saladini filio, pro terræ securitate, renouat.*

Audomaropolis vrbs est Artesiæ, dignitate episcopali nunc insignis.

Consentit Iperius.

1199. XVIIII. X.

Diebus natiuitatis Dominicæ transactis, venit in Galliam Petrus Cardinalis diaconus sanctæ Mariæ, ab Innocentio Papa transmissus Legatus, litteras Philippo Francorum Regi deferens: in quibus præceptum continebatur Apostolicum, vt Ingelburgem venerabilem Reginam, falso consanguinitatis iuramento disiunctam, legitimè sibi resociaret. Quòd si acquiescere nollet, anathematis vinculo subiaceret.

In marchis vtriusque regni concilium agitatur, vtrique Reges Francorum & Anglorum conueniunt, cum multitudine Episcoporum, Abbatum, Comitum, Priorum, Præpositorum, & vtriusque ordinis infinita multitudine hominum; de pace inter Reges & Comitem Flandrorum facienda multùm laboratur, sed ad effectum minimè perducitur. Sed tamen induciæ, in

in quinquennium retinendæ, verbo tenus obtinentur, quæ vix vsque in pascha tenentur. In diebus Quadragesimæ, in pago Lemouicensi thesaurus inuentus est, quem sibi vindicat Lemouicensis Comes. Richardus Rex Anglorum, summus ipsius terræ Princeps, thesaurum à Comite repetijt, sed minimè obtinuit. Vnde Rex stomachatus, cum armata multitudine castellum eiusdem Comitis & ipse armatus obsedit: vbi ictu balistæ quemdam percutere idem Rex cupiens, ab eodem eadem balista in scapula percussus post dies VII. obijt; & apud fontem Ebraldi, cum patre suo sepulturam accepit. Cui successit in regno Ioannes frater eius; qui guerram, quam frater eius Richardus contra Regem Francorum viriliter & potenter exercuerat, non tam acriter persecutus, ad vltimum cum Rege pacem faciens, Episcopum Belluacensem & alios captiuos soluit, & Regi Francorum remisit. Petrus de * Corboilo consecratur Cameracensis Episcopus. Messis & vindemia mediocriter abundat. Petrus Cardinalis per menses decem in Francia manens, negotium de diuortio Reginæ sibi iniunctum, conatur exsequi.

* Corbolio.

Balduinus Comes terram Regis Francorum, in pago Adartensi vel Teruanensi & Aridagamantia, vastat rapinis & incendijs. Philippus Comes Namucensis frater eius, cum alijs quibusdam militibus capitur, qui vincti ferro ad Regem in Franciam diriguntur. Maria Flandrorum Comitissa, pro pace inter Regem & Comitem componenda, Parisios vadit: quam Rex honorificè suscipiens, lætam & de pace securam cum quibusdam captiuis in pignus pacis ad propria remisit. In diebus Aduentus Domini, Petrus Cardinalis apud Diuionem Burgundiæ castrũ cum personis ecclesiasticis tenuit concilium. Omnis ab eis ibi facta constitutio non indiget penna vel pergameno. *Albertus Cudicensis siue Cuquensis, Leodicensium Episcopus moritur.* * *Maria Balduini Flandriæ Comitis vxor, Theobaldi Campaniæ Comitis filia, & Philippi Francorum Regis neptis, Parisios ad Regem pro pace inter ipsum & maritum constituenda proficiscitur. Eam Rex honorificè & suscepit & dimisit. Pax autem hoc anno conditionibus istis est conclusa; vt Balduino Comiti, eiusque heredibus, tota Flandria vltra nouum fossatum siue aggerem ad orientem, cedat: Rex verò Atrebatum, Audomaropolim, Lensium, Bapalmam, Ariam, Hesdinum, aliaque opida & agros citra fossatum sitos, sibi suisque successoribus possideat. Ex his opidis agrisque, à Flandriæ corpore seiunctis, Rex Comitatum instituit, & filium suum Ludowicum, creauit Artesiæ Comitem. Pax ista toti patriæ, post tot bella magnum attulit solatiũ.*

* *Eadem tradit Io. Iperius in chronico Bertinensi.*

Artesiæ Comitatus initiũ.

XX. I. MCC. 1200.

Philippus Rex Francorum & Balduinus Comes Flandrorum, in ipsis diebus natiuitatis Dominicæ, ad colloquium apud Peronam conuenerunt; vbi per Mariæ Comitissæ industriam, firmam inter se iurauerunt pacem: quæ pax in Francia & Flandria magnæ fuit caussa lætitiæ. Petrus Cardinalis pertransiens Burgundiam, transcendit Apenninũ montem. Sententiam, quam

in

ANNO CHR. F. A.

in Francia ex domni Papæ præcepto dare debuerat, ibi dedit, & Regem sacris cum terra sua interdixit. Interdicti sententiã quidam Episcopi feruentissimè obseruauerunt, Parisiensis, Siluanectensis, Suessionensis, Ambianensis, Atrebatensis, & alij quorum non habemus notitiam. Hos Papa Innocentius, miris per epistolas illis missas, effert laudibus, contemtores autem verbis terret minacibus. Philippus Rex Francorum, & Ioannes Rex Anglorum, Balduinus quoque Comes Flandrorum, & multi alij vtriusque regni Principes, in marchis Franciæ & Northmanniæ, ad mutuum conueniunt colloquium. Ibi Ludovvicus puer, filius Regis Francorum, vxorem accepit filiam Regis Hispaniarum, quæ erat filia sororis Ioannis Regis Anglorum. Ibi pax firmata est inter Reges & Principes. Nam Ioannes Rex Anglorũ destruxit castella Vilcassini pagi, Gisortium scilicet & alia, vnde tota guerra iam per multos annos, inter vtriusque regni Reges, fuerat exagitata. Octauianus Episcopus Ostiensis ab Innocentio Papa mittitur in Franciam Legatus, quem Rex Francorum honorificè suscepit, & Ingelburgem Reginam per præceptum domni Papæ, verbo tenus sibi resociauit, superinductam abiurauit, & sic terram Regis Francorum ab interdicto absoluit. *Dodechini, Abbatis in monasterio S. Disibodi, appendix ad Mariani Scotti chronicon desinit.*

Consule Genebrardum & alios.

NOTATIO.

Quæ sequuntur, recentiori charactere codici Aquicinctino leguntur ab eius loci monacho adscripta. In gratiam tamen Lectoris, hæc ipsa, quamquam minuta, visum fuit publicare.

1201. Anno M.CCI. Hiems nec mollis nec nimis aspera, sed inter vtrumque fuit temperata. Ianuarius, Februarius, Martius, Aprilis & Maius gratiosi fuère & naturales. Mediante mense Martio, Octauianus Cardinalis, Archiepiscopi & Episcopi cum Philippo Rege Francorum, in vrbe Suessionica, cum innumera cleri & populi multitudine conueniũt, vt de Regis & Reginæ diuortio, certum & iustum iuxta Innocentij Papæ præceptum agitarent iudicium. Sed quia Ioannes Cardinalis sancti Paulli, monachus nostri ordinis, nondum aduenerat, cui hæc caussa principaliter ab Apostolico commissa fuerat, colloquium protelatur vsque ad aduentum eius. Qui adueniens, mense Maio, cum magno, in prædicta Suessionensi vrbe, à Rege, Archiepiscopis & Episcopis, in ecclesia sanctorum martyrum Geruasij & Protasij, excipitur gaudio: cui oblata sunt munera à Rege, sed ille iustus manus suas excussit ab eius munere. Ad colloquium conueniunt, Rex vallatus & armatus multitudine aduocatorũ, qui caussam suam pro suo velle perorarent, accessit: Regina verò sola, proh dolor, nullum præter Deum habens aduocatum

tum venit. Cumque in tanta multitudine nullus esset, qui pro ea, metu Regis, litigaret, quidam ignotus pauper clericus, surgens è medio, cum licentia Regis & Cardinalium, caussam Reginæ ita litteratissimè dilucidauit, vt ipsi Regi & Cardinalibus, omnibusque Episcopis fieret admirationi. Qui pòst, nec antè in eadem ciuitate, à nullo dicitur visus fuisse. Rex verò non exspectato, secundùm decreta sanctorum Patrum, ecclesiastico iudicio, recessit à colloquio. Cardinales etiam & Episcopi reuersi sunt ad propria, caussâ nondum terminatâ. Obijt domnus Simon, noster Abbas nonus, cui successit domnus Adam decimus.

ANNO CHR.

Anno M. CCIII. monachi Aquicinctini primò intrauerunt in magnam ecclesiam, Dominica in Palmis. 1203.

Anno M.CCIV. domnus Adam, noster decimus Abbas obijt: cui successit domnus VVilhelmus vndecimus, postmodùm Abbas sancti Amandi: & Romam profectus & inde rediens, factus est monachus Clarevallensis. Ipso autem facto Abbate sancti Amandi, domnus Simon Abbas duodecimus ei successit: qui in tempore suo multas veteres officinas prostrauit, & nouas ædificationes multas construxit, & etiam sedes in choro sumtuosas & laudabiles & honestas. Ædificauit etiam capellam in honorem beatæ Virginis, quæ honestate sua & pulchritudine intuentium oculos potest morosiùs detinere. Inceptam etiam ecclesiam ab auunculo suo Simone, nono Abbate, multo labore & expensis non modicis, feliciter consummauit, & eamdem ecclesiam duobus campanilibus cum vndecim campanis studiosiùs insigniuit. Insuper multos redditus acquisiuit. Hoc etiam anno Constantinopolis ciuitas capta est à Balduino Comite Flandrensi & Hainoensi: in qua ciuitate per Dei gratiam electus & consecratus est Imperator, & Augustus Romanorum. 1204.

Anno M. CCVIII. VVilhelmus noster Abbas vndecimus, Abbas sancti Amandi efficitur: cui successit domnus Simon Abbas XII. de quò suprà diximus. 1208.

Anno M. CCXII. Fernandus de Portugallia accepit Ioannem Comitissam Flandrensem & Hainoensem. 1212.

Anno M. CCXIII. cœpit ædificare domnus Simon Abbas XII. claustrũ. Grande bellum fuit inter Philippum Regem Francorum & suos ex vna parte, & Fernandum & Flandrensem, & Othonem Imp. Alemanniæ ex alia, apud pontem Bouinarum: sed Franci victoriam habuerunt. Quâ visâ, Otho cum quibusdam de suis recessit; Fernandus autem & Rainaldus Comes Boloniæ, qui cum eo erat, & VVilhelmus Comes Hollandiæ capti fuerunt in ipso prælio. Sed postmodùm Fernandus, per illustrem vxorem suam 1213.

Ioan-

ANNO CHR. Ioannam, Comitissam Flandriæ, à captione Regis Francorum, pretio non modico est redemtus. Comes verò Boloniæ in quodã castro, sito in Sequana, quod dicitur Goulet, exspirauit.

1216. Anno M. CCXVI. Ludovvicus, primogenitus Philippi Regis Franciæ, Angliam intrauit, quædam castella cepit: sed anno sequenti per præceptum domni Papæ Honorij, redijt in Franciam.

1218. Anno M.CCXVIII. monachi Aquicinctenses intrauerunt nouũ chorum, præsente venerabili Episcopo Ambianensi Euerardo, in vigilia natalis Domini.

1219. Anno M. CCXIX. Honorius Papa III. concessit domno Simoni Abbati Aquicinctensi XII. & successoribus eius, vsum mitræ & annuli, cum quibusdam priuilegijs & indulgentijs.

1222. Anno M. CCXXII. iacta sunt fundamenta ecclesiæ beatæ Mariæ XIV. Kal. Maij, feria II.

1223. Anno M. CCXXIII. Philippus inclytus Rex Franciæ obijt: cui successit primogenitus eius Ludovvicus.

1224. Anno M.CCXXIIII. in Quadragesima venit quidã ignotus, & tamquam eremita, habitauit in Foresta de Glanchon iuxta Morraigne; & tandem reuelauit quibusdam, quòd ipse erat Balduinus Comes Flandriæ & Hainoiæ, & Imperator Constantinopolitanus. Quo audito, quidam nobiles crediderunt verbis ipsius, duxerunt eum Valencenas cum honore, & eum ibi ornatum, sicut decebat Imperatorem & Comitem, duxerunt per Flandriã: & multi Flandrenses fecerunt ei homagium, sicut Comiti, & tandem intrauit Insulam, cum maximo comitatu & apparatu. Ludovvicus autem Rex Franciæ, famâ eius auditâ, diem ei apud Peronam assignauit, vt cognosceret eum, qui dicebat se esse auunculum Regis prædicti, & vt faceret ei debitum homagium de Comitatu Flandrensi, si esset Comes Flandriæ, veniendo & redeundo securè. Tandem veniens Peronam, & audacter apparens coram Rege Ludovvico, & consilio eius, in palatio ipsius Regis, multis interrogantibus, examinatus est, sed certitudinem nullam respondit. Vnde pluribus argumentis est conuictus, quòd dolosè ageret, & per omnia mentiretur, & ita recessit cum pudore; & prædictus Rex districtè præceperat eidem, quòd de terra sua recederet indilatè. Eodem autem die, quo licentiatus est à Rege, tam die quàm nocte, Valencenas venit, vnde furtim & latenter effugit. Quo audito, Ioanna Comitissa Flandrensis cautè fecit quæri eumdem: qui tandem repertus est, & ad dictam Comitissam adductus apud Insulam: vbi de con-

consilio Baronum suorum, iudicatus est & damnatus, quòd cum equis traheretur extra villam, & suspenderetur; & ita vitam infeliciter consummauit. ANNO CHR.

Anno M.CCXXV. Ludovvicus Rex Francorum profectus est aduersus Albigenses, cum multis nobilibus, tam Episcopis quàm Principibus; videlicet Archiepiscopo Remēsi, Guilielmo de Iouis villa . . . . . . & Gareno Siluanectensi Episcopo, Philippo Boloniensi, Guidone sancti Paulli Comitibus, & multis alijs tam clericis quàm laicis: qui Auinionem obsederunt & ceperunt. Sed in obsidione Guido Comes sancti Paulli, quadam petra mangonelli percussus est & interfectus. 1225.

Explicit manuscriptus codex Aquicinctinus.




RERVM
TOTO ORBE
GESTARVM
CHRONICON.

Ab anno Chriſti M. CC. ad noſtra vſque tempora.

AVBERTVS MIRÆVS *Bruxell. ex vetuſtis ſcriptoribus concinnauit.*





ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum Verduſſen.
ANNO M. DC. VIII.



RERVM TOTO ORBE GESTARVM CHRONICON,

Ab anno Christi M.CC. ad nostra vsque tempora.

Studio AVBERTI MIRÆI digestum.



ANNO M.CC. in Alberti Cudicensis siue Cuquensis, anno superiore defuncti, locum suffectus Hugo Petrapontius, Leodicensium Episcopus consecratur. Saxo Grammaticus, Sialandicus, floret; qui ad hæc vsque tempora historiam Daniæ perduxit. 1200.

His temporibus fama per Europam spargi cœpit de Tartarorum nomine ac regno. Vnde Martinus Polonus scribit hoc anno Tartarorum imperium sumsisse initium. Consentiunt Haithonus, Mechouius, Iperius & alij.

Balduinus Bocla, vir religiosus, & auctor Bodeloensis in Flandria cœnobij, monachorum ordinis Cisterciensis, moritur.

Conradus Archiepiscopus Moguntinus moritur: cui Sigefridus Bingensis Præpositus successit. A quibusdam tamen electus est Lupoldus, tunc VVormaciensis Episcopus. Lege Nic. Serarij historiam Moguntinam.

Ida Louaniensis in monasterio Vallis-rosarum, ordinis Cisterciensis, moritur. Albertus castri Dom-Martinensis Comes moritur; relictis liberis Reginaldo Boloniæ Comite, & Hugone Comite Pontacensi: qui Comitatus per vxores iisdem obtigerunt.

Godefridus Iouillarij in Lotharingia dominus moritur: qui præter alia monasteria, Iouillariense monasterium, ordinis Præmonstratensis, in diœcesi Tullensi, fundauit ac dotauit. *VVasseburgius.*

Anno M.CCI. Philippus Rex Franciæ, Ioannes Rex Angliæ, & Balduinus Comes Flandriæ, ad mutuum conueniunt colloquium, pacemque inter se firmant. Ibi tum Ludouicus, Regis Franciæ filius primogenitus, & Comes Artesiensis, vxorem duxit Blancam, Regis Hispaniæ filiam, ex sorore Regis Angliæ iam dicti. *Iperius.* 1201.

Innocentius III. Pont. Max. hospitali S. Spiritus Romæ excitato, magnisque vectigalibus dotato, ordinem *Hospitalariorum S. Spiritus instituit. *Sigonius hist. de regno Italiæ.* ** Miræus lib. 1. orig. monast. c. 26.*

Petro Corbolio ad sedem archiepiscopalem Senonensem * euecto, in Cameracensi episcopatu successit Ioannes Bethunianus: vt disertè testatur in chronico suo ms. Balduinus Niniuensis. Eius electionem ab Othone IV. Rege confirmatam lego Coloniæ hoc anno, VI. Kal. Octobris. ** An. 1196. ait Rigordus in vita Philippi Aug.*

ANNO CHR.

1202. Anno M.CCII. Conradus Lichtenauius, chronographus celebris, fit presbyter; vt ipse de se testatur. Beatus Raimundus hospitalitatis laude clarus Placentiæ in Domino obdormit. Veneti Græcorum Imperatoribus insulam Cretam, quæ hodie Candia dicitur, eripiunt. *Sabell.*

1203. Anno M.CCIII. Balduinus Flandriæ Hannoniæque Comes, cruce signatus, peram & baculum Brugis assumsit, in terræ sanctæ subsidium. Habebat ex Maria coniuge sua filiam Ioannam, & post peram assumtam, nata est ei, ex eadem coniuge, altera filia Margarita: quas, vnà cum prouincijs suis, Bochardo Auesnensi, cognato suo, in diaconatus ordine constituto, regendas abiens commisit. Maria Comitissa, maritum suum subsecuta, Oceano & mari mediterraneo emenso, cùm Ptolemaida appulisset, ibidem frustra ipsum exspectãs & mœrens, hoc ipso anno obijt. Balduinus cum Henrico Dandulo, Venetorum Duce, Bonifacio Montis Ferrati Marchione, Ludouico Blesensi, * Hugone S.Paulli Comite, & alijs Principibus, Constantinopolim versus nauigauit, eamque obsedit, & pulso demum Alexio tyranno, cepit. *Iperius.*

* *Alij Henricum nuncupãt.*

Inter obsessos fuit Nicetas Choniata, qui vrbis captæ historiam scripsit. Eamdem Villarduinus, Gallicus horum temporum scriptor, litteris mandauit, teste Papirio Massono, annalium Galliæ lib. 3.

Theoderico Hollandiæ Comite Dordraci trucidato, Guilielmus eius frater Principatũ inuasit, exclusâ Ada Theoderici filiâ, Ludouico Lossensium Comiti in diœcesi Leodicensi nuptâ. Stephanus Tornacensis Episcopus moritur, succedente Gosuino.

1204. Anno M.CCIV. Constantinopolitanâ vrbe à Latinis in potestatem redactâ, Balduinus Flandriæ Comes, communibus suffragijs Imperator Constantinopolitanus eligitur & coronatur. Bonifacio Montis Ferrati Marchioni, qui capitaneus exercitus fuerat, regnum Thessaliæ obuenit: sic tamen vt supremũ Græciæ dominiũ penes Imperatorem esset. *Iperius* & *Gregoras.*

Thomas Maurocenus, Venetus, primus è Latinis Patriarcha Hierosolymitanus creatur: contra quẽ è Græcis extra vrbẽ sedit Michael IV. *Blondus.*

Nicephorus Gregoras historiam Impp. Græcorum orditur hoc anno, quo à Græcis Theodorus Lascaris Nicææ salutatus est Imperator.

Petrus Aragoniæ Rex idemque Comes Barcinonensis, & Montis Pessulani dominus, ex Prouincia cum classe soluens, Romam ad Innocentiũ III. Pont. Max. venit: vbi spẽdido apparatu exceptus est, & Nouẽbris die XXI. à Petro Card. & Episcopo Portuensi inunctus, manuque Pontificis coronatus, regni insignia ab eodẽ solẽni ceremonia accepit: & concessum Aragoniæ Regibus, vt deinceps in prouincia coronam accipiẽdi ius esset, Tarraconensi Episcopo totius ceremoniæ antistite, quasi Romani Pontificis vicario. Rex porrò Aragoniam Pontificibus vectigalem esse voluit, certum auri pondus pendere

ANNO CHR.

pendere quotannis pollicitus. De re tota publicæ exſtant tabulæ, quas Alfonſus Ciaconius recitat. Alexius Comnenus, Theodori Laſcaris ſocer, genero imperiũ inuidens, Colchidem occupauit, & nouum Trapezunti imperium condidit: hinc Impp. Trapezuntinorum origo. Sic Orientis imperium diuiſum eſt in Europæum & Aſiaticũ, ad Colchidẽ. *Gregoras & Genebrardus.*

Trapezuntini imperij origo.

Anno M.CCV. Balduinus Imp. Conſtantinop. caſtris ad Hadrianopolim poſitis, à Ioanne Myſiæ Præfecto circũuentus capitur. Cumque annum vnum & menſes quattuor carceris moleſtias tuliſſet, tyrannus ei manus pedeſque abſcindi iuſſit, reliquo corpore in vallẽ proiecto, ac triduò pòſt exanimato. *Nicetas.* Guido Remenſis Archiepiſcopus Gandaui moritur & ſepelitur. Nicetas Acominatus Choniata, qui nobili apud Græcos genere natus, iudiciorũ Ephorus, & Cæſarũ Cubicularius ante vrbem captam fuerat, hiſtoriam rerum memorabilium, quæ in Conſtantinop. imperio per LXXX. ferè annos contigerunt, ab anno Chriſti M.CXVII. in quo deſinit Zonaras, ad hoc vſque tempus deſcripſit. Nicetam excipit Nicephorus Gregoras. 1205.

Balduinus Comes Giſnenſis, ætate grauis, moritur: ſuccedit filius Balduinus. Libet hoc loco Giſnenſium apud Caletes Comitum initia ex Ioanne Iperio, Abbate & chronographo Bertiniano, recenſere. *Sifridus Dacus, vir militaris, cùm Giſnas monaſterio S. Bertini abſtuliſſet, ibi caſtellum ædificauit: ſed poſtmodùm laqueo ſe, in eodem caſtello, ſuſpendens, miſerè periJt. Arnulfus ſenior, Flandriæ Comes, Sifridum in rapina Comitatus Giſnarum ſuſtinens, ab eodem, filiæ ſuæ ſtupro, turpatur. Arnulfus ex eodem ſtupro natus, fuit primus Giſnarum Comes: à quo ceteri Giſnarum Comites deſcenderunt. Idem ſine honore periJt, nec ſcitur, vbi. Rodulfus Giſnarum Comes & Franciæ Comeſtabilis, in haſtiludio lancea percuſſus interiJt. Filius eius, poſt patrem Comes Giſnarum & Comeſtabilis, iuſſu Regis Franciæ eſt decollatus, & Comitatus Giſnarum regio fiſco adſcriptus. Domus Comitum Giſnenſium apud Audomaropolim, ab Arteſiæ Comitiſſa, in monaſterium fratrum Prædicatorũ eſt conuerſum. Reginaldus Comes Domni-Martini, nepos Eliſabethæ Reginæ Frãciæ, vxorẽ habuit Idam potentiſsimã Boloniæ Comitiſſam. Qui cum fortè à Comite S. Paulli in facie percuſſus fuiſſet, ira plenus, cum Balduino Comite Giſnarum, fugit ad Balduinũ Flandriæ Comitẽ, bellum cum Philippo Franciæ Rege tunc gerentem. Vterque verò de ſuo Comitatu, ille de Bolonienſi, alter de Giſnenſi, homagium dicto Comiti Flandriæ fecerunt: quod Rex Franciæ ægerrimè tulit.* Hactenus ex Iperio.

Comitum Giſnenſiũ origo.

Anno M.CCVI. Balduino Imp. diu quæſito, nec inuento, Henricus frater eius, vir armis ſtrennuus, in imperio Conſtantinopolitano ſufficitur & coronatur. In Flandriæ verò & Hannoniæ Comitatibus ſucceſſit Ioanna filia eius primogenita. *Iperius.* 1206.

Henricus Lotharingiæ Dux Louanij cœnobium S. Gertrudis fundat, quod eſt Canonicorum regularium, vt vocant, ordinis S. Auguſtini; nec ad id alij ferè admittuntur, quàm nobili genere nati. Ordinem fratrum Minorum

ANNO CHR. beatus Franciſcus, patria Aſsiſias, Italus incohat. *Mart.Pol.* Floret apud Aconem Syriæ vrbem, Albertus Eremita, Patriarcha Hieroſolymitanus. Id ex antiquo nummo ab eo cuſo didici, quem à Philippo II. Hiſp. Rege dono acceptum V. N. *Ioannes l'Hermite* Antuerpiæ adſeruat; quemque nos ſub effigie dicti Alberti, ab Hadriano Collartio, inter Conditores ordinum religioſorum, nuper in hac vrbe curauimus in lamina ærea exprimendum. Huius nummi iſta eſt inſcriptio, ex vna parte:

ALBERTVS PATRIARCHA HIEROSOLYMITANVS AN.M.CCVI.

Ex altera: HIEROSOLYMA A SARACENIS CAPTA, SEDE ACONEM TRANSLATA. NVMVS PEREGRINORVM.

Spectantur in eodem nummo * inſignia vrbis Hieroſolymitanæ, itemque inſignia gentilicia familiæ Eremitanæ; quæ ad Petrum Eremitam, belli ſacri Vrbano II. Pont. Max. auctorem, genus ſuum referens, hodieque apud Francos & Belgas floret. Sunt autem iſta inſignia ex tribus floſculis quinque foliorum, itemque ex calculis precarijs, in formam roſarij, vt vocant, digeſtis, compoſita. Ex quo liquet, non vanè Petro Eremitæ calculorum iſtorum inuentionem à Polydoro Vergilio alijſque adtribui. Ceterùm Albertus Patriarcha fratribus Carmelitanis vitæ regulam, ex S. Baſilij & Ioannis XLIIII. Epiſcopi Hieroſolymitani libris concinnatam, præſcripſit: vt ex diplomate in vrbe Aconenſi, Idibus Ianuarij M. CLXXI. dato conſtat. In numeris tamen anni Chriſtiani mendum eſſe ſuſpicor: nam illo anno ipſum nondum fuiſſe Patriarcham ex dictis conſtat. Niſi cui probabilius dici poſſe videatur, regulam iſtam ab Alberto quidem ante patriarchatum fuiſſe conſcriptam, idque iubentibus fortaſſe aut rogantibus alijs; poſtmodùm verò nomen eius ac titulum patriarchalem eidem regulæ fuiſſe præfixum, fidei atque auctoritati apud omnes ſtabiliendæ.

* *Nimiū litera H. cum I interſecante, & quatuor ✠. circumpoſitis. Quod contra vulgi errorem nota.*

Anno M.CCVII. Innocentius III. Papa mittit Legatum Apoſtolicum,
1207. & XII. Abbates ordinis Ciſtercienſis, in Galliam, ad ſanam doctrinam Albigenſibus hæreticis prædicandam. Quibus ſe Didacus Vxamenſis in Hiſpania Epiſcopus adiunxit, in comitatu ſuo habens Dominicum, familiæ Prædicatoriæ principem. *Mart.Pol.* & *Iperius.*

Lambertus Morinorum Epiſcopus moritur: ſuccedit Ioannes, Archidiaconus & nepos eius. *Andrenſe chronicon.*

1208. Anno CCVIII. Sanctia Petri Aragoniæ regis mater, menſe Nouembri Xixenæ deceſsit, quod ipſa monaſterium virginum ſub D. Ioannis Hieroſolymitani militum diſciplina exſtruxerat; vt in eo rerum humanarum tædio, vitæque melioris ſtudio veſtem mutaret. *Ioannes Mariana in hiſtoria Hiſpaniæ.*

Anno

Anno M. CCIX. Otho IV. Romæ ab Innocentio III. Papa salutatur Imperator & coronatur. *Onuph.* Sententia excommunicationis in Ioannem Angliæ Regem lata, à Radulfo Episcopo Atrebatensi, & N. Abbate S. Vedasti, iudicibus à Papa delegatis, Atrebati promulgatur; præsentibus Guilielmo Londinensi, & Eustathio Heliensi Episcopis. *Iperius.* ANNO CHR. 1209.

His temporibus obijt Hermannus, Ludouici filius, Turingiæ Lantgrauius, & sepultus est in Isenaco, monialium Cisterciensis ordinis cœnobio; relictis filijs quattuor, Ludouico, Henrico, Conrado & Hermanno. Ludouicus patri succedens vxorem duxit S. Elisabetham, Andreæ Regis Hungariæ filiam. Henricus cognomine Raspo, postmodùm Romanorum Rex est electus. Conradus militibus domus Teutonicæ adsociatus, eiusdem ordinis Magister generalis exstitit. Hermannus verò, ætatis anno XV. moriens, apud patrem Isenaci est sepultus. *Siffridus presbyter Misnensis in chronico.*

Anno M. CCX. Innocentius III. Othonem Imp. sacris excludit, & imperio priuat; eò quòd ditiones Rom. Ecclesiæ inuaderet. Principes autem Germaniæ in vnum conuenientes, Fredericum II. Henrici VI. filium, Siciliæ Regem, designarunt Imperatorem. *Vrsperg.* 1210.

Robertus Normannus, Abbas Montis Naualis, Sigeberti Gemblacensis chronicon excipiens, res suo æuo gestas ad hunc vsque annū est prosecutus. Helinandus monachus Frigidi montis, in diœcesi Bellouacensi, chronologiam huc vsque itidem deduxit.

Albertus Dagispurgensis Comes, Henrici Ducis Louaniensis patruus moritur. Is Muhalam arcem, cum ditione adiunctâ, Hugoni Petrapontio Leodicensium Episcopo, & D. Lamberto vendiderat: quæ res grauium postea inter Brabantos & Leodicenses bellorum fuit seminarium. *Petrus Diuæus in ms. Brabantiæ historia.*

Anno M.CCXI. Rainaldus à Domno-Martino, Boloniæ Comes, à domino suo Philippo Galliæ Rege, qui Idam Boloniensem Comitissam ipsi dederat vxorem, ditione sua pulsus, & Comitatibus suis priuatus, primùm ad Othonem Imp. pòst ad Ioannem Angliæ Regem, auunculum suum fugit, eosque ad bellum Francis inferendum concitauit. Sic *Iperius* & *Andrense chronicon*, cuius auctor disertè testatur his se temporibus vixisse. 1211.

Boloniæ ad Oceanum, meritis beatæ Virginis-Matris plurima diuinitùs patrantur miracula, & magnus eò fit populi concursus. *Iperius.*

Philippus Namurcensis Comes, relicto filio Philippo, breuis æui puero, decessit. Philippi viduā matrimonio sibi iunxit Henricus Dux Louaniēsis.

Anno M.CCXII. Fredericus II. Imp. Aquis-Grani coronatur. *Vrsp.* Miramamolinus Rex Maroci & Carthaginis cum innumerabili Saracenorū multitudine ex Africa in Hispaniam traiecit, Christianis bellum illaturus. *Iperius.* 1212.

Sed

ANNO CHR. Sed Christiani fortiter sese opponentes, insignem de eo victoriam retulerunt. De huius belli summa victoriaque exstant Alfonsi Castellæ Regis & Innocentij Pontificis litteræ inter se missæ, mutuæ gratulationis caussa: quas recitat Mariana. *Mathilde, Philippi Flandriæ Comitis vidua, procurante, nepos eius Ferdinandus, Sanctij Portugaliæ Regis filius, matrimonio iungitur Ioannæ, Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ, Balduini Imp. Constantinopolitani filiæ. *Iperius.* Ioannes Rex Angliæ, idemque dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegauensis, suis rebus diffidens, cum Pandulfo Innocentij Pontificis Romani Legato pacem inijt, Episcopos pulsos in patriam reuocauit, Angliamque & Hiberniam Romanæ Ecclesiæ vectigales esse constituit, easque beneficiario iure ab Innocentio III. Pont. Max. suscepit. Huius rei publicæ exstant tabulæ & archetypa in mole Hadriani Romæ monumenta, quorum exemplaria Alfonsus Ciaconius in historia Pontificum & Cardinalium recitat.

1213. Anno M.CCXIII. Adamus, Parisiensis Archidiaconus, Morinorum Episcopus eligitur & consecratur. Stephanus item Cantuariensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, honorificè in Angliam reuocatur; agente Pandulfo Cardinale & Apostolicæ Sedis Legato. *Iperius* & *Andrense chron.*

Alcantara ad Tagi ripam Mauris eripitur: quod Calatrauæ militibus dono cessit. Hoc Alcantaræ militibus initium fuit. Cucullum & rubram fasciam, qua longo tempore distingui consueuerunt, Benedicto XIII. qui se Pontificem dixit, consentiente, cruce viridi anno M.CCCCXI. mutarũt: cùm Calatrauæ milites, quibus olim subditi fuerunt, nunc vix contributi, rubræ crucis figura in candida veste vtantur. *Mariana.*

1214. Anno CCIV. Otho Imp. memorabili prælio victus est à Philippo Rege Galliæ, apud Bouinas. Capti atque in Galliam abducti, qui pro Othone steterant, Ferdinandus Flandriæ Comes, Rainaldus siue Reginaldus Boloniæ Comes & alij. Ferdinandum Parisijs in Lupara, Rainaldum Peronæ in turri adseruari iussit. Pugnam istam Bouinensem heroico carmine descripsit Guilielmus Armoricanus. Vualeramus Henrici Ducis Lemburgensis filius cum Ermensinda Comitis Luceburgensis filia nuptias contrahit.

Fredericus II. Imperator Henrico Duci Lotharingiæ eiusque filio Henrico Traiectum opidum ad Mosam situm in feudum confert, diplomate IV. Nonas Septẽbris dato: quod Carolus IV. Imperator anno M.CCCXLIX. cõfirmauit. Vtriusque diploma exstat apud Emundum Dinterum, in ms. Ducum Brabantiæ historia.

Alfonsus Rex Castellæ, pridie Nonas Octobris, moritur, cùm annos LVII. vixisset, & LIII. regnasset. Successit Henricus, Alfonsi VIII. filius. *Mariana.*

Anno

Anno M. CCXV. Fredericus Apuliæ Rex Aquis-Grani coronatur, & crucè signatur, multique cum eo Episcopi, Duces & Comites. *Iperius.* ANNO CHR. 1215.

Concilium Lateranense Romæ ab Innocentio III. celebratur: cui interfuêre CCCCXII. Episcopi, itemque Patriarchæ Constantinopolitanus & Hierosolymitanus. Antiochenus verò & Alexandrinus legatos suos misêre. Primates & Metropolitani adfuêre LXXI. Abbates autem & Priores ampliùs octingenti. Fredericus Romanorum Imperator electus, Henricus Imp. Constantinopolitanus, Reges Franciæ, Aragoniæ, Angliæ, Hungariæ, Hierosolymorum & Cypri, alijque Principes ibidem Legatos suos habuêre præsentes. *Vrsp.* Huic concilio summa cum laude interfuit Rodericus Ximenius, Archiepiscopus Toletanus: cuius exstant de rebus Hispaniæ & Arabum gente historiæ, non omnino inelegantes. *Mariana.* Conradus Lichtenauius creatur Abbas in Vrsperga, ordinis Præmonstratensis monasterio, inter Augustam & Vlmam sito: vt de se testatur ipse in chronico.

Congregatio monachorum S. Paulli eremitæ in Hungaria sumit initium, auctore Eusebio Strigoniensi, primùm Barptolemæo Quinqueecclesiensi Episcopo, deinde * Paullo Vesperinensi Episcopo, pòst * Gentile Montflorio Cardinale, & apud Hungaros Apostolico Legato, probantibus. Idem porrò Legatus ipsis regulam S. Augustini præscripsit; demum Ioannes XXII. Pont. Max. totum vitæ institutum confirmauit, & Nicolaus V. rotundam S. Stephani basilicam, in monte Cælio, ijsdem attribuit: ad quod monasterium hodie non nisi Hungari ferè admittuntur. *Paullus Morisus lib. 1. Originum monasticarum.*

* *An.* 1283.
* *Circa an.* 1308.

Anno M. CCXVI. Ida Boloniæ Comitissa, cuius maritus Reginaldus Peronæ captus detinebatur, in Flandria moritur & Boloniæ sepelitur. Mathildem Reginaldi filiam Rex Franciæ vxorem dedit Philippo filio suo. *Iperius.* Petro Antisiodorensi Imp. Constantinopolitano defuncto, successit filius eius Robertus: quem, vnà cum vxore Iola Honorius III. Romæ in basilica S. Laurentij, imperiali diademate donauit. *Alfonsus Ciaconius, in Vitis Pontificum & Cardinalium.* 1216.

Innocentius III. Pont. Max. Perusiæ moritur & sepelitur in basilica cathedrali: successit HONORIVS III. domo Romanus. *Vrsp.* Is anno pontificatus sui primo, ordinem fratrum Prædicatorum confirmauit, beato Dominico procurante. *Mart. Polonus.* De sodalibus Prædicatoribus sic in suo chronico Abbas Vrspergensis, qui hoc ipso æuo vixit: *Fratres Prædicatores studio & lectioni sacræ scripturæ iugiter insistentes tantum in scribendo libros opus faciebant, & eos diligentissime à magistris suis audiebant, vt cum sagittis & arcu, & omni armatura fortium possent ingredi, & stare pro defensione sanctæ matris Ecclesiæ, & ex aduerso adscendere & ponere se murum pro domo Israel, dum fidem roborant, virtutes instruunt, statuta Ecclesiæ docent & collaudant, vitia hominū & prauitates redarguunt & castigant, nihilominus sedi Apostolicæ in omnibus obediunt, à qua auctoritatem præcipuam trahunt.*

ANNO CHR. Henricus Imp. Constantinopolitanus moritur: succedit Petrus Comes Antisiodorensis, qui Philippi sororem duxerat vxorem. *Iperius* & *And. chron.* Ioannes Rex Angliæ vita decedit: filius eius Henricus, necdum decennis, in regno sufficitur. *Andrense chron.*

1217. Anno MCCXVII. milites ordinis Teutonici primam aduersus idololatras expeditionem in Prussiam suscipiunt: quos domitos ad salutaré Christi doctrinam paullatim adduxerunt. *Liber ordinis Prussiæ.*

Matthæi Olisiponensis Episcopi virtute industriaque, in Lusitania opidum, cui *Alcasari Salis* nomen est, cum magna Maurorum strage captũ fuit. Templarij, Hospitalarijque milites multùm in eo bello iuuerunt: sed præcipua laus classi ex Anglia, Belgio, Galliaque reliqua in ea litora appulsæ debetur, eorum qui Innocentij III. Papæ operâ, quasi signo, in Lateranensi concilio à Patribus dato, ad bellum sacrum instaurandum, emenso Oceano & mediterraneo mari, in Syriam nauigare pergebant. Suntque supra sexaginta Maurorum millia trucidata, cùm VII. Kal. Octobris acie dimicatum esset. *Mariana.* Henricus Rex Castellæ moritur: post quem Ferdinandus, cognomento Sanctus, Alfonsi IX. filius Rex renuntiatur. Is regna Castellæ & Legionis coniunxit, itemque Hispalim & Cordubam Mauris eripuit. *Idem.*

1218. Anno MCCXVIII. Otho IV Imp. ab omnibus desertus, Brunsvvigæ moritur inglorius. *Vrsp.* Alij ad præcedentẽ annũ id referunt, adduntque ipsum antè obitũ ab excommunicatione absolutum fuisse. Barcinone in Hispania noua piorũ hominũ instituitur sodalitas, nomine *beatæ* MARIAE *de Mercede.* Multi terra marique Christiani homines capti à Mauris, & in seruitutem abacti, vitæ acerbitate, à fide Christo data mouebantur. Magnum id Christiani nominis probrum erat: hominum itaque societas instituta, qui corrogatis vndique eleëmosynis captiuos redimerent. Iacobus I. Aragoniæ Rex primus illius ordinis auctor fuisse creditur: post eũ Petrus Nolascus, natione Gallus, ducem secuturis se præbuit, nascentemque familiam optimis legibus temperauit. Regia insignia, cruce rubro clypeo impositâ, ad vestem candidam & cucullum toti familiæ distinctionis gratiâ sunt attributa. Ipse Nolascus in basilica S. Crucis coram Rege, & proceribus de manu B. Raimundi Pennafortij, qui tũc Regi à confessionibus erat, soléni cerimonia suscepit. *Mariana.*

Origo ord. B. Mariæ de Mercede.

Mathildis Philippi Flandriæ Comitis vidua Furnis moritur, & in Claravalle ad mariti tumulum sepelitur. *Iperius.* Simon Comes Montis-fortis (opidum id Carnutum in finibus situm,) mense nono, postquam Tolosam ab Albigensibus occupatam obsederat, lapidis ictu interimitur: post quem filius eius * Albertus sacræ contra Albigenses militiæ præficitur. *Idem.* Rerum à Simone Montfortio aduersus Albigenses gestarũ historiam scripsit ad Innocentium III. Pont. Max. Petrus cognomento Sarnensis. Sarnense monasterium est in finibus Carnutum, vbi is scriptor Cisterciensis instituti mona-

*Almericus, aliàs.

monachus fuit. In Frisia XV. parochiæ cum incolis per maris inundationem periêre. *Idem.* Gosuinus Tornacensium Episcopus vita defungitur; Vualterus Maruisiensis sufficitur. Vualtherus Bertholdus, Grimberganus apud Accaron in Syria interijt. *Diuæus.*

Ioannes Brennus Hierosolymorum Rex, N. Dux Austriæ, fratres militiæ templi, fratres hospitalis, & fratres domus Alemannorum cum Christianorum exercitu, Pelagius item Cardinalis & Episcopus Albanensis, Apostolicæ Sedis Legatus, * Damiatam, Ægypti vrbem nobilem ad Nilum fluuium, obsident. Fuit in hac obsidione beatus Franciscus, ordinis fratrum Minorum institutor; qui videns Christianos sese ad pugnam contra Saracenos præparantes, prophetico spiritu eis prædixit, congressum Christianis, si attétarent, non prosperè cessurum. Qua quidem præmonitione contemtâ, cùm pugna esset commissa, tota acies Christiana in fugam versa est. *Iperius.* *Pelusiũ, veteribus.

Anno M.CCXIX. Ludouicus, Philippi Galliæ Regis filius primogenitus, coacto exercitu copioso, Albigenses bello aggreditur, & Tolosam obsidet, nec tamen expugnat. *Andrense chron.* Ad sacrum porrò bellum cum Ludouico iuisse lego inter alios Philippũ Bellouacorũ Episcopum, * Gualterum Comitem S. Paulli, Adamũ Vicecomité Meleduni, & Matthæũ Montis-morenciaci dominum. Hic inter Gallos Bizantij expugnatores emicuit, magnamque inde gloriam retulit; Bouinensi item in prælio fortissimè pugnauit. Matthæi ac fratrum tabulas, ex armario Vicenarum à Papirio Massono productas, ob gentis apud Francos ac Belgas clarissimæ dignitatem, hîc libet recitare. *Notum sit omnibus, tam præsentibus quàm futuris, quòd ego Theobaldus Montis-morenciaci & fratres mei, dominus scilicet Bochardus, & Erueus, dedimus in eleemosynam tam pro nostris, quàm pro patris & matris nostræ animabus, ecclesiæ beatæ Mariæ de Vicena & fratribus de Grãdi-monte ibidẽ Deo seruientibus, salem quem in nauibus per Sequanã commeantibus iure hereditario possidebamus, ad possidendum in perpetuum liberè & quietè, & sine vlla reclamatione. Quod ratum & inconuulsum permaneat, ego Matthæus sigilli mei munimine feci roborari: & vt dominus noster Rex Francorum istud concederet, confirmaret & manu teneret, ab ipso nostris precibus impetrauimus. Huius rei testes sunt Rainaldus Musauena, Henricus Deumaisonil, Thiboldus Diues. Actum ab incarnatione Domini anno millesimo centesimo septuagesimo nono.* Tabulæ illæ cereum signũ integrum adhuc & incorruptum habent, in quo crux & locis distincti aquilini pulli quattuor tantùm spectantur, & inscriptio huiusmodi: SIGILLVM MATHAEI DE MONTE-MORENCIACO. Iure autem illo salis exigendi fruebantur, fruunturque hodie Priores Grandimontenses in septo Vicenarũ apud Lutetiã: Hæc ostendunt Mont-moréciacos à multis retrò sæculis gentilicium insigne ex cruce & aquilinis pullis compositum habuisse. 1219. *Guidonem alij. * Mõtmorenciacæ gentis antiquitas.

Damiatam, anno & mensibus septem obsessam, Christiani Nonis Nouembris occupant, captis plusquam triginta millibus Saracenorum. Sic Iperius, chronographus item Andrensis, Meyerus & alij. Abbas tamen Vrspergensis

ANNO CHR. ista commemorat inter res gestas anni M.CCXXII. Traditque inter cetera, Fresones, Colonieses, & alios * Germanos inferiores, in conflictibus & operibus ad Damiatam sese strennuissimos exhibuisse.

* In his Harlemẽses præ ceteris laudem meruêre; teste Hadr Iunio in Batauia.

Bertoldus homo Germanus, ex Archiepiscopo Coloniensi, fit Patriarcha Aquileiensis. *Sigonius.*

Anno MCCXX. Fredericus II. imperiali Romæ corona donatur, mandato Honorij III. Papæ, & ministerio Hugolini, tunc Ostiensis Episcopi & Cardinalis, postea Papæ Gregorij IX. A cuius etiam manu crucem accepit, ad Hierosolyma recuperanda. *Vrsp.* Ioannes Bethunianus Cameracensium Episcopus apud Tolosam moritur, & Valcellis sepelitur. Succedit Godefridus à Condaco, vir nobilis & probus; qui ciuium Cameracensium aduersus Episcopos insolentiam fregit, & turrim altam quæ Bellefroit dicebatur, atque ingentem campanam ex ea pendentem, qua conuocari solebant, deiecit confregitque. Ita *Balduinus Niniuensis in ms. chronico.* Fuit is horum ferè temporum æqualis, Præmonstratensis vitæ institutum apud Niniuem siue Ninouiam, Flandriæ opidum professus. Radulfus, Atrebatium Episcopus, è vita migrat: cui successit Pontius, Archidiaconus Atrebatensis. *Andrense chron.*

1220. Berardus, Petrus, Accursius, Adiutus & Otho, ordinis Minorum sodales, à beato Francisco, in Africam ad conuertendos Mahumeustas missi, à Rege Maroci, gladio perimuntur: quos miraculis claros Sixtus IV. Pont. numeris Diuorum adscripsit. Beatus Dominicus, ad res ordinis sui constituendas, ex omnibus partibus sodales suos Bononiam aduocat, atque ex omnium sententia paupertatis studium, quod semel susceperant, retinendum esse decernit: eaque prima Prædicatorum comitia (vulgò Capitulum vocant) fuêre. *Sigonius.*

1221. Anno M.CCXXI. Damiatam Christianis Saraceni eripiunt. Quo audito, Honorius Papa indoluit, & in subsidium terræ sanctæ, cum Frederico Imperatore eodemque Siciliæ Rege, iam viduo, cum Ioanne item Brenno, Rege Hierosolymorum, Magistris hospitalis, templi, & Alemannorum statuit, * Isabellam Regis Hierosolymitani filiam & heredem, vbi adoleuerit, nimirum post quadriennium, Imperatori matrimonio iungendam, regno Hierosolymitano dotis nomine adsignato, & post biennium Imperatorem in Syriam profecturum. Exinde Rex Hierosolymitanus ad Philippum Regem Franciæ veniens, honorificè ab eo exceptus est; pòst Compostellam ad S.Iacobum profectus, Berengariam, Ferdinandi Castellæ Regis sororem, duxit vxorem, indeque in Franciam redijt. *Iperius.* Hinc qui Siciliæ regnum postea possederunt, Hierosolymorum Reges sunt appellati.

* Iolam, aliis.

S. Dominicus, familiæ Prædicatorum conditor primusque auctor, Bononiæ in Italia moritur & sepelitur, ætatis anno LI. *Antonin.* Fuit is ex nobili Gusmanorum gente, Calarogæ in agro Vxamensi natus, pari propemodùm inter Vxamam & Arandam interuallo. Vitam eius scripsêre Theodericus,

dericus, huius instituti monachus, Franciscus Diacetius, Episcopus Fesulanus, & alij.

M.CCXXII. Petrus Corbolius, Senonensium Archiepiscopus, qui olim Cameracensium exstiterat Episcopus, è viuis decedit: cui Gualterus, cognomento Cornutus, est suffectus. *Andrense chron.* Roberto Imperatori Constantinopolitano defuncto, sufficitur Balduinus II. Fredericus II. Imp. Henricum, filium suum decennem, regni consortem facit, & ab Engelberto Archiepiscopo Coloniensi Aquis-Grani coronandum curat. *Diuæus & Ciaconius.* Rogerus Fuxensis Comes, mense Iulio, & Raimundus Tolosæ Comes, mense Augusto, obiêre. Vtriusque nomen ea maculâ deformatum, quòd sectæ Albigensium sese fautores præbuerant. *Mariana.* 1222.

S. Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, pro Ecclesiæ libertate, à Frederico Comite Isenbergensi occiditur. *Siffridus.* Huius præclara certamina Cæsarius monachus Heisterbacensis litteris consignauit. * *Alij an. 1225*

M.CCXXIII. Thomas Aquinas, futurus insignis Ecclesiæ Doctor, cognomẽto Angelicus, ideq; Theologorũ, vt vocant, Scholasticorũ princeps, in Italia nascitur. *Antonin.* Honorius III. diplomate, III. Kal. Decembris, anno pontificatus sui VIII. dato, vitæ institutum regulamque Franciscanam confirmat. Henricus Rex Romanorum, Frederici Imp. filius, Agnetem, Leopoldi Ducis Austriæ filiam, ducit vxorem. *Vrsp.* Vincentius Cadlubcus, Polonorum chronographus, qui Cracouiensi episcopatu vltrò se abdicarat, moritur. Hermannus Saltza, ordinis Teutonicorum Magister, primus sacræ militiæ signa in Prussiam victor inuehit. *Liber eius. ord.* 1223.

Philippus Augustus Francorum Rex, pridie Idus Iulij, anno regni XLV. ætatis LIX. vita decedit: cuius vitam scripsit Rigordus, natione Gotho-Francus, professione Medicus, ad Ludouicum cognomento Leonem, eius filium & in regno successorem. Habuit autem Philippus, præter Ludouicũ, filios Philippum Comitem Boloniensem, Robertum Atrebatiæ Comitem, Alfonsum Comitem Pictauensem, & Carolum Comitem Andegauensem; è quibus posteriores duos Comitatus Ioanni Angliæ Regi eripuerat. Ceterum Ludouicus hoc ipso anno Remis cum coniuge sua Blanca, per Guilielmum Remorum Archiepiscopum, mense Augusto est consecratus; præsente Ioanne Hierosolymorum Rege. *Iperius.*

Philippus, frater Ludouici Galliæ Regis, à Boloniensibus, in primo aduentu honorificè excipitur: quem Comitatum nactus fuerat per Mathildem, coniugem suam, filiamque Reginaldi Comitis, qui senescens Peronæ in vinculis vitæ finem exspectabat. Ioannes Hierosolymorum Rex, ad visitandum beati Thomæ Cantuariensis Episcopi & martyris tumulum, transmittit in Angliam, & mox sibi ab Anglis metuens, reuertitur. *Andrense chron.*

Alfonsus, cognomento Crassus, Lusitaniæ Rex moritur Conimbricæ; relictis filijs Sanctio regni herede, Alfonso & Ferdinando. *Mariana.*

ANNO CHR. 1224. Anno M.CCXXIV. Beatrix Comitissa Gisnensis & Castellana Borburgensis, quæ * Bonhemense virginum monasterium, ordinis Cisterciensis, ædificauit, mense Augusto moritur Borburgi: succedit filius eius primogenitus Balduinus. *Andrense chron.* Iacobi Vitriaci, Aconensis Episcopi & Cardinalis historia orientalis siue Hierosolymitana, vt typis exstat edita, in rebus gestis huius anni desinit. Vtinam vero quis tertium eius sacræ historiæ librum bono publico in lucem proferat! quem, de rebus postea in Oriente atque Occidente gestis, ab ipso conscriptũ esse Henricus Canisius tomo VI. Lectionum antiquarum obseruauit.

* Bohamense.

1225. Anno M.CCXXV. Guilielmus Parisiensis, auctor libri, cui titulus, *Rhetorica diuina*, suis concionibus complures mulierculas, turpi corporis quæstu viuentes, lupanaribus extraxit: iisque domum nouam, quam *Filiarum Dei* nuncupant, Lutetiæ excitauit. Biennio pòst creatus est Episcopus Parisiensium. * Bertrandus Rainsus, Remensis, ex Campania oriundus, qui se reducem esse Balduinum Imperatorem Constantinopolitanũ, ante annos aliquot à Bulgaris captum, vulgarat finxeratque, à Ioannæ Flandrorum Comitissæ ministris comprehensus, Insulis Flandrorum, in qua vrbe coronam imperialem gesserat, suspenditur & laqueo vitam finit. *Iperius.*

* *Lipsius lib. 2. Exempl. polit. cap. 5.*

Gerardus aduocatus Grimbergensis moritur. Eodem anno, cùm filia Alberti Comitis Dagispurgensis obiisset, Hugo Episcopus Leodicensis Muham à patre emtam, sibi & Ecclesiæ suæ vindicauit; Henrico, Lotharingiæ & Brabantiæ Duce, indignante. *Diuæus.* Sigefridus II. Archiepiscopus Moguntinus moritur & Erfordiæ sepelitur. Succedit Sigefridus eo nomine Tertius, Sigefridi II. ex fratre nepos; qui initio sui pontificatus, concilium prouinciale admodùm celebre habuit. Sic Trithemius & Serarius. At Siffridus presbyter Misnensis tradit eum anno M.CCXXX. obiisse.

1226. Anno M.CCXXVI. Agnes Regina coronatur Aquis-Grani. *Vrsp.* Borussia militibus ordinis Teutonici, per Conradum Masouiæ Ducem, XXIX. Maij, donatur. *Liber ord. Prusi.* Romanus Cardinalis & Sedis Apostolicæ Legatus, apud Biturigas concilium celebrat: in quo concilio ipse Legatus, Ludouicus item Rex Francorum, multique viri principes cruce signantur, ad bellum Albigensibus inferendum. *Iperius.* Honorius III. regulam fratrum Eremitarum, in monte Carmelo, ab Helia propheta olim frequentato, & quarto milliari à Ptolemaide siue Acone, celebri olim Syriæ vrbe, sito, habitantium adprobat: quam & successor eius Gregorius IX. confirmauit. *Mart. Polonus & Ciaconius.* S. Franciscus, auctor ordinis fratrum Minorum, ingenti miraculorum splendore præfulgens, Assisii in patria, piè obdormit. Res ab eo sanctissimè gestas S. Bonauentura aliique litteris mandauêre. De sodalibus porrò Minoribus Matthæus Parisius, horum temporum propè æqualis, sic scripsit: *Sub his diebus fratres Minores, fauente Papa Innocentio, subitò emergentes terram repleuerunt, habitantes in vrbibus & ciuitatibus deni & septeni*

ANNO CHR.

uni, nihil omninò possidentes, de Euangelio viuentes, in victu & vestitu paupertatem nimiam perferentes, nudis pedibus incedentes, maximum humilitatis exemplum omnibus præbuerunt. Diebus autem Dominicis & festiuis de suis habitaculis exeuntes, prædicauerunt in ecclesijs parochialibus Euangelium verbi, edentes & bibentes, quæ apud illos erant, quibus officium prædicationis impendebant. Qui in rerum cælestium contemplatione tantò perspicaciores sunt inuenti, quantò à rebus præsentis sæculi, & carnalibus delitijs comprobantur alieni. Nullum genus alimenti penes eos vsque in crastinum reseruatur, vt paupertas spiritus, qui viget in mente, actu sicut & habitu omnibus innotescat. De Seraphici ordinis Franciscani origine ac progressu amplissimum volumen conscripsit Franciscus Gonzaga, eiusdem instituti Minister generalis, pòst Episcopus Mantuanus. Cuius exemplum vtinam ceterorum ordinum religiosorum Præfecti, bono Ecclesiæ publico, æmulētur.

* Ludouico Leone apud Francos regnante, Sauaricus Malleonensis, summo inter Aquitanos loco natus, poëtas Gallicos suo sermone versus similiter desinentes, qui rhythmi vulgò appellantur, conscribentes magnis & honoribus & præmijs affecit. *Massonus.* Rhythmorum autem vsum à Siculis ad Italos transijsse, Petrarcha, in præfatione ad Epistolas familiares, fatetur: *Hoc genus*, inquit, *rhythmorum apud Siculos, vt fama est, non multis antè sæculis renatum, breui per omnem Italiam ac longiùs manauit, apud Græcorum olim ac Latinorum vetustissimos celebratum. Siquidem & Romanos vulgares rhythmico tantùm carmine vti solitos accepimus.* *Rythmorum origo.*

Anno M. CCXXVII. Ludouicus Thuringiæ & Hassiæ Lantgrauius, maritus S. Elizabethæ, tactus piæ militiæ amore, dum ex Apulia in Syriam, vnà cum Frederico Imp. traiectionem parat, Hydrunti moritur. Loculus & ossa in Thuringiam allata, & in monasterio Reinhartsbornensi sunt condita. Eodem anno in Apulia moritur Sifridus Augustanus Episcopus. *Vrsp.* 1227.

Guilielmus Remorum Archiepiscopus, olim Lingonensium Episcopus, moritur, cui successit Henricus Thesaurarius Bellouacensis. Ludouicus item cognomento Leo, Francorum Rex defungitur, relicto herede filio Ludouico, vix decimum tertium ætatis annum ingresso: quem Iacobus Suessionum Episcopus, vacante Remensi cathedra Regem consecrauit. *Iperius.* Accursius Florentinus, primus vniuersi Iuris glossator, vt vocant, atque interpres, floret. Beata Iuetta, vidua & inclusa, apud Huium prouinciæ Leodicensis opidum, in Domino obdormit septuagenaria. * Vitam eius scripsit Hugo Floreffiensis, instituti Præmōstratensis. Reginaldus à Dom-Martino, Boloniæ Comes, prælio Bouinensi captus, & annos XIII. Peronæ in vinculis habitus, moritur. *Iperius.* Honorius III. Papa XV. Kal. Aprilis Romæ obijt: succedit GREGORIVS IX. antea Hugolinus dictus, Ostiensis Episcopus. Is, anno pontificatus sui primo, varijs de caussis Fredericum Imp. excommunicauit. *Vrsp.* Ferdinandus Flandriæ & Hannoniæ Comes, prælio item Bouinensi captus, lytro persoluto, liber dimittitur. Sic *Andrense chronicon*, quod in rebus gestis huius anni desinit. Andrense porrò

** Exstat apud me ms. in vetere codice.*

cœno-

ANNO CHR. cœnobium, monachorum ordinis S. Benedicti, olim apud Caletes situm fuit. Honorio III. Pont. Max. Lucas, Tudensis primùm diaconus, pòst Episcopus, Româ, Constãtinopolim, Hierosolyma & varias Orientis prouincias, religionis eruditionisque ergò, lustrauit, qui Roderici Ximenij, Archiepiscopi Toletani æqualis, & in similibus studijs versatus, ingenio stiloque non ineleganti historiam edidit de rebus Hispaniæ, Isidori Hispalensis Episcopi chronico inserto. Vnde opinio nata est primam eius operis partem Isidoro adtribuentium. Præterea eiusdem S. Isidori vitam conscripsit, & separato volumine, edita ipsius meritis miracula: cuius voluminis pars altera confutandis Albigensibus consumitur, quos ex Aquitania in Hispaniam irrupisse, Lucæ ipsius testimonio constat. Vtrumque Berengariæ Reginæ iussu & hortatu perfecit, vti ipsemet ijs in libris testatur, feminæ religiosæ atque pietatis studijs deditæ & eruditionis. *Mariana.*

1228. Anno M.CCXVIII. Fredericus II. Imp. ex Apulia in Syriam cum multis Principibus traijciens, Aconem mense Augusto appulit. *Vrsp.* Gregorio IX. Pont. Max. & Frederico II. Imp. inter se dissidentibus, Italia in duas partes est distracta; alijs Imperij, alijs Ecclesiæ auctoritatem sequentibus: quorum * hi Guelfi, illi Gibellini vulgò vocati. Quæ factiones multis postea annis Italiam diuexarunt. *Sigonius.* Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus & Cardinalis obijt: in cuius locum clerus permittente Rege, Vualterum monachũ & Stephani quondam Officialem, elegit. Displicuit id Episcopis suffraganeis, Itaque Henrico Roffensi & Alexandro Cicestrẽsi Episcopis Romam profectis, Richardus Lincolniensis Cancellarius, consilio quorumdam Cardinalium, qui Parisijs cum eo studijs operam dederant, Cantuariensi Ecclesiæ præficitur. *Auctarium chronici Andrensis.* Beatus Arnulfus Corniboutius, patria Bruxellensis, conuersus, vt vocant, Villariensis, instituti Cistercensis, in Brabantia, prophetiæ dono clarus, pridie Kal. Iulij, piè obdormit. Vitam eius * libris duobus scripsit Goswinus Bossutus, eiusdem loci monachus. Raimundus Tolosæ Comes, ab Imberto Bellijocensi, Ludouici Regis IX. Legato, armis vexatus, eas tandem pacis conditiones accepit, quas Romanus S. Angeli Cardinalis & Rex præscripserunt. Pactionis illius capita publicè exstant. Præcipua hæc erant, vt Raimundus omni studio Albigensium sectam exterminandam curaret; vt filiam Ioannam nuptui daret alteri regiorum fratrum. Ea Alfonso data est. Si ex eo coniugio nulla proles nasceretur, Tolosæ Principatus Galliæ Regi cederet. Denique vt Theologis quattuor, Iureconsultis duobus, sex artium liberalium professoribus, & Grammaticis duobus, annua Tolosæ stipendia solueret, erudiendæ ibidem iuuentuti. Hæc Lutetiæ pactus, mense Aprili ad aram summam, in linea tantùm tunica, à Legato Pontificio anathematis religione exsolutus, & Tolosam reuersus est. *Massonus.*

* Hæc factionũ nomina primum audita apud Pistorienses, teste Platina.

* *Exstant apud me mss. in codice antiquo.*

Adamus Morinensis Episcopus, postridie festi paschalis, clero & populo valedicens, relicto episcopatu, in Clara-valle fit monachus. Post cuius abitum

tum

tum Canonici Morinẽses Petro à Colle medio, Italo natione Campano, col- 1229.
legæ suo, apud Tolosam contra Albigenses, auctoritate Apostolica, occupato, episcopatum, legatis eò missis, detulerunt. Sed Petrus, qui Turonensem metropolim & alias sedes cathedrales recusarat, Morinensi itidem reiectâ, Præpositus ecclesiæ S. Audomari fieri maluit: ad quam dignitatem eius loci Canonici ipsum pariter euocabant. Morinenses itaque Petrum, Flandriæ Archidiaconum sibi Episcopum elegerunt. *Iperius.* Sed vt virtus æternum latere nõ potest, Innocentius IV. Petrum à Colle medio, in concilio Lugdunensi anno 1245. Cardinalem creauit, teste Ciaconio. Hoc ipso anno MCCXXIX. Tartari Russiam cædibus & populationibus grauiter adfligũt.

ROBERTVS Imp. Constantinopolitanus moritur, relicto filio & herede BALDVINO II. qui Martham duxit vxorem, Ioannis Hierosolymitani Regis filiam. *Meyerus* & *Onufrius.*

Fredericus II. Imp. ad eas pacis conditiones Sultanum adegit, vt vrbs Hierosolymitana, Nazareth, Ioppe, & alia loca Christianis restituerentur, inducijs inter Christianos & Saracenos in decenniũ cõstitutis. Adhæc Paschæ festum Fredericus Hierosolymis celebrauit, more regio coronatus procedẽs. Itaque bello Syriaco sine sanguine confecto, idem æstiuo tempore in Apuliam est reuersus. Sic Conradus Lichtenauius, Abbas Vrspergensis, cuius hic Chronicon desinit. Iacobus Aragoniæ Rex, Baleares insulas Mauris eripuit. Christianis sacris introductis, sedes ac domicilium Episcopi in vrbe Maiorica, quæ pridie Kalendas Ianuarias anni 1230. capta, constitutũ est. *Mariana.*

Anno MCCXXX. Fredericus II. Imp. à Gregorio IX. Papa in gratiam 1230.
recipitur & absoluitur. *Nauclerus.* Mercenariorũ monachorũ, quos anno 1218. institutos diximus, viuendi ratio à Gregorio IX. probatur, diplomate Perusij XVI. Kal. Februarij dato. *Mariana.* Adamo, olim Morinensi Episcopo, monasticen in Clara-valle iam professo, Petrus eius vrbis Antistes consecratur. *Iperius.* Beata Ida Leuuensis, virgo & monialis instituti Cisterciensis, in Rameia, Brabantiæ cœnobio, floret. Vitam eius manuscriptam adseruamus.

Anno MCCXXXI. Congregatio Canonicorum regularium S. Marci 1231.
Mantuæ in Italia instituitur & cõfirmatur, teste Onufrio Panuinio in Chronico ecclesiastico, & Ciaconio. S. Elizabetha Ludouici Thuringiæ Hassiæque Lantgrauij vidua, & Andreæ Regis Hungariæ filia, erga pauperes liberalissima, piè obdormit, & Marpurgi sepelitur. Vitam eius ac miracula conscripsit Iacobus Montanus Spirensis: fuit neptis S. Heduuigis, Ducissæ Poloniæ, ex sorore.

S. Antonius cognomento Patauinus, Olisipone in Lusitania natus, Canonicis regularibus D. Augustini adolescens in patria, ad D. Vincentij, se addixit. Pòst Franciscanæ familiæ adscriptus, præcipuas Italiæ vrbes Euan-

gelicis concionibus illustrauit, plurimosque ad meliorem frugem perduxit. Magnis demum in ea professione perfunctus laboribus, Patauij hoc anno moritur: vbi templo dicato, magna hominum religione colitur.

1232. Anno MCCXXXII. Thuronium & Colmia Prussiæ opida fundantur. Inter Ferdinandum Flandriæ & Henricum Luceburgi Comites ortâ de Comitatu Namurcensi dissensione, res tandem Cameraci componitur. Henricus itaque Vianam & Golesmas Ferdinando, Ferdinandus autem ac Ioanna Comites illi vicissim quidquid in Namurcum iuris haberent, dimiserunt. *Meyerus.*

1233. Anno MCCXXXIII. Pomezanensem in Borussia siue Prussia episcopatum hoc anno institutum, & Insulam B. Mariæ, vrbem Pomeraniæ episcopalem, fundatam, lego. Gregorius IX. Papa beatum Dominicum, ordinis Prædicatorum auctorem, & S. Antonium Patauinum, hoc anno in Diuos refert. Idem beatum Franciscum, ordinis Seraphici conditorem, an. 1228. & beatam Elizabetham Hassiæ Lantgrauiam cælitibus adscripsit. His ferè temporibus, ad pacificandas Italiæ ciuitates, ordo militum, qui *S. Mariæ gloriosæ* vocabantur, auctore Barptolemæo Vicetino, ordinis Prædicatorum, pòst eius vrbis Episcopo, institutus est. Hunc postea Vrbanus IV. Papa * adprobauit: leges verò attulit Rufinus Gurgo Placentinus, Pontificis Pœnitentiarius, quas scripserant huic ordini se dicantes viri aliquot, diuitiis ac nobilitate præstantes, Catellanus Malauolta, Lodorêgus Andalus, Gruamons Caccianimicus, & Hugolinus Lambertinus, Bononienses, Selanea Liazarius Regiensis, & Rainerus Adelardus Mutinensis. Erant autem, vt tunicam albam & subcinericiam togam induti, crucem purpuream in campo albo, duabus suprapositis stellis, præferrent, ac viduorum & pupillorum tutelam susciperent, paciq; & concordiæ inter homines conciliandæ studerent. Quoniam autem suis quisque in ædibus cum vxoribus & filiis vitam agebat, propterea vulgò *Fratres Gaudentes* vocati sunt, vt Ioannes Villarius, & Salimbenus in suis chronicis prodiderunt. Huius autem ordinis Magister ipse Loderengus est institutus. *Sigonius lib. 17. & 19. de regno Italiæ.*

Ordo militum B. Mariæ.

* *Circa an. 1261.*

FERDINANDVS Flandriæ Comes Nouiomi diem obit, & Marquettæ, in cœnobio virginum Cisterciensium, apud Insulas Flandriæ vrbem, conditur. Quo defuncto IOANNA, eius vidua, Balduini Imp. Constantinopolitani filia, laudatissimè Flandris præfuit.

THOMAS Sabaudiæ Comes, & Alpinarum gentium Princeps, vita decedit; relictis filijs, AMADEO III. natu maximo, qui patri in principatu successit, Humberto, Thoma, Guilielmo, Petro, Bonifacio & Philippo. *Nicolaus Vignierius in Burgundionum chronica.*

Anno MCCXXXIV. Bellum contra Stadingos seu Stadenses, inuiarum paludum Bremensis diœcesis accolas, hæreseos labe infectos, Gregorio Papa excitante, gestum est. Armarunt se, patre iubente, Henricus, Henrici I. Brabantiæ Ducis filius, cui summa rerum est concredita, Gualterus Bertoldus, Machliniæ dominus, Guilielmus Grimbergensis, Guilielmus Ascanus, & alij ex nobilitate Brabantina; itemque Robertus & Guilielmus Betunienses, Theodericus Dixmudanus, & alij Flandriæ proceres. Adiunxêre sese Florentius Hollandiæ, & Theodericus Cliuiæ Comites. Hi omnes cruce signati, mense Iulio Bremam pergunt, atque vnà cum Gerardo Lippiano, Bremensi Episcopo, in rebelles versi, prælio haud longè à Visurgi flumine commisso, magnam eorum partem trucidarunt; reliquos ferè Visurgis absorpsit. *Diuæus.* Milites Teutonici Mariani, auxilio Henrici Marchionis Misnensis, Prutenos ad Christiana sacra compellunt, Prussiamque occupant. Iacobus Aragoniæ Rex, minore Baleare captâ, Ebusum, Pityusarum in mari Ibero maximâ insulam, prouentu salis diuitem, hoc anno Mauris eripuit: mandatumque vt Tarracone sacra peteret. *Mariana.* 1234.

Anno MCCXXXV. Hungari Austriam inuadunt, & Ducem cum omni nobilitate opprimunt. Boleslaus Pudicus ab Henrico Silesiæ Duce Cracouiam introducitur, frustra repugnante Conrado Masouiæ Principe. Ioanna, vnica Raimundi Tolosatium Comitis filia, nubit Alfonso Pictonum Duci, S. Ludouici Galliæ Regis fratri. *Ioannes Tillius.* 1235.

HENRICI I. Lotharingiæ & Brabantiæ Dux moriens, Louanij in in choro basilicæ D. Petri tumulo marmoreo conditur. Succeſsit HENRICVS II. filius, cognomento BONVS.

Anno MCCXXXVI. Ferdinandus Castellæ Rex, Cordubam, pulsis Mauris, in potestatem redigit. *Mariana.* Ioannes à Sacro-bosco, qui librum de Sphæra & Computum Ecclesiasticum conscripsit, Lutetiæ moritur. 1236.

BELA IV. Andreæ II. filius, Hungariæ regno annis XXXV. præfuit. S. Ludouicum Francorum Regem ex Atrebato, Audomaropoli, Aëria, vicinisque opidis aliquot olim ad Flandriæ Comitatum spectantibus, nouum Artesiæ Comitatum conflasse, eumque ROBERTO fratri adtribuisse, tradit Meyerus in Flandriæ annalibus. Iperius tamen, nisi fallor, Artesiæ Comitatum, facit antiquiorem: qua de re vide suprà an. 1199.

STEPHANVS Burgundiæ Comes his ferè temporibus obijt, relictis liberis IOANNE, suo in principatu successore, & Stephano. *Vignierius.*

Anno MCCXXXVII. Fratres seu milites Gladiferi Liuoniæ cum Teutonicis Cruciferis vniuntur: teste Ioanne Funccio in Chronologia. Ceterùm ordo Equitum seu militum CHRISTI in Liuonia ab Alberto Episcopo est institutus, vt tradit Cromerus. Gestabant autem ensis rubri signum cum 1237. Ordo militum Christi in Liuonia.

cruce; pallio insutum. De ijs vide & Arnoldum Lubecensem in chronicis Sclauorum lib. 7. c. 9. Balduinus Imp. Constantinopolitanus in Galliam veniens, Namurcensem Comitatū, auxilio Ludouici Galliæ Regis, cōtra Comitem Vianensem obtinuit, sertum item spineū, aliaque nonnulla passi IESV CHRISTI monumenta, Venetis per id tempus oppignorauit. *Meyerus.* Ioanna Constantinopolitana, Flandriæ Comitissa, sobolis procreandæ cupida, nubit Thomæ, Sabaudiæ Comitis fratri. *Idem.*

1238. Anno MCCXXXVIII. Henricus Barbatus Dux Silesiæ, maritus S. Heduuigis, moritur Crosnæ, in cœnobio Trebnizensi conditus. Succedit filius Henricus Pius. *Mechouius.* Valentia à Iacobo Aragoniæ Rege Maurico imperio adimitur. *Mariana.* Hermannus Balkius primus Liuoniæ Magister creatur: teste Funccio in Chronologia: qui eodem in libro reliquos Liuoniæ, itemque Cruciferorum Teutonicorum Magistros ex ordine recenset. Coronam IESV CHRISTI spineam, spongiam & cuspidem lanceæ sacræ, à Balduino Imp. Constantinopolitano, Venetis oppignorata, S. Ludouicus Galliæ Rex grandi ære redimit, & Parisijs in sacra palatij capella, à se ædificata, collocat. *Meyerus* & *Tillius.*

1240. Anno MCCXL. Henricus II. Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, *Mariâ Sueuicâ* coniuge, Philippi Imp. filiâ è viuis sublatâ, secūdis nuptijs Sophiam sibi iungit, Ludouici Thuringiæ Hassiæque Lantgrauij & S. Elizabethæ filiam. Ex Maria HENRICVM III. Brabantiæ Ducem sustulit. Ex Sophia tulit item HENRICVM filium, cognomine BRABANTINVM dictum. Qui cùm expers paterni Ducatus Brabantini esset, fratri prærogatiuâ ætatis transcripti, annos iam duodecim natus adiecit oculos atque animum ad Thuringiæ & Hassiæ Principatū, materno iure & gratiâ fretus: quippe quæ in ijs locis, vel Diuæ Elizabethæ memoriâ, vel & propria virtute ingens nomen & amicos fautoresque reliquisset. Sed ecce mortuo *Hermanno*, fratre *Sophiæ*, cui ius illud sine controuersia debebatur, successit, & vindicauit sibi, exclusâ fœminâ, HENRICVS, frater *Ludouici*: tenuitque quoad vixit, opibus & potentia valdè auctus, & Rex Romanorum faciente Pontifice Innocento II. contra *Conradum* Frederici F. electus. Quem prælio apud Francofurtum etiam vicit: vir magni animi & spei, sed quam fata inciderunt, obijtque anno post electionem, liberorum expers. Ea res iterum ius & spem *Sophiæ* præbuit, venitque multis aduocantibus in Thuringiam: etsi alij contrà nitebantur, aduocato *Henrico* altero, Marchione Misniæ & terræ Oriētalis, nato ex sorore Henrici Regis defuncti. Sophia vetus ius prætendebat, ille nouellum: denique pacificatione aliquoties tentatâ & irritâ, armis decertatum est: quorum finis, vt partitione factâ, Thuringia penes Marchionem Misniæ maneret, Hassia *Henrico Brabantino* cederet. Idque ad posteros obtinuit & stirps ista: quæ hodieque est Lantgrauiorum Hassiæ, originem & dynastiam suam

suam Henrico, & Sophiæ eius matri debet acceptam, itemque Diuæ Elizabethæ. Sophia porrò maternæ pietatis atque in pauperes beneficentiæ heres & adsecla, Louanij xenodochium insigne, eius vrbis hodie præcipuum, excitauit; Deiparæ item Virginis cultui in primis fuit mancipata. Putatur autem à matre statuas aliquot Deiparæ accepisse, quas vel ob eius memoriam caras sanctasque habuit: è quibus vnam Viluordiæ apud Brabantos, in cœtu Virginum religiosarum, ordinis hodie Carmelitani dedit, dedicauit, miraculis olim & nuper claram, cui cognomen * DIVAE CONSOLATRICIS à re inditum: quia multi malis animi corporisque remedia illic aut leuamenta reperiebant. Tres alias dedisse *Machtildi*, sorori Henrici Brabantiæ Ducis, mariti sui: quæ alteris nuptijs iuncta *Florentio IV.* Hollandiæ & Zelandiæ Comiti fuit. Ex quo coniugio Guilielmus II. ille natus, qui posteà Rex Romanorum est electus. Accepit, inquam, Mathildis ab ipsâ Sophiâ: quod verò propius & rationi temporum adsidet, quàm vt à Diua Elizabetha acceperit; quæ diu mortua, & vix est, vt caussam donandi, aut arctiorem notitiam, in tam dissitis locis, habuerit cum ista. Vndecumque ea nacta, statuas tamen habuit, coluit: & iam moritura dispertiuit, & locis suis quamque assignauit. Vnam *Grauesandæ*, Hollandiæ veteri opido, quod finitimum est Losdunensi virginum Cistercienſium cœnobio: quod ipsa condiderat, in eoque vitam à morte mariti castè pieque egerat: alteram *Harlemi*, adseruandam in Sacrario sodalium Carmelitarum: tertiam denique *Hallis* Hannoniæ collocari voluit, siue iussit: fortè quia inter alias prolem ex Florentio marito *Adelheidem* genuerat, nuptam Ioanni Auennensi, Comiti Hannoniæ: & hanc igitur eiusque ditionem, sacro hoc donario iuit auctum. Hoc euenit anno Christi MCCLXVII. quo Machtildis illa diem obijt. *Lipsius in hiſtoria D. Virginis Hallensis cap. 3.* quem consule de Miraculis eo loci olim & nostro sæculo patratis. Hic annus Hispanis religiosus celebrisque exstitit miraculo, quod ad Chium Aragoniæ arcem ostensum est, Corporalibus, vt vocant, quibus sacrificatum erat, sex hostiarum sanguine delibutis. Ea corporalia Darocæ magna religione seruantur. *Mariana.* Ferrariæ, quam Fredericus Imp. Ecclesiæ Rom. ereptam tenuerat, receptæ, Azo Estensis Marchio, quòd strenuam illo bello operam nauasset, Ecclesiæ nomine præficitur. Ex quo tempore gens Estensis Ferrariæ administrationem habere cœpit. *Ciaconius.*

Ducum Brabātiæ soboles mascula hodieque superest in Lantgrauijs Hassiæ.

Teutonic, Onse lieue Vrouwe ten Troost.

B. Virgo Hallensis.

Hermannus Saltza, militiæ Teutonicorum Magister, rerum gestarum gloria celebris, cùm triginta iam annos laudatissimè præfuisset, in Apulia XXIV. Iulij moritur, & Barletti sepelitur. Hic annus est Iudæis quintus millesimus ab orbe condito, à quo plerumque solent numerare; vt testatur Genebrardus in sua chronologia. Concilium generale Romæ indicitur: sed ob Prælatos ab Imperatore in custodiam datos, & mortem Pontificis interuenientem, non celebratur. *Onufrius.* Nicolaus Liranus ex Iudæo factus Christianus, pòst sodalis ordinis Minorum, Hebraicæ linguæ peritissimus, qui Biblia sacra vniuersa commentarijs illustrauit, Lutetiæ moritur. Fuit is

patriâ, non Brabantus, vt quidam existimant, sed Normannus, Gallus; vt ex epitaphio mihi constat, in quo sic inter alia legitur:

Lira, breuis vicus, Normanna in gente celebris,
Prima mihi vitæ ianua sorsque fuit.

1241. Anno MCCXLI. Henricus Pius, Silesiæ, Lusatiæ & maioris Poloniæ Princeps, S. Heduuigis filius, Tartaris Hungariam, Poloniam ac Silesiam vastantibus se opponens, exercitu triginta millium instructo, cum iisdem acerrimo prælio apud Lignicium congressus est, fortissimeque pugnans gloriosâ morte occubuit. Cecidêre eodem in prælio Boleslaus Marchio Morauiæ, Henrici amitinus, & Pompo militum Teutonicorum in Prussia Magister, alijque plurimi viri fortes. Nec incruenta fuit Tartaris victoria; qui viribus fracti ad suos redierunt. Henrici cadauer vxor Anna, filia Othocari Bohemiæ Regis, Vratislauiæ ad D. Iacobi condidit. *Mechouius.* Gregorius IX. Pont. Max. moritur Romæ XI. Kal. Septembris. Succedit CAELESTINVS IV. patriâ Mediolanẽsis, ex nobili familia Castilionæa. Quo VIII. Idus Octobris, hoc ipso anno, defuncto, vacauit sedes Romana annum I. & menses VIII. *Onufr.* & *Ciaconius.* Henricus III. Angliæ Rex, Ioannis filius, Vualliam in suam potestatem redigit. Guilielmus Dampetra, maritus Margaritæ, sororis Ioannæ Flandrorum Comitissæ, moritur, Guilielmo, Guidone & Ioanne filijs relictis. *Meyerus.*

1243. Anno MCCXLIII. Cardinales à Frederico II. Imp. capti, cùm, Balduino Imp. Constantinopolitano, qui tunc Parmæ erat, agente, liberi ad comitia sacra essent dimissi, Anagniæ in Hernicis conuenientes, Sinibaldum Fliscum, Genuensem, Obizzonis Lauaniæ Comitis filium, Pontificem renuntiarunt. Qui Anagniæ IV. Kal. Iulij in cathedrali basilica consecratus, INNOCENTII IV. nomen induit. Is pileo rubro Cardinales cohonestauit: quo significare voluit, Cardinalibus etiam sanguinem vitamque, pro Christo & libertate ecclesiastica, promptè effundendam. Idem, vt erat vir longè doctissimus, varia conscripsit; in his & librum, vt vocat apologeticum de Romani Pontificis auctoritate, & Imperatoris iuribus, contra Petrũ Vineam, Frederici II. Cancellarium, Imperatoribus nimiùm tribuentem. *Onufr.* & *Ciacon.* Idem Eduardum Angliæ Regem, Stanislaum Cracouiensem Episcopum & martyrẽ, & Guilielmum Episcopum Bituricensem in Diuos retulit. Floret Hugo, patriâ Barcinonẽsis, primus ex Dominicano ordine Cardinalis ab Innocentio IV. creatus, eximia eruditionis opinione clarus, qui diuinos libros cõmentarijs illustrauit. *Bibliorũ* hic *Concordantias*, vt vocant infinitũ pænè opus, Hercule ! planè audaciâ primus excogitauit, & Conradi Alberstadij, aliorumque quingentorum monachorum ope adiutus, perfecit, incredibili rei litterariæ prouentu. Hugonis diligentiam longo pòst interuallo Hebræi, studio R. Isaaci Nathan, & Græci, operâ Eutalij Rhodij monachi, sedulò imi-

Cardinalibus datur pileus ruber.

imitati, vtriusque linguæ studiosorum conatus non parum iuuerunt. His ipsis temporibus Biblia in capita, quæ hodie habentur, distincta sunt ab eodē Hugone Cardinale, alijsque studiorū eius socijs. Obijt autem Hugo Lugduni an. 1262. *Mart. Polonus & Sixtus Senensis in Biblioth.* S. Heduuigis, Silesiæ & maioris Poloniæ Ducissa, vitâ sanctissimè transactâ, XV. Octobris in Domino obdormit; anno * M. CCLXVI. Diuis adscripta. *Mechouius.* * *Baronio* 1267.

Anno MCCXLIV. Ioanna Constantinopolitana, Flandriæ Comitissa, quæ Gandaui, Brugis, Iperis, Insulis & Valentianis xenodochia excitauit, Franciscanos item ac Dominicanos eadem in vrbe Valentiana collocauit, moritur, nullâ sobole relictâ, & Marquettæ, in cœnobio virginum Cistercienſium à se pariter ædificato, sepelitur. Thomas Sabaudus, eius maritus, amplis donatus muneribus, ad suos in Sabaudiam redijt. MARGARITA Ioannæ sorori successit, & cum Guilielmo, filio ex Dampetra natu maximo, strenuè imperare cœpit. *Meyerus.* Vincentius Bellouacensis in Gallia Episcopus, ordinis Prædicatorum, Philippi Valesij Galliæ Regis beneficentia adiutus, scripsit Specula historiale, naturale & morale, aliaque. Historiam porrò suam rebus hoc anno gestis concludit. Iacobus Vitriacus, primùm Aconensis in Syria, pòst Tusculanus Episcopus & Cardinalis, Romæ moritur, in peruigilio SS. Apostolorum Philippi & Iacobi. Fuerat is iunior vitam religiosam amplexus Ogniaci, quod est Canonicorum regularium S. Augustini monasterium in Brabantia, ad Sabim fl. inter Niuellam & Namurcum opida, præsidem habens tutelarem S. Nicolaum. Falluntur enim Onufrius & Ciaconius, qui monasterium istud *S. Mariæ de Oignies* nominant; rati, vt opinor, beatam Mariam Ogniacensem in Diuorum classem relatam, eiusque memoriæ cœnobium istud esse consecratum. Vitriaci porrò vitam reperies præfixam Historiæ eius Orientali & Occidentali. 1244.

Anno MCCXLV. Raimundo Prouinciæ Comite defuncto, Arelate, Massilia, Aquæ Sextiæ & ceteræ vrbes inter se dissentiebant. S. Ludouicus Galliæ Rex eò misit CAROLVM fratrem, qui Beatricem minimam natu Raimundi filiam in matrimonio habebat: illum Prouinciales Comitem salutarunt, Rexque Comitatus Andegauorum & Cenomanorum ipsi attribuit, simulque ROBERTVM minimū natu fratrem Comitatu Artesiæ donauit. *Massonus.* Concilium LVGDVNENSE I. œcumenicum seu vniuersale XIII. celebratur, atque in eo Fredericus II. Imp. vt hostis Ecclesiæ, ab Innocentio IV. 21. Iunij, imperio priuatur. *Siffridus.* Rodericū Toletanum Archiepiscopum, virum pro Republica aduersus Mauros gestis rebus clarissimum, cuiusque exstant historici de rebus Hispaniæ commentarij, hoc anno obijsse, Ioannes Mariana tradit; alij demum biennio pòst defunctum volunt. 1245.

1246. Anno MCCXLVI. S.Lutgardis virgo, patria Tungrensis, primùm Benedictini ordinis, in Milensi S.Catharinæ monasterio, apud Trudonopolim pòst Cisterciensis instituti, in Aquiria Brabantiæ cœnobio, monialis piè obdormit. Sacra eius ossa virgines Aquirienses piè adseruant: vitam porrò Thomas Cantipratanus Cameracensis Episcopi suffraganeus libris tribus conscripsit, quos mutato stilo Surius edidit. Integri & sani exstant apud me in veteri codice ms. itemque apud monachos Trudonopolitanos. Fallitur autem Molanus, aliique eum secuti, qui ipsam Aquiriæ Abbatissam fuisse existimant: vt ex eius loci monumentis mihi constat.

Martyrol. Rom 10. Iunij.

Frederico II. Imp. excommunicato, HENRICVS Hassiæ & Turingiæ Lantgrauius, S. Elizabethæ leuir, designatur Rex Romanorum, annuente Innocentio Pont.Max. *Siffridus.* DANIEL Russorū Dux à Legato Apostolico Rex coronatur, teste Funccio. Amadeo III. Sabaudiæ Comite è viuis sublato, BONIFACIVS eius filius paternæ ditionis fit heres. *Vignierius.*

1247. Anno MCCXLVII. Henricus Rex Romanorum, apud Vlmam sagitta percussus moritur, & in Isenaco monialium Cisterciensium cœnobio sepelitur. Ita *Siffridus*; additque in ipso defuncto Principes Turingiæ, Caroli Magni Imp. prosapia oriundos, defecisse; atque Henricū Misniæ Marchionem sibi Turingiam & Saxoniæ Palatinatum vsurpasse, ideoque graue bellum inter ipsum & Sophiam Brabantiæ Ducissam excitatū fuisse. Vide quæ suprà an. 1240. diximus. Alij volunt Henricum Regem anno demū sequenti defunctū. Henricus II. Lotharingiæ Brabantiæque Dux Louanij moritur, & Villarij, quod est Cisterciensium monachorum cœnobium, sepelitur. Patri successit filius HENRICVS III. qui primus Ducis Brabantiæ titulum Lotharingico adiunxit: vt ex vetustis diplomatibus, certò mihi constat. Vxor ei fuit Aleidis, Hugonis Burgundiæ Ducis filia.

Henricus III. primus se Brabātiæ Ducem scripsit. cū antea Lotharingiæ Duces nuncuparentur.

Anno MCCXLVIII. GVILIELMVS Hollandiæ & Zelandiæ Comes renuntiatur Rex Romanorum, & Aquisgrani Kalendis Nouembris coronatur. *Siffridus.*

OTHACARVS Rex Bohemiæ creatur. MONDANVS Rex Lituaniæ, Curetibus auxilium ferens, cum suis à cruciferis Teutonicis vincitur & fugatur. *Funccius.* Hispalim, amplissimam Bæticæ vrbam, post decem & sex mensium obsidionē, Ferdinandus Castellæ Rex Mauris adimit. *Mariana.*

Anno MCCXLIX. Ludouicus Rex Galliæ Damiatam in ora Ægypti sitam (quæ veteribus Pelusium) expugnat, vt Siffridus & alij commemorant. At conuersâ belli fortunâ, è tribus Regis fratribus Robertus in acie cecidit, Alfonsus & Carolus, cum Rege Ludouico capti sunt, magnoque libertas constitit. *Mariana.*

Anno

Anno MCCL. Fredericus II. Imp. Idibus Decembris in Apulia moritur, anno ætatis LVII. & Panormi sepelitur. Post quem CONRADVS IV. eius filius, ex Iole Ioannis Regis Hierosolymitani filia, se Regem Germaniæ & Siciliæ nominauit. *Onufr. & Sigon.* Sidon, Cæsarea, Ioppe, Syriæ opida, Gallorum armis Christo restituuntur. *Mariana.* Lilia quattuor insignibus ordinis Cruciferorum Equitum Teutonicorum à S. Ludouico Francorum Rege adiunguntur, teste Funccio. 1250.

Anno MCCLI. Hugo Cardinalis in Teutoniam Legatus missus, Guilielmum Romanorum Regem confirmat, Christianum archiepiscopatu Moguntino priuat, & Gerardum eidem subrogat. *Siffridus.* 1251.

ABEL fratre per fraudē interemto, regno Danorum potitur, pòst à Frisijs occisus, locū fecit fratri CHRISTOPHORO, qui regnauit annis VII.

Sodalitatem *fratrum de pœnitentia* apud Massiliam hoc anno institutam tradit Vignierius in chronico. Margarita Comitissa ius fecit Gandensibus Liuiam fluuiolum à Gandauo ad vsque Rodenburgum ac Dammum fodiendi, vt ex Scaldi in Oceanum eo tractu pateret nauigatio. Guilielmus Dampetra, Margaritæ primogenitus, nuper ab Ægyptiaca redux captiuitate, Trasignijs apud Hannones, in equestri decursione, occiditur. *Meyerus.* Per id tempus grande bellum inter Hollandos Flandrosque exarsit. MARGARITA tum Flandriam, Hannoniamque gubernabat, Balduini Constantinopolitani Imp. filia. Hæc olim patre in Asiaticam expeditionem eunte, fidei Bouchardi Auennensis, viri nobilis, concredita, ex illicito eius concubitu, *Ioannem* & *Balduinum* filios sustulerat. Hinc, vt labefactatâ pudicitiâ, contemtim inter suos habita. Imperante Flandris IOANNA sorore, Guilielmo Dampetra Burgundo armis præclaro, at imparis nobilitatis, elocata fuerat. Præter spem tamen sublatâ sorore, cùm ex ea liberi non superessent, apprehensis tam Flandriæ quàm Hannoniæ gubernaculis, repentinâ fortunæ mutatione inflata, ac pristinæ labis immemor, abiectis Ioanne ac Balduino, ex Bouchardo Auennensi susceptis, vt spurijs, posterioribus ex Dampetra partis filijs vtrumque principatum parabat. Indignum id Auennensibus videbatur, quos, præter alias caussas, Ioannis cum Aleide sorore Guilielmi Imp. connubium erexerat. Ceterùm ante aliquot annos, Guilielmo necdum Imperatore, pactum inter partes fuerat, Ludouico Rege Francorum, & Odone Tusculano Cardinale, Innocentij Papæ Legato, intercedentibus, vt inter Margaritæ liberos, ex Auennensi prognati Hannoniam, ex Dampetra verò Flandriam ab obitu matris obtinerent. Renouatum nihilominus præsenti anno bellum, fraude (vt tradit Meyerus) Ioannis Auennensis, qui imperio leuiri tumidus præcedentia pacta infregerat. Alij in Margaritam caussam conijciunt. Constat sanè Auennensem non tantùm Hanno-niæ, sed Flandriæ etiam inhiasse, dum se matris primogenitum, recepto omnibus gentibus more, opum vniuersarū successorem esse prætendit. *Diuæus.*

O Operæ

Operæ pretium fuerit Massæum, diligentem rerum nostratiū inquisitorem, historiæ Flandrorum atque Hannonum illustrandæ, loquentem audire: *Margarita olim adolescentula nupserat Boscardo Auennensi, subdiacono, & genuit ei Ioannem & Balduinum. Re postea cognitâ, iussus est à summo Pontifice Boscardus dimittere coniugem: quæ præ confusione longo tempore quasi contabuit. Tandem eo, quo soror obijt, anno nupsit Guilielmo de Donna Petra: cui genuit Guilielmum, Guidonem & Ioannem, mirè sibi dilectos, contemtis prioribus. Qui anno 1246. S. Ludouico Regi conquesti sunt. Ille mense Iulio, vnà cum Odone Tusculano, Innocentij PP. Legato, decreuit, vt ipsi post mortem matris haberent Hannoniam, alij Flandriam. Respondit mulier id fieri non posse, cùm illi nothi essent. Obstupuit Rex, totumque negotium Innocentio dereliquit. Qui statim veritatis inquisitores constituit Petrum Episcopum Catalaunensem, & Abbatem S. Sepulcri Cameracensis: qui alium loco suo substituit, Hugonem scilicet Abbatem Latiensem. Re compertâ, apud Remos 19. Nouembris an. 1249. conuenerunt, & iudicauerunt esse legitimos, quia in facie Ecclesiæ solenniter & publicè matrimonium celebratum erat. Quod eorum iudicium confirmauit Innocentius, commisitque Nicolao Episcopo Cameracensi publicationem. Qui anno sequenti feria 2. post Quasi modo, super his litteras edidit. Guilielmus quoque Imp. eidem Ioanni Auennensi Hannoniam dono dedit. Data litterarum eius ita habet: Datum in castro ante Francfort, VI. Idus Iulij, Indictione X. anno Domini 1252. regni verò nostri quarto.*

Eadem refert Massæus lib. 3. Annal. Galliæ.

1252. Anno MCCLII. Guilielmus Imp. euocatum in Germaniam Ioannem Auennensem, Comitatibus Namurcēsi & Alostano, Vuasiensi item dominio, alijsque inuestiuit, quæ olim Flandriæ Comites beneficio Imperij possidebant. Actum id Francofurti, VI. Idus Iulij, prætextâ caussâ, quòd Margarita Flandriæ Comitissa clientelam Guilielmo professa non esset. Auctor est Meyerus, imperialis sententiæ testes exstitisse, Cononem Coloniensem Archiepiscopum, Hugonem Spirensem, Henricum Leodicensem, Adam Brunsuicensem Episcopos, Henricum Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ. Henricus etiam Leodicensis, cuius summum erat imperium in Hannoniam, exutâ Margaritâ, Auennensem in eius possessionem misit. Et commodè Hannonū odia in Præfectos Margaritæ his temporibus fors obtulit. Obtruncatis enim ex Præfectorum numero LXXX. reliquisque fugatis, Auennensi se permisêre æqua tam plebis, quàm nobilitatis defectione. *Diuæus.* Ius cudendæ monetę in vrbe Salinarum, Hugoni Burgundiæ Comiti, à Guilielmo Imp. conceditur; teste Vignierio. S. Petrus Veronensis, martyr, ex ordine Prædicatorum, hæreticæ prauitatis Inquisitor apud Insubres, Como Mediolanum rediens, ab impio sicario percussus, in cælum migrat. Vitam eius scripsit Thomas Lentinus, Patriarcha Hierosolymitanus. Ferdinandus Castellæ Rex, qui Legionense regnum Castellano adiunxit, Cordubam, Hispalim aliaque opida plurima Mauris eripuit, Hispali moritur & sepelitur; relicto herede & successore ALFONSO X. filio. *Mariana.*

Anno

Fredericum II. Imp. hoc anno defunctum tradit Siffridus. Ordo *Seruorum* B. MARIAE per hæc tempora à septem ciuibus Florentinis in agro Florentino incohatur. Quorum quidem primus Magister fuit B. Bonauitus Florentinus. *Onufrius in chron.* Ordo Seruorum B. Mariæ.

Anno MCCLIII. S. Clara, nobilis virgo, Assisij nata, S. Franciscum ciuem suum imitata, vt ipse monachorum, sic ipsa sacrarum virginum, CLARISSARVM inde dictarum, ordinem instituit: obijtque hoc anno, pòst ab Alexandro IV. PP. in cælites relata. Innocentius IV. beatum Petrum Veronensem, martyrem, ordinis Prædicatorum in Diuos hoc anno retulit. Idem S. Stanislaum Gracouiensem in Polonia Episcopum pari honore adfecit. 1253. Item Clarissarum.

Anno MCCLIV. Conradus, Frederici II. Imp. filius, exemplo patris, Romanorum Pontificum hostis, veneno tollitur, Manfredi spurij fratris insidijs, XXII. Maij, relicto CONRADINO impubere filio. *Onufrius.* 1254.

Innocentio IV. Papa defuncto, ALEXANDER IV. subrogatur. Margarita Flandriæ Comitissa, indignè ferens Ioannem Auennensem, operâ Guilielmi Imp. ab Hannonibus receptum, Francos in auxilium aduocauit. Itaque Ludouicus Rex precibus eius permotus, hoc anno per Carolum Valesium fratrem, Hannoniæ arma intulit. Sequebatur Valesium haud modica nobilium Francorum multitudo, ac inter ceteros Burgundus, Lotharingus Duces, Comites Sabaudus, Alenzonius, Borbonius, Stãpensis, & Antisiodorensis. Capta ab his paruo negotio Valentianę, Montes, Sonegiæ, Bellus-Mons, Athum. Sola Angia à Gualtero eius opidi Principe fortiter defensa, reserari non potuit, desideratis ex Francorũ numero in oppugnatione Grandis-prati & Chiniaci Comitibus. Dum hæc obsideretur, Guilielmus Imp. magnis Hollandorum copijs Brabantiâ peragratâ, prope Ascam tertio ferè à Bruxella milliari castra locauit, Valesiumque ad manus conserendas prouocauit. At ille contendere non ausus, leuatâ Angiæ obsidione, cum omnibus suis Hannonia excessit. Imperator verò Angiæ omni cultu exceptus, illinc Valentianas adijt. Qua vrbe cum reliquis ad obsequium Auennensis reductâ, in Hollandiam remeauit, Frisonum nuntiatâ rebellione reuocatus. *Diuæus.*

Anno MCCLV. Guilielmus Imp. ad refrĕnãdos Frisones profectus, tumultuario ab ijs prælio vincitur, ac cæditur. Cuius interitu nũtiato, *Ioannes Auennẽsis* mœrore cõsumtus est, relicto *Ioanne* filio. *Balduinum* verò supplicẽ mater in gratiam recepit. Porrò Guilielmo Imperatori in Comitatu Hollandiæ FLORENTIVS filius succesit, sub tutela Florentij patrui. Henricus autem Brabantiæ Dux, conciliandæ inter Flandros ac Hollandos concordiæ sedulus, effecit vt Bruxellam conueniendi dies præscriberetur. *Diuæus.* 1255.

THEODORVS iunior DVCAS Græcorum in Oriente fit Imperator.

 Onufr.

Onufr. Genuenses, Pisanis iuncti, armatâ classe Venetias obsidêt, illorumque naues ac litora deprædantur. Ordo sodalium eremitarum *S. Augustini*, multis eremitarum congregationibus adiunctis amplificatur, habituque nigro donatus, ab Alexandro IV. confirmatur, diplomate VIII. Kal. Martij dato. *Onufr.* & *Sigon.* Mons regius, vrbs Prussiæ, exstruitur. Mondauus Lituaniæ Rex cum vxore & suis baptizatur, atque ab Andrea Liuonici ordinis Magistro coronatur. S. Clara, ante biennium defuncta, sanctarum virginum catalogo ab Alexandro IV. adgregatur.

1256. Anno MCCLVI. Bruxellis inter Flandros & Hollandos pax coit.

BONIFACIVS Sabaudiç Comes, Taurini in carcere moritur, vxore nondum ductâ. Constantia Bonifacij sorore præteritâ, PETRVS eius patruus, ex communi fratrum (qui iuxta leges Voconiam & Salicam ab isto principatu feminas tamquam incapaces arcebant) decreto, imperium adijt. Vide Lamberti Vanderburchij historiam Sabaudorum Principum.

Vincentium Bellouacensem, historicum celebrem, hoc anno obijsse tradit Massæus. Gerardus Lemouicensis, prouincialis Præfectus Prouinciæ in Gallia, iussu Humberti V. Præfecti generalis, & ex decreto comitiorum generalium hoc anno celebratorum, scripsit librum De origine & viris illustribus ordinis Prædicatorum: exstatque ms. Bruxellis in Rubra Valle, Duaci & alibi. Quem librū miror hactenus à Dominicanis non esse typis euulgatū.

1257. Anno MCCLVII. Beata Iuliana Corneliensis, virginibus instituti Cisterciensis in Cornelio monte ad muros vrbis Leodicensis præfuit; quo loco nunc est hospitale, vt vocant, leprosorum. Hæc virgo sanctissima, diuinâ reuelatione monituque compulsa, institutionem festi venerabilis Sacramenti, ad orthodoxæ religionis augmentum, in primis promouit; re omni cum *Iacobo Trecensi*, Canonico & Archidiacono Leodicensi, (qui pòst Vrbanus, eo nomine quartus, Romanus Pontifex fuit) itemque cum *Guidone* Cameracensi Episcopo, & alijs viris integerrimis communicatâ. Huius etiam Iulianæ hortatu, *Ioannes* ordinis Cisterciensis monachus, in Cornelio monte Deo seruiens, de venerabili Sacramēto officium Ecclesiasticum propriū, cuius hoc est exordium, *Animarum cibus*, concinnauit; quod à suprà nominatis, alijsque magnis viris adprobatum Leodici, Tungris & alibi in vsu fuit, priusquam ab Vrbano IV. officium, à beato Thoma Aquinate compositum, esset publicatum. Porrò Vrbanus iam Pontifex creatus, festum à se Leodici olim celebratum, per vniuersum orbem, quotannis cum solenni supplicatione,
An. 1264 coli seruarique præcepit. Historiam reuelationis B. Iulianæ diuinitùs factæ, & institutionis festi huius, scripsit Ioannes Blærus Distemius, Prior cœnobij S. Iacobi Leodicensis; quæ exstat in Speculo magno exemplorum, nuper Duaci edito. Eamdem Gulielmus Fanius, Canonicus S. Martini Leodicensis, fusiùs conscripsit, breui, vt spero, typis ab ipso euulgandam. De eadem

Mola.

Molanum in Natalibus SS. Belgij consule. Ceterùm Iuliana pro Christo peregrina Fossis, quod opidum est prouinciæ Leodicensis, an. 1257. in Domino obdormiuit; inde tertio post obitum die, ad Villariense Cistertiensium in Brabantia cœnobium translata, & sacra inter corpora honorificè condita. Vita eius libris duobus comprehensa exstat in Rubræ Vallis cœnobio apud Bruxellam, itemque Leodici & alibi. S. Hyacinthus Polonus, ord. Prædicatorum, Cracouiæ in Domino obdormit, à Clemente VIII. in Diuos an. 1594. relatus. Vitam eius scripsêre Stanislaus, & Seuerinus Cracouienses, eiusdem ordinis sodales.

Anno MCCLVIII. RICHARDVS Cornubiæ Comes, Henrici Angliæ Regis frater, à quibusdam Germaniæ proceribus, ab alijs ALFONSVS Rex Castellæ & Legionis, creatur Rex Romanorum. *Onufrius.* 1258.

Apud Græcos IOANNES IV. *Ducas* imperat annũ vnũ: post quem MICHAEL *Palæologus* Græcorũ Imperator hoc anno Kalendis Octobris creatur, & die natali Domini coronatur. Ioannes verò IV. Ducas anno sequẽti coactus imperio se abdicauit. *Idem.* Hugo puer à Iudæis in Britannia crucifigitur: ob quod scelus multi Iudæorum interfecti.

Anno MCCLIX. Gerardus toparcha Grimbergensis, ex familia Bertoldorum postremus, moritur: cui soror *Maria*, Philippo Vianensi Comiti nupta, successit. *Diuæus.* Albertus Magnus, nobili Bolstatensium familia apud Sueuos natus, instituti Dominicani sodalis, creatur Episcopus Ratisbonensis. Balduinus Constantinopolitanus Imp. & Iustinianus Patriarcha, aliique Latini, Michaëlis Palæologi armis ex vrbe Constantinopolitana pulsi, in Occidentem fugiunt. *Mart. Polonus* & *Onufr.* Lambertus Vuaterlosius, Canonicus regularis cœnobij S. Auberti, in vrbe Cameracensi, scripsit historiam Episcoporum eius vrbis, à temporibus Odonis Episcopi ad hunc vsque annum, quo & floruit. 1259.

Anno MCCLX. OTHOMANVS I. Rex Turcarũ patre Ertugule nascitur. Sic Leonclauius in Pandectis Turcicis: quẽ deinceps sequemur in rebus Turcicis. Sophia Henrici II. Brabantiæ Ducis vidua, & S. Elizabethæ filia, magno exercitu cincta, cum filio suo Henrico Hassiæ Lantgrauio, annos XII. nato, Turingiam ab Henrico Misniæ Marchione occupatam intrat. *Siffridus.* Henricus III. Brabantiæ Dux Louanij moritur, & apud sodales Dominicanos, quibus aulam suam in Diliæ fluminis insula, medio ferè vrbis loco sitam, excitando monasterio, an. 1256. cesserat, hoc anno sepelitur. Eodẽ pòst tumulo condita est vxor eius *Aleidis*, quæ, vt erat tota Deo dedita, ad S. Thomam Aquinatem, Parisijs agentem, scriptitauit, & cõsilia vitę dirigẽdæ ab eodẽ petijt atque accepit. Henrico patri in Ducatu HENRICVS IV. successit, Aleide matre, filij impuberis nomine, Rempublicam admini- 1260.

ſtrante. *Diuæus.* *Ericus* VIII. Rex Daniæ annis XXVII. imperat.

1261. Anno MCCLXI. Vuernerus Moguntinus, N. Treuirenſis, N. Magdeburgenſis, & N. Bremenſis Archiepiſcopi, ab Alexandro IV. Papa, Romæ conſecrantur. *Siffridus.* Alexandro IV. Papæ, VIII. Kal. Iunij defuncto, ſuccedit VRBANVS IV. Trecenſis, Gallus.

1263. Anno MCCLXIII. Vrbanus IV. Papa regnum Siciliæ, quod Manfredus Frederici Imp. naturalis filius, violenter detinebat, Carolo Prouinciæ Comiti, S. Ludouici Galliæ Regis fratri, confert; vt illud ipſum Manfredo armis eripiat. *Mart. Polonus.*

1264. Anno MCCLXIV. Feſtũ diem ſacratiſsimi CORPORIS CHRISTI, quintâ feriâ poſt octauam Pentecoſtes quotannis celebrandum Vrbanus IV. Papa hoc anno inſtituit. Præter Platinam, Onufrium & Ciaconium, conſule & Molanum in Natalibus Sanctorũ Belgij. Vide item quæ ſuprà ad an. 1257. de B. Iuliana Cornelienſi diximus. *Azo* Marchio Eſtenſis ſiue Ateſtinus, Azonis ſenioris, an. 1212. Veronæ defuncti filius, Ferrariæ moritur, relicto herede *Obizone*, nepote ſuo. De Eſtenſis familiæ viris illuſtribus ac laudibus multa leguntur in anonymi monachi Paduani chronico, quod ab an. 1207. vſque ad an. 1270. concinnatum exſtat in tomis hiſtoricorum Germaniæ.

1265. Anno MCCLV. Dantes Aligerius Poëta Florentiæ naſcitur. Vrbano IV. Papæ, anno ſuperiore VI. Non. Octobris mortuo, CLEMENS IV. Narbonenſis, Gallus, Nonis Februarij, ſufficitur.

1266. Carolus, Prouinciæ Comes, S. Ludouici Galliæ Regis frater, ab Vrbano IV. primùm, pòſt à Clemente IV. in Italiam euocatus, in die Epiphaniæ, iuſſu Clementis Papæ, per duos Cardinales legatos Romæ, Rex Siciliæ & Apuliæ appellatus, Manfredum, Frederici II. Imp. filium, pridie Kal. Martias, prælio ad Beneuentum commiſſo, interemit, & regnum vtrumque occupauit. Mandatum eſt autem, vt quadraginta mille aureos nouus Rex penderet quotannis Romanę Eccleſiæ, atque ab imperij nomine abſtineret. Ricordanum in Florentina hiſtoria, huius temporis ſcriptorem conſule. Soldanus Babylonius, Ægypti Rex, Hieroſolymã, Bethleem, Nazareth, aliaque Syriæ opida Chriſtianis eripit. *Siffridus.*

1267. Anno MCCLXVII. S. Heduuigis Poloniæ & Sileſiæ Duciſſa à Clemente Pont. Max. catalogo Diuorum adſcribitur. *Siffridus.* Henricus, Henrici III. Brabantiæ Ducis filius natu maximus, cùm eſſet ad imperium ineptus, agente matre Aleide, IX. Kal. Iunias, Cameraci ceſſit Ducatum IOAN-

NI fratri secundò genito, præsente Richardo Cornubiæ Comite, qui Imperatoris Romani titulum eo tempore gerebat. Henricus porrò Diuionem in Burgundiam secedens, monasticenque professus, in Canonicorum regularium cœnobio vitam finijt. *Diuæus.*

Anno MCCLXVIII. Conradinus, Frederici II. Imp. ex Conrado filio nepos, cùm Carolo Siciliæ Rege congressus vincitur, captusque, vna cùm Frederico Austrio, Neapoli publicè securi percutitur. *Siffridus.* Clemente IIII. Papa III. Kal. Decembris defuncto, vacauit sedes Romana annos duos & menses nouem. Petrus Sabaudiæ Comes naturæ cócedit, postquam fratrem suum *Philippum* Româ euocasset, & principatus Allobrogici heredem instituisset. Cui quidem, Antonini Pij Imperatoris (qui moriturus Fortunã auream in Principis cubiculo poni asseruarique solitam, ad M. Antonium Philosophum successorem, tamquã futuri imperij insigne, transferri iussit) exemplo, *Diui Mauritij* annulum, quo à monasterij illius in Veragris siti, cùm populum illum Sallassiosque fratris sui imperio subijceret, Abbate fuerat donatus, hactenus apud se adseruatum, futuri imperij tesseram, symbolumque tradi imperauit. Idque eâ lege, vt sacrum istum annulum ipse gestaret, & successori suo gestandum, quamdiu viueret, relinqueret: qui, & quotquot post eum in Sabaudia essent imperaturi, eádem illâ conditione vterentur, sic vt futuris deinceps Allobrogum Principibus inuestituræ (ita cum vulgo mihi loqui liceat) in posterum seruiret loco. Sic & olim Magnus Alexander, cùm sub vitæ exitum interrogatus, cui regnum relinqueret, ei, qui optimus esset, respondisset, circumferens oculos ex assidentiū amicorum turba, Perdiccam delegit, eique detractum digito annulum, tamquã optimo, & qui sibi succederet dignissimo, tradidit. *Vanderburchius.* 1268.

Lipſ. lib 2. Exempl. polit. cap. 14.

S. Mauritij annulus est imperij tessera, apud Sabaudos.

Anno MCCLXIX. Quæstorum seu Thesaurariorum collegium Guilielmus Saana, Rotomagensis ecclesiæ Thesaurarius, Lutetiæ excitat. 1269.

Anno MCCLXX. Bela Rex Hungariæ moritur, & succedit STEPHANVS; teste *Siffrido.* Guilielmus Durantus, Episcopus Mimatensis, à Speculo Iuris, quod scripsit, Speculator dictus, auctor Rationalis diuinorum officiorum, floret. Afflictis Syriæ rebus opem laturus S. LVDOVICVS Galliæ Rex, cum tribus filijs Ioanne, Philippo & Petro, itemque genero Theobaldo Vasconum & Nauarrorum Rege, Kalendis Martij soluit Massilia: primumque in Sardiniam, deinde in Africam cursu directo, Tunetum ibi menses aliquot obsessum, ac demum expugnatum. Dumque fratrem Carolum Siciliæ Regem, cum magnis copijs aduentantem, Ludouicus exspectat, pestis in castris exorta, primò Ioannem Ludouici filium, deinde Romani Pontificis Legatum, postremò Regem ipsum VIII. Kal. Septembris, profluuio sustulit. Cum ignominia nostris ex Africa discedendum fuisset, 1270.

S. Ludouicus Rex Galliæ.

isset, nisi Carolus Siciliæ Rex superuentu suo eos confirmasset. Cum barbaris itaque ea lege conuentum, vt quadraginta aureorum millia ipsi Carolo & posteris quotannis penderent: quanto tributo Siculus Romanæ Ecclesiæ erat obnoxius. Drepani in extrema Sicilia, quò se nostri ex Africa contulerant, & Theobaldus Rex quinto Decembris die obijt. Ea necessitas belli sacri omittendi fuit. Ceterùm Ludouicus Rex mortem præsentiens, manu sua scripsit PHILIPPO filio & successori formulam bene beateque viuendi, qualem excellentes Theologi ac Philosophi vix dictare potuissent. Exstat ea apud Ioannem historicum & Nangiacum: quæ vtinam ab ijs qui hodie imperant, quotidie legeretur. Rempublicam sanè & quietiorem & florentiorem haberemus. Ex omnibus scientiarum professoribus Theologos magno Ludouicus in pretio habuit, atque in his plurimùm coluit *Robertum*, cognomento *Sorbonem*, à quo Sorbonici Theologi nomen accepêre. Collegium enim, teste Nangiaco, Lutetiæ primus instituit, vnde perpetuâ successione excellentes Theologi prodiêre. Nangiacus porrò in vita Ludouici narrat, cùm prædecessores Reges in tangendis strumosis signo crucis vsi non essent, illum primò vti cœpisse. Strumæ autem, Græcis cherades, sunt glandulæ induratæ. Hanc vim Regibus Galliæ à Deo datam, vt tactu strumas curent, longo vsu compertum est; ad eosque ex vltimis Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ, Belgijque finibus strumosi hodieque adcurrunt. S. Marculfi Abbatis precibus ac meritis tantùm eos posse constans est opinio. Itaq; ad eius templum, in agro Laudunensi situm, Reges quàm primùm vncti sunt, proficisci solent. Vixit autem S. Marculfus apud Baiocasses, in Normannia, Clotarij II. & Sigeberti tẽporibus; vt ex eius vita Gallicè edita mihi constat. *Massonus* & *Mariana*. Sic tradunt Reges Angliæ olim annulos quosdam benedixisse, vtiles neruorum contractioni & spasmo, ac morbo comitiali; eosdem quoque contactu strumosos curare solitos. Quòd vtrumque ipsis à Deo concessum, S. Eduardi Regis Angliæ meritis, scribit Polydorus Vergilius, hist. Anglicanæ libro VIII. De his plura qui volet, Martinum Delrium, Disquisitionum magicarum lib. 1. cap. 3. quæst. 4. legat. Redeo ad S. Ludouicum; cuius quidem res gestas litteris mandauit Ioannes Ionuille dominus, omnium laborum ac periculorum eius, annos duos & viginti, socius. Ceterùm Margarita, S. Ludouici Regis vidua, & Raimundi Prouinciæ Comitis filia, totam se Deo consecrauit, & suburbanum Lutetiæ cœnobium virginum Franciscanarum excitauit; mariti sui exemplo, qui Vallis Scholarium, Trinitariorum seu Maturinorum, Guilielmitarum & Carmelitarum Parisijs monasteria ædificanda curarat. *Genebrardus*.

Sorbonici collegij institutio. an. 1253. iuxta Tilletium.

Strumas sanãt Reges Galliæ.

Idem Regibus Angliæ tradũt olim concessũ.

1271. *Galliæ Reges vnguntur.*

Anno MCCLXXI. PHILIPPVS III. Galliæ Rex, patre S. Ludouico in Africa defuncto, inde domũ reuersus, regiũ insigne Remis sumsit, mense Augusto. Id solenne iam inde à temporibus Clodouei I. Christiani, quem S. Remigius Remorum Episcopus baptizatum sacerdotali vnguento linijt. Grego-

Gregorius Turonensis eum sacro chrismate delibutum refert. Hunc morem Galliæ Reges religiosè hodieque seruant, vt vocati ad regnum sacro vnguento Remis inungantur. STEPHANVS V. Hungariæ Rex XIX. Belæ IIII. filius, annos ferè duos præfuit. Vicit Othacarum Bohemiæ Regem, Budam cepit, & Bulgaros imperata facere coëgit. *Funccius.*

GREGORIVS X. patriâ Placentinus, olim Archidiaconus Leodicensis, Kalendis Septembris creatur Pontifex Max. & anno sequenti, VI. Aprilis coronatur. Bellum inter Rudolfum Comitem Habspurgensem & Episcopum Basileensem his temporibus magnis animis gestum est; teste Nicolao Vignierio in Burgundionum chronico.

Anno MCCLXXII. Stephanus Hungariæ Rex, post plurima prælia cum Odoacro Bohemiæ Rege habita, moritur. Succeslit LADISLAVS IIII. filius. *Siffridus.* Philippus Vianæ Comes, vxorio iure dominus Grimbergæ in Brabantia, moritur, filium *Godefridum* successorem relinquens. Hugone IIII. Burgundiæ Duce mortuo, filius eius ROBERTVS III. Ducatum obtinet. 1272.

Anno MCCLXXIII. Rudolfus Comes Habspurgensis, 29. die Septembris, eligitur Romanorum Imperator. *Siffridus.* 1273.

Anno MCCLXXIIII. Concilium LVGDVNENSE II. generale XIV. celebratur: præsente Gregorio X. Papa. Adfuêre Græcorum & Tartarorum legati. Græci confessi sunt Spiritum sanctũ à Patre Filioque procedere, symbolum solenniter in concilio decantantes. Nuncij verò Tartarorum baptizati domum redierunt: teste Martino Polono. Tradit Vincentius Bellouacensis, an. 1245. à Gregorio Pontifice, Ascelinum, cùm alijs tribus sodalibus, ex D. Dominici ordine, ad Tartaros amandatis, Euangelij prædicandi caussa. Sunt autem Tartari ex ea Scythiæ parte profecti, vt quidam volunt, vbi olim Tractaros Plinius collocauit. S. Thomas Aquinas, Landulfo Comite Aquinate in regno Neapolitano natus, & à primis annis Dominicanæ familiæ instituta amplexus, Scholasticorum, vt vocant, Theologorum, princeps & Doctor cognomento Angelicus, à Gregorio X. ad conciliũ Lugdunense euocatus, in itinere in morbum incidit, atque in monasterio Fossæ nouæ, Cistertiensis ordinis, pijssimè moritur, quinquagenarius. Ioannes XXII. ipsum anno 1323. Sanctorum numeris adscripsit. Quiescitque Tolosæ in Gallia apud Dominicanos, eò translatus Vrbano IIII. Pont. Max. S. Bonauentura, in Balneo regio natus, ex VII. ordinis Minorum Præfecto generali, Cardinalis Albanensis creatus, concilio Lugdunensi œcumenico præsidens, ibidem in Domino obdormit, anno ætatis LIII. in Diuos à Sixto IV. anno 1482. relatus. Poloni, quarto à Cracouia milliari, duros salis lapides effodere cœperunt, præcipuas regni 1274.

Tartari fiunt Christiani.

opes; teste Munstero in Cosmographia. Eduardus Anglorum Rex annos XXXIIII. imperat.

1275. Anno MCCLXXV. S. Raimundus Pennafortius, ex ordine Dominicano, Barcinone in Domino piè obdormit: à Clemente VIII. in Diuos relatus: vitam eius & miracula scripsêre Bandellus, & Michael Lotius, eiusdem ordinis sodales.

1276. Anno MCCLXXVI. Gregorio X. Papa IIII. Idus Ianuarij mortuo, INNOCENTIVS V. Burgundus, primus ex ordine Prædicatorum, Petrus Tarantasius antea dictus, XII. Kal. Febr. sufficitur. Cui post menses quinque defuncto HADRIANVS V. Genuensis, Othobonus Fliscus, IIII. Idus Iulij successit. Hadriani, hoc eodem anno XV. Kal. Septembris ad aliã vitã pariter euocati, locum IOANNES XX. dictus XXI. patria Olisiponensis, Lusitanus, Idibus Septembris excepit. Fuit magno vir ingenio, studijs litterarum doctrinęq; deditus, vt libri editi indicio sunt, *Petri Hispani* titulo, quod illi nomen in priuata fortuna fuit. Exstat de re medica liber eius, qui *Thesaurus pauperum* nuncupatur. Rudolfus Imp. ingenti exercitu coacto, Austriam, Stiriam, Carinthiam, aliaque loca ab Odoacro Bohemiæ Rege nullo iure occupata, aggreditur, & sibi subijcit. *Siffridus.*

Petrus Hispanus fit Papa Ioannes XXI.

1277. Anno MCCLXXVII. Turris Argentinensis, seu Strasburgensis ædificari cœptà: quæ vt Germaniæ ornamentum est singulare, sic & inter rariora mundi miracula vulgò numerari solet. Est autem perfecta XXVIII. annorum spatio. *Vuimpfelingus* & *Bruschius*. Ioanni XXI. Papæ defuncto NICOLAVS III. Ioannes Caietanus Vrsinus, Romanus, succenturiatur. Guilielmus Comes Iuliacensis Aquis-Grani interficitur.

1278. Anno MCCLXXVIII. Rudolfus Imp. in Marchfeldensi Austriæ agro, vincit & cædit Odoacrum Regem Bohemiæ, Austriamque sibi subijcit. Odoacro occiso successit in regno filius eius *Vuenceslaus* II. Huic Rudolfus Imp. filiam suam Gutham siue Iuttam tradidit vxorem: alteram verò filiam Carolo, Caroli Regis Siciliæ filio, tertiam Duci Bauariæ, quartam Duci Saxoniæ dedit. Sororem verò Vuenceslai Regis iunxit Rudolfo filio suo iuniori, quem & Austriæ Ducem constituit. Is Pragæ obijt, ibidem in cathedrali basilica sepultus, relicto filio Ioanne, qui apud auunculum suum Vuenceslaum Bohemiæ Regem mansit. Albertus autem Rudolfi Imp. filius senior, fratri suo Ioanni in Ducatu Austriæ succesit, & ex coniuge Mathilde, Ducis Carinthiæ Comitisque Tirolensis sorore, multos vtriusque sexus liberos sustulit. Primogenitus eius Rudolfus duxit filiam Regis Franciæ, quæ primo in puerperio moriens Viennæ Austriæ sepulta est. *Siffridus.*

Albertus Rudolfi Imp. F. fit Dux Austriæ.

1279. Anno MCCLXXIX. Accursius Florentinus, Iuris interpres siue glossator,

tor, vt vocant, anno ætatis LXXVIII. moritur, Bononiæ apud Franciscanos conditus. *Platerr.* Godefridus, Ioannis I. Brabantiæ Ducis frater, Arschoti, Sichem, Birbecæ, & Rodæ in Brabantia dominus, vxorem ducit filiam vnicam Comitis Virsoniensis. Est autem Virsonium in Biturigum finibus opidum quod quidam I. Cæsaris Auaricum esse contendunt. Ex hac filium vnum Ioannem, ac filias duas sustulit, socero que postea in Comitatu Virsonien succesit. *Diuæus.*

Ann. MCCLXXX. Albertus Magnus, ordinis Dominicani doctor celeberrimus, S. Thomæ Aquinatis præceptor, & Episcopus Ratisbonensis, (qua dignitatem an. 1266. sponte deseruerat) annos natus LXXXVII. Coloniæ Agrippinæ moritur & sepelitur. *Trith.* & *Massæus.* LESCO NIGER Poloniæ Rex annis decem fuit. 1280.

Anno MCCLXXXI. Nicolao III. Papæ anno superiore defuncto, *Martinus* II. dictus IV. Turonensis subrogatur. Siculi, Gallorũ præsidiariorũ insolentiam, luxum fastumque pertæsi, conspiratione factâ, vno tempore, ac pænè horâ, cùm ære Campano ad vespertinas preces in festo paschæ signum daretur, Gallos omnes per vniuersam insulã trucidant, nullo ætatis, sexus, vel ordinis discrimine habito. Hinc *Vespera Siculæ* in prouerbium abiêre. *Tilius.* Alij hæc ad annum sequentem referunt. Hac cæde patratâ, Siculi ad PETRVM Aragoniæ Regem (cui Constantia, Manfredi à Carolo vita & regno spoliati, filia nupserat) deficiunt. Is nuncius Romam ad CAROLVM Siciliæ Regem delatus, vehementer eius animum turbauit, moxque Carolum filium in Galliam ad nepotem suum Philippum Regem misit, subsidiũ ab eo postulatum. At Carolus, neque suis, neque alienis viribus, Siciliam recuperare vnquam potuit. 1281. Vespera Siculæ.

AnnoMCCLXXXII. Inter Dionysium Lusitaniæ Regem & Isabellam, Aragoniæ Regis filiam, nuptiæ celebrantur, mense Augusto. Hæc est illa Isabella, quæ virtutum merito, atque ob insignem pietatem, in cælitum numero locum habet, & cuius memoria anniuersarijs sacris in Lusitania celebratur. *Mariana.* 1282. *S. Isabella Portugalliæ Regina*

Anno MCCLXXXIII. Andronicus Palæologus creatur Orientis Imperator. Othacaro in regno Bohemiæ sufficitur *Vuenceslaus*; teste Ænea Siluio. Hoc ferè tempore Eldad Danius, Hebræus, librum de Iudæis in Æthiopia clausis scripsit, teste Genebrardo in Chronologia. 1283.

Anno MCCLXXXIIII. HENRICVS Dux Lemburgensis (Vualerami Ducis filius, an nepos, incertum,) sine liberis hoc anno moritur. De Duca- 1284.

tu Lemburgensi mox orta contentio inter Ioannem Brabantiæ Ducem, & Rainaldum Geldriæ Comitem. Biennio antè Adolfum Comitem Montanum ius omne suum Ioanni vendidisse ac cessisse Dinterus testatur. Rainaldus autem contendebat sibi deberi Lemburgensis prouinciæ dominium, aut saltem vsum-fructum, toto vitæ suæ decursu (vt refert Dinterus;) quòd Ermengardem, Vualerami Ducis filiam, aliquando vxorem habuisset. Porrò Geldrus, fauore incolarum, Lemburgo ipso, atque vniuersi penè Ducatus arcibus potitus, cùm à Brabantino sibi bellum parari sciret, fœdere sibi iunxit *Sifridum* Archiepiscopum Coloniensem, eiusque fratrem *Henricum* Vueserburgensem, *Henricum* Comitem Luceburgensem cum *Vualramo* fratre, *Vualramum* Comitem Falcoburgensem, & alios proceres plurimos. Brabantinus nihilominus, copioso delectu suis imperato, Mosam traiecit, vastatoque agro Lemburgensi, *Limalam* arcem munitissimam expugnauit ac diruit. *Diuæus.*

1285. Anno MCCLXXXV. Carolus Rex Neapolitanus, Fogiæ, quod est Apuliæ opidū, moritur sexto die Ianuarij. Filius eius CAROLVS CLAVDVS à Petro Aragoniæ Rege captus, in custodia detinebatur. Roberto itaq. Artesiæ Comiti cura regni in Italia reliqui à Martino Papa, & Philippo Galliæ Rege commissa est, tantisper dum Carolus Claudus vinculis eriperetur. *Tilius.* Martino IV. Papæ mortuo HONORIVS IV. Iacobus Sabellus, Romanus, sufficitur. Is Carmelitis chlamydem seu pallium album hoc eodem anno gestandum dedit, cùm antea chlamydes virgulatas seu versicolores gestare soliti essent; Platina & Trithemio testibus. Idem Seruorum ordinem confirmauit. Expeditione aduersus Aragoniæ Regem institutá, (cui Ioannem Brabantiæ Ducem, eiusque fratrem Godefridum, Arschoti dominum, interfuisse scribit Diuæus) Philippus Francorum Rex, Perpiniani pridie Nonas Octobris supremum diem obit. Res eius gestas Nangiacus & Villaneus eximiè celebrarūt. Successit PHILIPPVS PVLCHER, filius eius natu maximus, anno sequenti die Epiphaniæ in Regem vnctus. Biennio antè duxerat vxorem *Ioannam*, Henrici Nauarræ Regis, Campaniæque Comitis heredem. Hæc est illa Ioanna, cui regium Nauarrorum Lutetiæ gymnasium originem suam; & litteræ, quia professores earum coluit, immortalem gloriam debent. Genuenses & Lucenses à Rudolfo Imp. donantur libertate. *Blondus.* Philippo Sabaudiæ Comite absque liberis defuncto; eius principatus habenas suscipit *Amadeus* IV. cognomento *Magnus*, illius ex fratre Thoma nepos.

1286. Anno MCCLXXXVI. Hoc ferè tempore regnum Italiæ seu Longobardiæ defecit: quòd quidem à Longobardis institutum, Franci per Carolum Magnum Imp. exceperant, ac demum ad Germanos translatum, Itali assiduis, à Gregorij VII. Pont. & Henrici III. Imperatoris æuo, armorum conten-

mentionibus fatigarant. Defecit inquam regnum Italiæ, Bononiensibus, Florentinis, Genuensibus, & Lucensibus, à Rudolfo Imp. libertatem redimentibus. Blondus, Platina, Sabellicus, eosque secuti Tritthemius & Crantzius, tradunt Lucenses duodecim millia aureorum, Florentinos verò sex millia Rudolfo numerasse. *Nec displicuit*, inquit Platina, *hæc venditio Honorio Papæ, licèt indigna tanto Principe videretur, quòd ea ratione ecclesiastica ditio futura securior videbatur, cùm non ampliùs Imperatorē videret liberas ciuitates vexare.* Triennio verò pòst Obizo Marchio Atestinus Mutinam & Regium sibi, Rudolfo itidem permittente, subiecit. De his omnibus lege Caroli Sigonij historiam De regno Italiæ; quæ hic desinit.

Anno MCCLXXXVII. Vuernerus adolescens Vesaliæ, quod opidum est diœcesis Coloniensis ad Rhenum fl. in die Parasceues, à Iudæis crudeliter occiditur; estque in opidò Bacheracensi sepultus, cuius sanctitatem miracula ibidem contestantur. *Siffridus.* Abbatū Cluniacensiū chronicon, à Gerardo Aruerno conscriptum, quo se vsum fatetur Vignierius in chronico Burgundionum, desinit. ERICVS IX. Daniæ Rex annis triginta quinque regnauit. 1287.

Anno MCCLXXXVIII. Honorio IV. Papæ anno superiore defuncto, succedit NICOLAVS IV. primus ex ordine Minorum. Carolus Valesius, Princeps Salernitanus à Nicolao IV. Siciliæ & Apuliæ Rex nuncupatur. *Mariana.* Ioannes Brabantiæ Dux, Nonis Iunij, apud Voringam arcem, secundo ferè lapide à Colonia Agrippina ad Rhenum sitam, nobilissima potitur victoria. Cecidêre ex hostibus Henricus Comes Luceburgēsis, cū fratribus Vualramo Rupensi Comite & Ioāne, Henricus Vueserburgensis, frater Sifridi Archiepiscopi Coloniensis, & equestris ordinis ampliùs mille, præter gregarios milites innumerabiles. Capti, Siffridus Archiepiscopus, Rainaldus Geldriæ Comes, Adolfus Nassouius, qui postea Rex Romanorum fuit; Vualramus Falcoburgensis, & N. Meursius Comites. Dedita paullò pòst arx Voringa, funditusque excisa. Ioannes domum reuersus, Lemburgensis Ducatus titulū atque insignia cum Lotharingico & Brabantino coniunxit. *Iperius, Dinterus, & Lipsius lib. 2. de Louanio, cap. 9.* Rainaldus Geldriæ Comes ad Voringam à Ioanne I. Brabantiæ Duce captus, ius omne, quod in Ducatum Lemburgensem hactenus prætenderat, solenniter eiurat, & agente Philippo Francorum Rege liber dimittitur. Pacis conditiones ac tabulæ exstant apud Dinterum, mense Octobri signatæ. 1288.

Lemburgum Brabantiæ accedit.

Anno MCCLXXXIX. Maria Bertolda, domina Grimbergæ apud Brabantos, è viuis excessit, filio Godefrido Comiti Vianensi Grimbergam relinquens. *Diuæus.* 1289.

Anno MCCXC. ANDREAS III. Hungariæ Rex XXI. Andreæ II. nepos, annis duodecim præfuit. 1290.

1291. Anno MCCXCI. Tyro, Sydone, Tripoli & Berytho à Sultano Ægypti Rege captis atque euersis, demum Ptolemais siue Acon, vrbs Syriæ maritima, ab eodem capitur, funditusque exscinditur. Sicque Christiani vniuersi terrâ sanctâ, ducentis ferè annis possessâ, expulsi sunt. Multi ex iis in Cyprum insulam se receperunt. *Siffridus.*

Terra sancta Christiani expelluntur.

RVDOLFVS I. Imp. moritur XV. Iulij, cùm vixisset annos LXXIII. menses V. & regnasset annos XVIII. Spiræ honorifico tumulo conditus. *Siffridus.*

1292. Anno MCCXCII. ADOLFVS Comes Nassouius, Francofurti VI. Ianuarij, Rex Romanorum appellatur, Gerardo Moguntino Archiepiscopo in primis procurante. *Siffridus.* Nicolao IV. Papa defuncto, sedes Romana annos II. & menses III. vacauit. S. ALBERTVS Drepanensis, Siculus, ordinis Carmelitarum per Siciliam Prior prouincialis, in Domino obdormit, multâ miraculorum gloriâ ante & post obitum illustris.

1294. Anno MCCXCIIII. S. CAELESTINVS V. Nonis Iulij ex eremo ad supremum Ecclesiæ honorem à Cardinalibus vocatus, cùm sedisset menses quinque, & dies septem, & onus humeris suis impar candidè agnosceret, pontificatu se abdicauit. Obijt autē an. 1269. à Clemente V. an. 1313. in Diuos relatus. Vitam eius libris tribus complexus est Matthæus Reggius. Ab hoc sancto viro ante pontificatum institutus est ordo Cælestinorum, sub regula D. Benedicti militantium; qui in Gallia potissimùm floret.

Cælestinorum ordo.

Exstat S. Cælestini elogium apud Petrarcham lib. 2. de vita solitaria: *Papatum*, inquit, *quo nihil est altius (rem tam exoptatam tamque mirabilem, vt ab admiratione ac stupore dictam ferant) quis vllâ ætate, præsertim ex quo tanto in pretio esse cœpit, tam mirabili & excelso animo contemsit, quàm Cælestinus ille, pristinū & nomen & locū & amicam bonis moribus egestatem appetens? Audiui narrantes qui viderant, tanto illum fugisse cum gaudio, eaque signa lætitiæ spiritualis oculis ac fronte gestantem, dum à conspectu concilij iam tandem sibi redditus, ac liber abscederet, quasi non humerum blando oneri, sed collum diris securibus subduxisset.*

His temporibus floruit Ptolemæus Lucensis, historiæ pontificiæ scriptor, qui ad Cælestini Papæ coronationem (cui & ipse interfuit) ducenta hominum millia confluxisse testatur. Ioannes I. Brabantiæ Dux, Bari in Lotharingia hastili certamine ludicro cū Petro Beffremontio decurrens, lethaliter in brachio sauciatur & paullò pòst moritur, Maij die tertio. Corpus Bruxellam delatū, apud Franciscanos conditur: cuius tumulū nostra ætate Caluiniani violarunt. Successit *Ioannes* II. eius filius. S. Nicolaus cognomento Tolentinas, in opido S. Angeli apud Picenos natus, ordinis Eremitarum S. Augustini, *moritur, ab Eugenio IIII. P. M. Diuis adscriptus MCCCCXLVI. *Ioseph. Pamphilus.* Balduinus Niniuensis Canonicus, ordinis Præmonstratensis, chronicon breue à Christo nato ad hunc vsque annum perduxit:

** Baron. an. 1306.*

duxit: quod exstat ms. in Niniuensi S. Cornelij apud Flandros Abbatia.

Anno MCCXCV. BONIFACIVS VIII. Anagninus, IX. Kal. Ianuarij Papa creatus, hoc anno XVII. Kal. Februarij coronatur. Præmislaus regni titulum apud Polonos repetit, annis CCXV. intermissum. *Cromerus.* 1295.

Anno MCCXVI. Vuenceslaus II. Bohemiæ Rex solenni pompa Pragæ à Gerardo Archiepiscopo Moguntino vngitur & coronatur. In quo conuentu Principes Electores *Adolfum Nassouium*, quòd ecclesias vastasset, virgines suprasset, stipendia à Rege Angliæ accepisset, aliasque ob caussas, imperio indignum iudicarunt, & ALBERTVM Austriæ Ducem communibus suffragijs Regem Romanorum nuncuparunt. *Siffridus.* 1296.

Anno MCCXCVIII. Atrox prælium inter *Adolfum Nassouium* & *Albertum Austrium* ad Rhenum fl. mense Iulio committitur: in quo Adolfus cùm occubuisset, ALBERTVS paullò pòst Aquis-Graui est coronatus: & anno sequenti fœdus cum Philippo Pulchro Galliæ percusit: cuius fœderis tabulas Annalium lib. 3. Massonus recitat. 1298.

Anno MCCXCIX. S. Ludouicus, Caroli II. Siciliæ Reges filius, spretis Siciliæ & Hungariæ sceptris sibi debitis, Franciscanæ familiæ nomen dedit: pòst Episcopus Tolosatium in Gallia creatus, hoc anno piè obdormiuit, Massiliæ apud Minores sepultus. His ferè temporibus Bonifacius VIII. Papa, efflagitantibus Hungariæ proceribus, CAROLVM ROBERTVM, Caroli II. Siciliæ Regis nepotem, Hungariæ Regem designat. Guilielmus Nangiacus, monasterij Dionysiani, tertio à Lutetia lapide, monachus, ad annum vsque 1300. Annales suos perduxit. Appendicem verò nescio quis alius ex eodem S. Dionysij cœnobio monachus Latinè attexuit. 1299.

Anno MCCC. Bonifacius VIII. Pont. Max. annum sacrum Iubilei summa solennitate celebrat, infinitis hominũ millibus Romam ex toto terrarum orbe confluentibus. Vt autem anno quoque sæculari siue centesimo Iubilei festa solenniter à Christianis repeterentur, idem Bonifacius VIII. piè decreuit, & portam basilicæ *S. Petri* in Vaticano primus cum pompa aperuit; largissimamque statuit peccatorum omnium indulgentiam cunctis qui Vrbis inquilini triginta eius anni diebus, quive peregrini aut aduenæ, quindecim diebus, confessione, pœnitentia, ac corporis Christi communione priùs lustrati, ad sacra religiosè per eam intrassent. CLEMENS post eum VI. eius nominis, flagitantibus Romanis, ad annũ quinquagesimum Iubilea reduxit, cui & grata tanti muneris dispensandi occasio visa fuit. Is alteram addidit portam basilicæ *D. Ioannis Lateranensis* in monte Cœlio, statuitque, vt totidem vicibus & sacra ibidem visitarentur, Adiectæ postea ad similes visitatio- 1300.

Iubilei annus sacer.

nes

nes faciendas duæ sanctiores aliæ basilicæ, *B. Mariæ Maioris* in Exquilijs, & *D. Paulli* viâ Ostiensi. Atque ita portæ patefiunt, in vigilia Christi Natiuitatis, initio Iubilei, eâdem horâ quattuor; vna, vt diximus per summum Pontificem, aliæ tres per basilicarum dictarum Antistites & Cardinales. SIXTVS IV. denique temporis interstitium contraxit ad annos XXV. ratus vitam hominis mille casibus & periculis expositam rariùs ad quinquagesimum annum peruenire, gratiæque illius expertem infinitam hominum multitudinem idcirco mori: ætati cuiuis anno quoque XXV. rectè consuli, cùm vnius hominis vita ter annum illum felicem & optatum attingere possit: in iuuentute nimirùm, virili ætate, & senectute. Ceterùm de Iubilei anno sacro, eiusque caussis & origine, præter Theologos, scripsit eleganter Stephanus Pighius in suo Hercule Prodicio. Ab hoc anno Volaterranus, Leonclauius & alij plerique incohant seriem Imperatorum Turcicorum, quorum primus OTHOMANVS, pòst decem annorum deprædationes, magnam Bithyniæ partem & loca Ponto Euxino vicina occupauit, primusque adeò Turcarum Rex siue Imperator nuncupatur. Guido Dampetrus Flandriæ Comes, cum Roberto & Guilielmo filijs, per fraudem Parisios abductus, cum ijsdem à Philippo Galliæ Rege, captiuus detinetur; vt Meyerus fusè narrat. VVENCESLAVS Bohemiæ Rex à Polonis ad regnum vocatus, Gnesnę coronatur. *Ioannes Cumingus*, Scotorum Regens eligitur, præterito Vallaceo: vnde mox bellum exortum.

Turcici imperij initium.

1301. In Italia factiones nouæ Alborum & Nigrorum, vt priùs Guelforum, & Gibellinorum, oboriuntur. *Blondus.*

Philippus Franciæ Rex, cum Ioanna vxore, Nauarræ Regina, magno comitatu ac pompa in Flandriam venit, eam regno perpetuùm annectere conaturus; sed frustra. Est inter alios Regem comitatus Ioannes II. Auennensis, magnus Flandriæ hostis. Rex Duaci, Insulis, Iperis, Curtraci, Gandaui & Brugis & alibi magno honore exceptus est. Tradunt mulierum Brugensium (nam Brugæ tunc mercatu opibusque florebant maximè) splendorem ac fastum fuisse tantum, vt Regina vrbem ingressa diceret indignabunda: *Ego rata sum solam me Reginam, at hic sexcentas conspicio.* In hunc annũ incidit *Raimundi Lulli* obitus, multa sanctitatis doctrinæque fama celebris. Is gente Catalaunus, in Baleari maiore insula natus, iuuenis mercaturam exercuit, spe quæstus, maiorum vestigia domesticamque laudem in eo secutus. Ætate grandior rerum humanarum tædio, abscessit in solitudinem, vitato hominũ congressu. Quo tempore artem conscripsit, quæ nouis tramitibus, compendio in artium ingenuarum, Philosophiæ atque adeò diuinarum rerum cognitionem inducere putatur: magno hominum miraculo, cùm litterarum omninò expers, vt ne Latinè quidem sciret, sermone patrio, viginti ampliùs voluminibus euulgatis, ea de rebus tum diuinis, tum humanis tradat, quæ vix, ac ne vix quidem expoliti doctrinâ homines assequantur legendo:

Raimundus Lullus.

gendo: vt præstigia oculorum, & ludibria potius artium, quàm veræ artes quibusdam videantur. Ipse ea se diuinitus accepisse confirmat, in monte obiectâ CHRISTI Dei specie, quasi cruci affixi. Eo certè meritus laudem, quòd studio religionis in Africa propagandæ Bugiam in ora Mauritaniæ delatus, cùm operi insistens, monendi castigandique finem non faceret, lapidibus petitus occubuit. Corpus in Balearem maiorem translatum magnam à populis venerationem habet, tantùm non memoriâ consecratâ, nomineque in fastos dato. De libris non vna opinio fuit; plerisque accusantibus, quasi ineptos, noxiosque, alij defendunt quasi delapsos cælo, humanæ ignorantiæ remedia. Quingenti errores de religione ex ijs libris decerpti nihilominus, Gregorij XI. Pont. Max. iussu, Auenione anathematis ignominiâ notati, agente * Aimerico ex Prædicatorum ordine, Inquisitore aduersus hæreticos in Hispania. Ex ijs propositionibus Petrus Tarraconensis Præsul centum euulgauit, Directorij Inquisitorum parte alterâ: in quibus, si verum fateri conuenit, non paucæ duriores sunt, & absonæ, cum Ecclesiæ dogmatibus pugnantes. Sed nos bardi crassoque ingenio assequi non possumus ea, in quibus Raimundi sectatores reconditas significationes, & arcana maiora contemplantur, melioribus, vt volunt, oculis: si non hallucinantur potiùs, & videre se fingunt, aut somniant, quod non vident; & digito conantur ostendere, quòd nusquam est. Quorum quidem est nostrâ quoque ætate magnus numerus, schola etiam Barcinone ijs libris explicandis dicata, conquisitis lectitatisque postquam reprobati sunt. *Mariana.*

* *Exstat eius Directorium Inquisitorum.*

Franci apud Curtracum opidum memorabili prælio à Flandris vincuntur ac cæduntur. Ceciderunt ex Francis, Robertus Artesiæ Comes, belli dux supremus, Godefridus Virsonij Comes, cum Ioanne filio, & alij plurimi. Describit hanc pugnam elegantissimè Villaneus historicus, qui his ipsis temporibus vixit. Godefridus Virsonius duas filias reliquit; vnam Comiti Hauricuriæ, Normanno, nuptam; alteram Lossensi Comiti: qui soceri opes in Brabantia partiti, hic Sichenas, & Rodam S. Agathæ, ille verò Arschotum cum Birbeca obtinuit. Ad Robertum Atrebatem quod spectat; cùm *Robertus*, eius ex Philippo filio (qui eo viuo decesserat) nepos, repræsentationis iure, illi in Comitatu Artesiæ, vt contendebat, succedere deberet, Senatus Parisiensis, (Parlamentum vocant) MACHTILDI, Philippi sorori, Robertique iunioris amitæ, (quæ Othoni Burgūdiæ Comiti nupserat) Rege Philippo Pulchro præside, ditionis istius controuersæ possessionem adiudicauit: nequidquam se iure potiorem clamitante Roberto. Cui, ne omnino priuatus vitam ageret, Comitatus Bellomontanus, multò minoris dignitatis, atque opibus tenuis, fuit adtributus. Præbuit ea res (hanc ipsam sententiam eodem Senatu Parisiensi an. 1331. in Philippi Valesij gratiam confirmante) grauissimis Galliæ motibus ac bellis occasionem: præsertim postquam, vix decennio ab eo tempore elapso, diuersum prorsus, in simili Britanniæ Are- 1302.

moricæ caussa ac disceptatione, iudicium ab eo ipso Senatu, illo ipso Rege sententiam primo loco dicente, latum esset. Quo quidem factum, vt in Angliam, quò antea & Robertus Atrebas traiecerat, Ioannes Comes Montfortius profectus, cum Eduardo Rege fœdus, Galliæ admodùm infaustum, percusserit. Vide Paullum Æmilium, sub initium libri IX. suæ historiæ. *Vuitholdus* Rex Lituaniæ grauiter Prusiam adfligit, teste Funccio.

1303. MCCCIII. His ferè temporibus Flauius Milphitensis in regno Neapolitano, reppérit aciculam, indicem, siue bolidem nauticam, cuius cuspis magnete attingitur, vt ad polũ Aquinolarem seu stellam polarẽ perpetuò prospectet. Valet aduersus maris tempestates ac pericula, vt alto in pelago iactatus, scias quo loco verseris, & quò cursus sit dirigendus. *Genebrardus.*

Ioannes Iperius, Abbas cœnobij S. Bertini, ordinis Benedictini apud Audomaropolim Artesiæ, scripsit monasterij sui chronicon, ab anno 590. ad annum vsque 1294. Quo olim chronico Meyerus, in concinnandis Flandriæ annalibus non mediocriter est adiutus; exstatque ms. apud Bertinenses. Iperius autem hoc anno viuere desijt. Iudæi Conradum puerum Vueisenhedæ, quod est Turingiæ opidum, circa festum paschæ, varijs cruciatibus adficiunt atque occidunt. *Siffridus.* Godefridus Comes Vianæ, & Grimbergæ, apud Bruxellam Brabantiæ vrbem, dominus, vita defungitur. Bonifacio VIII. Papæ defuncto BENEDICTVS IX. dictus XI. ordinis Prædicatorum, subrogatur. Non procul Alcmaria Hollandiæ opido, paullum vltra mille passus, olim sitam fuisse Veronam, vetustam ac potentem Frisiorum vrbem, cuius in S. Vrsulæ eiusque sodalium historia fit mentio, cognomines inde campi loquuntur. Hanc, ob rebellionem sæpius repetitam, à Ioanne Auennensi Hannoniæ atque Hollandiæ Comite isto anno funditùs excisam fuisse, memorant Annales. Vnde & hemistichium notum: ECCe CadIt Mater FrIsIæ. De hac vrbe fusè Hadrianus Iunius in sua Batauia, & Suffridus Petrus in Frisia.

Verona vrbs olim Frisiorũ.

1304. Benedicto XI. Papa defuncto, CLEMENS V. Gallus, diœcesis Burdigalensis, eligitur: qui primus sedem pontificiam ex vrbe Roma Auenionem Galliæ vrbem transtulit. Franciscus Petrarcha, Philosophus, Rhetor & Poëta, quique humanitatis studia velut ab inferis reuocauit, Florentiæ nascitur XX. Iulij. *Volaterr.* Guilielmo Dampetro, Flandriæ Comiti, Compendij in custodia defuncto, succedit filius *Robertus* III. cognomento Betunianus. Ioannes II. Auennensis, Hannoniæ & Hollandiæ Comes, cum Philippa vxore moritur, & Valentianis in Dominicanorum basilica, paternum ad tumulum, conditur. Is Aleidem, Florentij IV. Hollandiæ Comitis, Guilielmo Cæsare prognati, filiam duxerat: quæ fratre Guilielmo, eiusque filio Florentio V. atque eo genito Ioanne I. Hollandiæ Comitibus, sine liberis vita functis, Hollandiæ Zelandiæque Comitatus, Frisiæque dominium iure

Hollãdia Zelãdiaque iungitur Hannoniæ.

iure hereditario Hannoniæ annexuit, & ad *Guilielmum* filium transmisit. Dinus Mugellanus, Iureconsultus, cuius exstant in Pandectas, & lib. VI. Decretalium commentarij, Bononiæ moritur.

Vuenceslaus II. Bohemiæ Rex moritur, & sepelitur in cœnobio monachorum ordinis Cistertiensis, à se excitato, quod Aula Regis dicitur. Successit filius VVENCESLAVS III. vt narrat Siffridus. 1305.

Carolo Roberto & Vuenceslao inter se de regno contendētibus, Hungari OTHONEM Bauariæ Ducem salutant Regem: estque hoc anno apud Albam regalem inauguratus. Tractat ista fusiùs Michaël Ritius, in suis libellis De Regibus Hungariæ.

Vuenceslaus III. Hungariæ Rex, nondum coronatus, XVIII. annorum adolescens, procurantibus quibusdam regni sui Baronibus, per fraudem à quodam milite occiditur. Quo facto, Barones quidam Ducem *Henricum* Carinthiæ, Vuenceslai sororium, sibi Regem elegerunt; sed inconsulto Rege Romanorum, cuius erat regnum istud conferre. Itaque Albertus Rex Romanorū Bohemiam armatu manu ingressus, Regem ibi constituit filium suum * *Rudolfum*, Austriæ Ducem; dans ei vxorem Bohemiæ Reginam, Vuenceslai scilicet filiā. *Siffridus.* Otho Burgundiæ & Artesiæ Comes moritur: successit *Philippus Longus*, Pictonum Comes, Philippi Pulchri Galliæ Regis filius secundò genitus, qui Ioannam Othonis filiam duxerat vxorem. Ita Vignierius. *Vladislaus* ad regnum tutandum à Polonis vocatus, annis 27. præfuit. *Robertus Briseus* Scotorum Rex electus, ab Odemaro regni custode vincitur. 1306.

* Radulfum, *alij.*

Vixit his temporibus Haithonus, qui Tartarorum, siue, vt Leonclauius & alij legunt, Tatarorum, scripsit historiam. Ludouicus Hutinus, matre suâ Ioannâ, Nauarræ Reginâ, defunctâ, Pompeiopoli Rex Nauarræ coronatur. *Tilius.* Siffridi presbyteri Misnensis chronicon hoc anno finitur. 1307.

Albertus II. Austrius Imp. Ioannis patruelis sui insidijs, hoc anno Kalendis Maij, vt ex inscriptione sepulcrali didici, occiditur; Spiræ in choro conditus. Ioannes Dunsius, Scotus, Doctor Subtilis cognomento, ordinis Franciscani, moritur Coloniæ VIII. Nouembris. Fabulosum illi mortis genus Paullus Iouius, in Elogijs virorum doctrina illustrium, affinxit: vtpote cuius nulla sit Coloniæ memoria in monasterij archiuis, aut epitaphijs varijs tumulo appensis. HENRICVS VII. Comes Luceburgensis XXV. Nouembris, ipso festo S. Catharinæ Francofurti à Septemuiris Rex Romanorum eligitur, estque anno sequente, VI. Ianuarij, in festo Epiphaniæ Domini, per Henricum, Archiepiscopum Coloniensem Aquis. Grani, inunctus & 1308.

coronatus. *Antoninus.* Carolo Regi Neapolitano defuncto, succedit filius eius ROBERTVS, Calabriæ Dux: teste Michaële Ritio Neapolitano, qui de Regibus Siciliæ ac Neapolis libellos tres conscripsit.

EDVARDVS II. Anglorum Rex annis nouemdecim præfuit.

1309. Rhodus occupatur. Equites Hospitalarij S. Ioannis Hierosolymitani Rhodum insulam, cum vicinis alijs quinque, Saracenis seu Turcis eripiunt, anno obsidionis quarto. Ex eo tempore cœperunt dici Equites Rhodij, atque illustriores haberi. Vide Blondum & Æmilium. Alij ad annum præcedentem, nonnulli ad sequentem istud reijciunt. Roberto Burgundiæ Duci defuncto succedit filius *Hugo* natu maximus.

1310. MCCCX. Hungarorum communi consensu CAROLVS ROBERTVS Rex declaratur. Ioannes Comes Luceburgensis, Henrici Rom. Imperatoris filius, procurante patre, cum Elizabetha, regni Bohemici herede, nuptias contrahit, & iure vxorio regnum adit. *Dinterus.*

1311. Ægidius Bertoldus, Machliniæ apud Brabantos dominus, moritur: successit patruelis eius Florentius Bertoldus. *Dinæus.* Concilium VIENNENSE generale XV. hoc anno, Octobris die sextodecimo, haberi cœptum est à Clemente V. Pontifice Maximo. Interfuêre Philippus Galliæ Rex, filij eius tres, Carolus Valesius frater, aliorum Principum Legati magno numero, duo Patriarchæ, Alexandrinus & Antiochenus, & Patres plurimi. De bello sacro instaurando magna contentione actũ est: deq; Templarijs decretum, vt eorum nomen & ordo penitus aboleretur. Templarij delentur. Seuerum nimis decretum fuisse plerisque visum est; & scio esse, qui eos à calumnia defendunt. Fama tamen frequentior & sensus propè omnium damnat: etsi verisimile non sit ea delicta singulos contaminasse. Vide Origines nostras ordinum militariũ.

1312. Aurelianensis Academia in Gallia instituitur per Philippum Pulchrum Regem, Clemente V. Papa adprobante. Ferdinando Castellæ Regi demortuo filius ALFONSVS XI. sufficitur. *Mariana.* Henricus VII. Imp. in basilica Constantiniana III. Kal. Iulij à Cardinalibus, Clementis V. Papæ Legatis, coronatur. *Onufrius.* IOANNES, Henrici Imp. filius Rex Bohemiæ renuntiatur. Ioannes II. Brabantiæ & Lemburgi Dux, ac S. Imperij Marchio, VIII. Kal. Nouemb. Furæ vita decedit, & Bruxellis in choro D. Gudilæ sepelitur. Successit IOANNES III. filius eius ex Margarita Eduardi Angliæ Regis filia. *Dinterus.*

1313. Henricus VII. Imp. & Comes Luceburgensis IX. Kal. Septembris moritur.

Cle-

Clemente V. Papa XII. Kal. Maij mortuo, sedes Romana annos duos & menses tres vacauit.

LVDOVICVS IV. BAVARVS, Rudolfi I. Imp. ex filia nepos, XVIII. Octobris, Imperator à quibusdam Germaniæ proceribus designatur. Eodem die ijsdemque comitijs FREDERICVS AVSTRIVS ab alijs Germaniæ principibus itidem Imperator est salutatus. Qui quidem inter se annos XIII. & menses tres, de imperio acriter contenderunt. Philippus Pulcher Galliæ Rex hoc anno III. Kal. Decembris vita defungitur; vt ex vetustis monumentis certò se didicisse scribit Vignierius: non autem an. 1313. vt Gaguinus, Æmilius, & Tilius existimarunt. Patri succesit LVDOVICVS HVTINVS, Franciæ & Nauarræ Rex. 1314.

Heluetij, gens non tam lata, quàm valida, quibus virtutis militaris laudẽ, ceteris Gallis & Germanis iam olim Iulius Cæsar, tribuit, ab ipso victi, in Romanorum potestatem venêre. Inde partim Sueuis, partim Burgundis paruere, donec à *Rudolfo* I. Imperatore Austriæ vindicati, sunt imperio: à quo Præfectos accepêre, vsque ad intestinum istud Germaniæ bellum, quo certantibus de imperio *Ludouico Bauaro* & *Frederico Austrio*, Heluetijs instituendi Rempublicam liberam occasio data fuit. Non ferebant illi Præfectorum tyrannidem, qui subditorũ simplicitate per scelus abutebãtur. Ad hæc dum ijdem Præfecti compellere illos ad Frederici Austrij partes conantur, studere illi Ludouico Bauaro visi sunt, in odium Præfectorum; ex quibus etiam duo trucidati sunt, tertius ob crudelitatem exactus, cum clientibus & fautoribus omnibus. Quod indignè ferens *Leopoldus* Archidux Austriæ, Frederici frater, exercitum in Suitenses & Tugios ducit. Quo profligato ad Morgartum, Ludouicus Imperator, ternas litteras ad illos perbenignas dedit. Verùm cùm eius auxilijs cõtra Austrios sibi infestos destituerentur, primum fœdus mutui auxilij & amicitiæ inierunt *Guilielmus Tellius Vraniensis*, alter *Suitensis*, tertius *Subsiluanus*, mense Decembri, anno secundo Ludouici, Christi MCCCXV. Quod fœdus, ne quà re offensi Fredericum sequerentur, Ludouicus Imperator probauit, atque anno sequente, concessis & alijs immunitatibus, confirmauit. Hinc illa αὐτονομία, quæ felici decursu ad posteros est propagata, & aucta paullatim aliarum ciuitatum accessione. Ei namque se adiunxit *Lucerna*, anno fœderis XVII. *Tigurum* an. XXXVI. *Clarona* & *Tugium* anno XXXVII. *Berna* anno XXXVIII. Seriùs *Friburgum* & *Solodurum*, nempe fœderis anno CLXVI. *Basilea* & *Scafhusa* anno CLXXXVI. postremò *Abbatis-cella* anno CXCVIII. Atque hi sunt tredecim, quos vocant, pagi, quorum singulis sui sunt magistratus, vna verò omnium Respublica, quæ momenta rerum in comitijs moderatur, & per Legatos decidit. Porrò anno Christiano M. CCCXXXIX. Laupenum prælium apud Heluetios fuit, quo Bernatibus iuncti tres pagi, de hostili exercitu, ex Comitum & Baronum copijs longè numerosiore, victoriam retule- 1315.

Reipublicæ & fœderis Heluetiorum origo.

Pagi tres decim Heluetiorum.

runt insignem. Cuius quidem gloriam historiæ maiorum Deo magis, quàm virtuti hominum acceptam referunt. Iis enim proditum est, Bernates tum frequentes ad Deum preces fecisse, Sanctorum intercessiones, in primis S. Vrsi martyris, & S. Vincentij patroni ac martyris postulasse, atque vt Iosue arcam Dei in hostem extulit, sic eos, Theobaldo parocho hortatore & auctore, sacrosanctã Corporis Dominici Eucharistiam ex vrbe in castra copijs prætulisse. Quam quidem illorum fidem mox est victoria consecuta. Hæc ferè Sebastianus Verronius, Præpositus Friburgensis, in suis Chronicis ecclesiasticis.

1316. Ludouicus Hutinus Galliæ Rex anno superiore Nonis Iunijs defunctus, Ioannam filiam superstitem & Clementiam vxorem grauidam reliquerat. Itaque frater eius *Philippus* cognomento *Longus*, Franciæ & Nauarræ regnorum procurationem, donec Clementia pareret, communi procerum consensu, suscepit. Ex ea natus Ioannes viginti tantùm dies vixit: quo mortuo Philippus regium nomen hoc anno, die festo Epiphaniæ, sumsit neglectâ, iuxta legem Salicam, Ioannâ, Ludouici filiâ. *Massonus* & *Vignierius*.

Nemo erat, qui id iure factum non putaret, præter Eudonem siue Odonem Burgundiæ Ducem, Ioannæ auunculũ: qui iure naturali ac ciuili parentis regnum filiæ deberi contendebat. Philippus legem, quam dixi, Salicam, atque inueteratum regni morem iuri Romanorum opponens, communi Galliæ procerum decreto, præualuit. Rex tamen vt Burgundo satisfaceret, Ioannam, trium filiarum, ex Ioanna Burgundiæ Comitis filia, natu maximam, illi nuptum dedit, Burgundiæ Comitatu in dotem adtributo: in quo, Othone auo materno & Roberto auunculo defunctis, ea virgo successerat. Qua ratione Comitatus Burgundici, simulque Ducatus titulis primus vti cœpit.

Ducatus & Comitatus Burgundiæ coniunguntur.

IOANNES XXI. dictus XXII. Caturcensis, Gallus, Papa creatur. Is instituit, vt ter singulis diebus sub vesperum ære Campano signum detur, vtque salutationem angelicam quisque ter recitet. *Polyd. Verg.*

1317. IACOBO II. Aragoniæ, Catalauniæ & Valentiæ Rege per legationes agente, ex bonis quæ Templarij in Valentino tractu obtinuerant, noua vt militia constitueretur, hoc anno à Ioanne XXII. Pont. Max. est impetratum; Calatrauæ quidem contributa, proprio tamen Magistro, in veste candida, cruce rubra insignis simplici planaque. Cistertiensis instituti legibus viuere mandatum est. Præcipua sedes MONTESIA, vnde & militiæ nomen. Infestabant id temporis Mauri litora Valentina: quibus tuendis egregiam Equites isti operam præstitêre. Primarius huius instituti auctor fuit *Guilielmus Erilius*, vir fortissimus. Solent autem Equites isti in vexillis militaribus cruces viridi nigroque colore distinctas, in scutis autem vestibusque cruces, vt dixi, rubras præferre, & castitatem omnes profiteri. Quæ, vt audio, violata est, temporibus Cæsaris Borgiæ, Magistri ordinis X. vel XI. summis

Ordo Equitum Môtesiæ in Hisp.

Pon-

Pontificibus certas ob caussas indulgentibus. Sic ferè Ioannes Mariana, & Cõsaluus Argotes Molina, libro De nobilitate Hispaniæ. Corrigendi itaque Volaterranus, Bugianus & Morisius, qui ad *Iacobi I.* cognomento *Fortunati*, Aragoniæ Regis tempora, militiæ huius initia referunt, itemque Onufrius, qui ad an. 1233. ista commemorat in Chronico. Halæ textorum Louanij exstrui cœperunt; vt duplex inscriptio parietibus inserta docet. Ex nunc sunt Athenæum, in quibus Theologia, Iurisprudentia & Medicina publicè docentur.

Henricus Chaperellus, Prætor Parisiensis, laqueo strangulatur, cõuictus in locum diuitis extremo supplicio digni insontem nescio quem supposuisse. Hoc Prætoris flagitium rei maximæ initium dedit. Delecti iudices vitâ integri, sapientia item & scientia præstantes, quibus dicendi iuris summa potestas in posterum attributa est: ab illis Chaperellus meritò damnatus debitas sanè pœnas luit. Conuentum illorum iudicum Franci sua lingua *Parlamentum* appellauère, quæ vox Concilium sonat. Quin & Angli scriptores, Parisius atque alij, publicos conuentus regni Anglorum eodem verbo designant: quod hodieque obtinet. Verum Franci per excellentiam quamdã & iudicum illorum auctoritatem, vocem è communi propriam fecere. Grauium scriptorum primus quod sciam Petrarcha, qui Philippo Longo vixit, de magistris Parlamẽti Parisiensis, in Apologia loquitur, Vrbani V. temporibus scripta, Carolo V. Rege. Ceterùm Senatus Parisiensis Philippo Longo natus, Carolo Pulchro Rege, proximo eius successore, multũ auctoritatis sibi adquisiuit, ex Iordani hominis potentis supplicio, atque in reliquum tempus iustitiæ famâ floruit. *Massonus.* Parlamẽti Parisiensis origo.

Inter militantes Lusitaniæ ordines is longè nobilissimus est, qui CHRISTI nomine insignitur: cuius quidem sodales nigra veste vtuntur, & cruce partim rubra, partim candida. Sunt enim quattuor eius brachia per medium discissa, & lineâ candidâ interſecante distincta, sic vt in singulis brachijs binæ cruces appareant, rubra & candida. Militarem hunc ordinem, aduersus Mauros à Dionysio Lusitaniæ Rege institutum, Ioannes XXII. Pont. Max. his ferè temporibus confirmauit. Huic sodalito Templariorum opida, prædia, ædesque ab eodem Rege Dionysio sunt attributæ. Primarium ordini domicilium ad *Castrum Marinum*, diœcesis Eluensis, est constitutum, inde Touarium postea migratum. Sic ferè Mariana. At Onufrius, in chronico, ad annum 1325. ista reijcit. 1318. Ordo Equitum Christi in Portugallia.

Congregatio alborum monachorum MONTIS OLIVETI, in agro Senensi, sub regula S. Benedicti, instituitur, auctoribus Bernardo Ptolemæo & socijs eius duobus. Ita *Ciaconius*: at Panuinius id refert ad annum sequentem. Montis Oliueti congregatio.

MCCCXX. Guilielmus Occamus Anglus, ordinis Minorum, Ioannis Scoti discipulus, his temporibus viuebat Monachij in Bauaria. De cuius scriptis vide iudicium Ant. Posseuini in Apparatu sacro. 1320.

Philip-

Philippo Longo Galliæ Regi III. Non. Ianuarij, nullâ relictâ prole, defuncto, succedit *Carolus* eius frater, cognomento *Pulcher*.

1321. MCCCXXI. Iudæi plurimi in Aquitania occiduntur.

1322. In *Camberonensi* Cisterciensium monachorum cœnobio, apud Athum Hannoniæ opidum, Iudæus quidam impius, Guilielmus nomine, cùm imaginem Deiparæ hasta seu telo violasset, sanguis ex ea confestim effluxit. De huius loci Miraculis exstat liber, à Vualrando Caoultio, Duaci & Coloniæ editus. Meminit huius rei disertè Ioannes Becanus, in Episcoporum Vltraiectinorum, Comitumque Hollandiæ historia. Similia leguntur apud Ioannem Damascenum, aliosque veteres ac fidos historicos. Idem porrò Caoultius scripsit de *Trungensi* & *Ceruiensi* Deiparæ sacellis, apud Hannones signis pariter claris. Ludouicus Imp. Italiæ ciuitatibus Vicarios imperatorio nomine præfecit, & Vicecomites Mediolanenses ita fouit, vt rerum Mediolani demum sint potiti. *Funccius.* Roberto Betuniano Flandriæ Comiti hoc anno viuis exemto, *Ludouicus* I. *Niuernensis*, aliàs *Cresfius* cognomento, successit, non quidem ordine naturæ, sed conuentione. Cùm enim Philippi Longi Galliæ Regis filiam Margaritam Parisijs vxorem duceret, Francis per eas nuptias Flandriam sibi, vt sperabant, velut oppignorantibus; sic an. 1320. transactum est, vt si Ludouici pater antè moreretur, ipse nihilominus auo succederet. Cui pacto antenuptiali auus, patruus & amita Couchiaco nupta consenserunt. Verùm pòst Betuniani excessum, cùm altera auita Machtildis, Matthæi Lotharingi vxor, se proximam patris heredē esse, nec vmquam iure suo cessisse profiteretur, & Robertus Cassetensis patruus se non ex animo sic transegisse, sed vt patri seni obsequeretur, contestatus esset; Ludouicus tamen nihili ista faciens, Flandriæ Comitem se gessit. Quapropter Lutetiam ad senatum Parium euocatus est: quorum decreto Comes declaratus, hoc ipso anno, Carolo Galliæ Regi fidem de Flandriæ, Niuerniæ & Rhetelij Comitatibus obstrinxit: amitâ, patruoque frustra obnitentibus. *Marchantius.* CHRISTOPHORVS Daniæ Rex annis duodecim regnat.

B. Virgo Camberonensis in Hannonia.

1323. Amadeus IV. cognomine Magnus, Sabaudiæ Comes decedit, & in Altocombano monasterio sepelitur. Scribitur is, quòd sex illi vxorique eius, vno eodemque tempore, per nocturnam quietem visi infantes, qui flexis Deum orabant genibus, vt Comitem Sabaudum eiusque vxorem, sobolis compotes facere dignaretur, in Cluniacensi monasterio sex infantiū, qui pro Sabaudiæ Principum salute statas perpetuasque Deo dicerent preces, instituisse ac dotasse collegium. Singulari Dei namque dispensatione accidisse sibi persuaserat, vt sibi suæque vxori infantes illi apparerent, præsertim cùm vxorem suam, sterilem hactenus, grauidam ex eo tempore factam cognouit. Eius collegij (cui *Conuentus sanctus*, quod etiamnum hodie obtinet, inditum nomen) legibus cautum inter cetera fuit, vt simul atque aliquem ex hisce infan-

tibus,

tibus, tale quid quod castis innocuæ illius ætatis moribus repugnaret, & malitiæ præ se ferret specimen, designare contingeret, illo moto, alius protinus in eius substitueretur locum. Ceterùm Amadeo filius *Eduardus* in Sabaudiæ Comitatu successit. *Vanderburchius*. Otho Comes & dominus Cudicensis *Grauiam* opidum Mosæ adsitum, antea liberum, Ioannis III. Brabantiæ Ducis clientelæ subiecit; acceptis ab eo quinque millibus librarum nigrarum Turonensium. *Diuæus*. Acerrimo prælio commisso Cæsar FREDERICVS AVSTRIVS cognomento PVLCHER, à LVDOVICO BAVARO Cæsare, ipso D. Michaelis festo die, victus & captus, triennio in custodia fuit. Iudæos à Regibus nō semel Galliâ pulsos ac reuocatos lego. Anno 1190. à Philippo Augusto, an. 1295. à Philippo Pulchro pòst à Ludouico Hutino, ac demum hoc anno à Philippo Longo, ob suspicionem veneni in puteos sparsi, prorsus exacti sunt, non tam iussu Principis, quàm plebis zelo. *Genebrardus*. Iudæi Gallia pulsi.

MCCCXXIV. Robertus Rex Neapolitanus Genuam occupat, & Saonâ Gibellinos pellit. 1324.

MCCCXXV. *Dionysius* Lusitaniæ Rex VII. Nonas Ianuarias Scalabi decessit, diuturno regno annorum quadraginta quinque, & nouem mensiū, excelsa animi magnitudine, & perpetua felicitate inter Principes ea ætate inclytus. Corpus in Cisterciense monasterium illatum, quod eius impensâ, ab Olisipone sex passuum millibus, ab imo totum erat exstructum. Pietatis id argumentum esto. Liberalitatem magnificentiamque animi, multa opida constituta, alia perpetuâ mœnium coronâ, aut alijs operibus munita indicāt. ELIZABETHA vxor, femina sanctissima, ad vndecimum annum viro supervixit, in memoriâ vitæ per virtutem actæ, sinceroque religionis cultu, egenorum miserijs subleuandis, viduitatis incommoda sustentans, morum innocentiâ tantâ, vt defunctæ memoria, ex ritu Christiano, templis cæloque dicata sit. Corpus Conimbricæ ad sanctæ Crucis præcipua Lusitanorum religione colitur. Dionysio *Alfonsus* filius maior succesit, *Fortis* cognomen ab ingenio bellicis studijs addicto nactus. *Mariana*. 1325. S. Elisabetha Portugalliæ Regina.

MCCCXXVI. Prusam Bithyniæ metropolim Othomanus I. Turcarum Rex, eiusque filius Orchanes occupant: estque prima Othomanorum Principum sedes facta, vsque ad captam Hadrianopolim. *Leonclauius*. 1326.

MCCCXXVII. OTHOMANVS I. Turcarum Rex, quē regni Turcici conditorem vocant, moritur; cùm natus esset LXIX. annos Arabicos, qui LXVII. annos Iulianos conficiunt. Succesit filius eius ORCHANES II. Turcarum Rex. *Leonclau*. S. Rochus confessor, apud Montem Pessulanum, in Gallia Narbonensi, diem obit: inde Venetias an. 1485. translatus. 1327.

Eius res gestas scripsêre Franciscus Diedus & Petrus Pinus. Nicolaus V. Reatinus, ex ordine Minorum, in schismate, à Ludouico IV. Bauaro, contra Ioannem XXII. Romæ, IV. Idus Maij Antipapa creatur: à quo idem Bauarus Imperator VI. Kal Iunij in basilica Vaticana est coronatus. *Onuf.* Eduardo II. Angliæ Rege in carcere, cui ipsum Isabella coniux adultera incluserat, defuncto, ipsorum filius *Eduardus* III annos quinquaginta imperat. De Valesijs Galliæ Regibus in posterum dicturus, Lectorem moneo, sic eos appellatos à Valesia Galliæ prouincia, (vt à Borbonia Borbonij) Carolo Philippi III. filio adtributa. Hic S. Ludouici nepos Comes Valesiæ fuit, eoque genitus Philippus VI. regium nomen est adeptus: cuius posteri & regnum & Valesiorum cognomen vsque ad Henrici III. à monacho cæsi tempora retinuerunt. Ceterùm Philippus Pulcher Francorum & Nauarrorum Vasconumque Rex cùm sine liberis, grauidâ tamen Ioannâ vxore relictâ, hoc anno Kalendis Februarij è vita excessisset, grauis inter Philippum Valesium & Eduardum Angliæ Regem, de regni primùm procuratione, pòst de iure successionis orta est disceptatio. Philippus Valesius trium Regum superiorum nuper defunctorum patruelis erat, & S. Ludouici Regis pronepos: Eduardus eorumdem trium fratrum sororem Elisabetham duxerat vxorem. Itaque cùm Ioanna Regina filiam esset enixa, quæstio grauissima emersit, vtri regius honos deberetur, Philippo an Eduardo. Hic quidem concedebat feminas regni Galliæ capaces non esse, *per ius in Francia antiquitus seruatum*: sic enim loquitur ijs litteris, quas postea ad Benedictum PP. imminente bello, dedit, quarum exemplar apud Vualsingamum historicum Anglum exstat. Quæstio itaque erat, an Eduardus iure materno, cognationisque successurus esset; an potiùs ei anteferendus Valesius, Caroli nouissimi Regis patruelis, agnatione gentilicioque iure proximus? Lex XII. tabularum agnatos præferebat cognatis: agnatæ tamen erant & feminæ, sed per legem Voconiam fuêre ab intestato exclusæ vltra gradum consanguinearum, ex testamento verò & filiæ. At morem Lacedæmoniorum Francico persimilem, in vita Agesilai, apud Æmilium Probum, est legere. Pares itaque duodecim, propositâ regni consuetudine, qua feminæ regno submouentur, Philippum Eduardo anteferendum censuerunt: propterea quòd moribus Francorum quoties femina successione excluditur, filij quoque eius repelluntur. Et feudalibus constitutionibus proles feminina, vel ex femina descendens, ad feudorum successionem adspirare non possunt. Nihilominus illo Parium iudicio, Eduardus iniuriam sibi annis tunc minori factam, queritur suis ad Benedictum PP. litteris. Quid verò Baldus summus illius ætatis Iureconsultus, homo Italus, hac de re senserit, audiamus: *Si*, inquit, *filia Regis Francorum non succedit in regno, ex rationabili consuetudine Francorum, filius eius Rex Angliæ in regno Francorum nullum ius prætendere potuit: quia in caussato non potest esse plus virtutis, quàm procedit ab influenti potentia caussa.* Hic Lector admonendus videtur, nullam Salicæ legis in illa controuersia mentionem factam, neque

Valesij vnde dicti.

De regno Galliæ contentio inter Valesium & Anglum.

Vide Nicegiati appendicem. & Froissardum.

Ad Legem Consularis De Senatoribus.

neque à Baldo fieri, sed consuetudines Francorum; nomine illo nondum satis cognito, quo postmodùm recentiores Iureconsulti & historici plurimũ vsi sunt, cùm in capita legis Salicæ incidissent. *Philippus* igitur *Valesius* omnium ordinum suffragijs antelatus, mox regiam coronam Remis accepit. *Massonus*. Inde inter Gallos & Anglos diuturna atque internecina bella exstiterunt. Reges item Angliæ Gallici regni nomen atque insignia vsurparunt, hodieque vsurpant, & adhuc sub iudice litem esse volunt. Aliter apud Nauarros Vasconesque, à Galliarum imperio exemtos, euenit. *Philippo* Eburonicum Comiti, *Ioanna* Ludouici Hutini filia nupserat. Ei Nauarræ proceres Pompeiopoli, in publicis conuentibus, materno iure regnum decreuêre; Philippo Valesio, nouo Galliarum Rege, concedente, iustisque prouinciæ postulatis annuente. *Mariana*. Ceterùm Villaneus ait, hac lege Philippo eiusque coniugi Ioannæ regnum Nauarræ concessum, vt Reges Francorum suos esse patronos ipsi posterique eorum profiterentur.

De Massonus lib. 1. Annal Galliæ

Reges Angli vn de titulũ atque insignia Franciæ vsurpent.

Philippus Nauarræ Rex.

MCCCXXVIII. Philippus Valesius Galliæ Rex ingentem in Flandriam expeditionem suscipit; quam latè Meyerus describit. 1328.

MCCCXXIX. Ludouicus Bauarus Imp. ditionem Iuliacensem hoc anno Marchionatus titulo donauit. Eamdem Vuenceslaus Imp an. 1388. Ducali dignitate ornauit. Eduardo Sabaudiæ Comite rebus humanis exemto, fratri eius *Amadeo V.* D. Mauritij annulus, vt imperij tessera, ab eius prouinciæ ordinibus donatur, Margaritâ Eduardi filiâ exclusâ; iuxta inueteratam prouinciæ consuetudinem, quâ feminis aditum ad eum honorem præclusum proceres aiebant, quamdiu virilis ex ea familia stirpis aliquis, legitimo natus thoro, superesset. *Vanderburchius*. Ludouicus Clarimontis & Marchiæ Comes, fit primus Borbonij Dux. Is vxorem habebat Mariam, Comitis Hannoniæ filiam. *Meyerus*. 1329.

MCCCXXX. Frederico Austrio XIII. Ianuarij defuncto, solus imperat Ludouicus Bauarus. *Onufr*. Floret Ludolfus Saxo; qui annis triginta inter Dominicanos sodales, quibus adolescens se aggregarat, exactis, demum Argentinæ factus est monachus Carthusianus. 1330.

MCCCXXXI. Ioannes Bohemiæ Rex in Italiam transgressus, Brixiam, Bergomum, Lucam, Parmam, Rhegium, Mutinam, aliaque opida in suam redegit potestatem. *Blondus*. 1331.

MCCCXXXII. Victoria vrbs est Castellæ, in qua noua militia ab Alfonso Castellanorum Rege his ferè temporibus excogitata, inuectaque *Bandæ* nomine. Banda vulgari Hispanorum linguâ tænia est, quam noui milites rubro colore, quattuor latam digitos, à dextro humero sub sinistro brachio 1332.

Bandæ militia.

corpori circumducebant honoris insigne. Ingenui tantùm, & qui decem minimùm annis in castris, aulaque versati essent, ad eum ordinem allecti: nobilium modò filijs maioribus exclusis. Rex ipse vniuersæ societatis Magister institutus. Eo honore iuuenes nobilissimi ad res maximas capessendas, perficiendasque inflammati. Qui longo tempore in magno pretio habitus, consequentium Regum ignauiâ rerumque humanarum inconstantiâ in desuetudinem abijt, vt ne vestigium quidem exstet. *Mariana.*

Lucerna ciuitas fœderi trium pagorum Heluecticorum se iunxit. Eodem ferè tempore Haslensis regio se Bernatibus adsociauit. Ita Vignierius ex Heluetiorum chronicis. Andronicus Palæologus Græcorum Imp. obijt, & ANDRONICVS IVNIOR PALAEOLOGVS successit. *Onufrius.*

Georgius Pachymeres ab anno primo Michaëlis Palæologi, vsque ad XXIII. Andronici senioris, historiam Græcorum per annos ferè LVIII. contexuit. *Eduardus Baliolus* apud Scotos regnat: quem anno sequenti pulsum à suis Eduardus Angliæ Rex armata manu restituit.

1333. MCCCXXXIII. *Casimirus Magnus*, Vladislao patri in regno Poloniæ succedens, annis 38. præfuit.

1334. MCCCXXXIIII. *Vualdemarus* III. Daniæ Rex annis duobus & quadraginta exstitit. Philippus Valesius cognomento Audax, Burgundiæ Dux, patre Ioanne Valesio, Duce Normanniæ, nascitur. Hinc Pontus Heuterus suos rerum Burgundicarum ac Belgicarum commentarios exorditur; veterum Burgundionum rebus gestis breuiter repetitis.

Ioanni XXII. Papæ, pridie Non. Decembris Auenione defuncto, BENEDICTVS X. dictus XII. Tolosanus, ordinis Cistertiensis, XIII. Kal. Ianuarij, sufficitur. Apud Leodicenses anni initium à die natali Christi deinceps decreuit Adolfus Marcanus Episcopus incohandũ; cùm hactenus à vigilia Paschæ annum incohassent.

1335. MCCCXXXV. Alfonso Aragoniæ Regi, Barcinone 24. Ianuarij defuncto, succedit filius eius *Petrus*. Ianuario mense, Ludouicus Comes Lossensis decessit, filios non relinquens: cuius Comitatui cùm Theodericus Hensbergensis, ex sorore nepos, manum immitteret, obstabant Leodicenses. Ludouici enim proauum, Ludouicum asserebant Comitatum suum Hugoni Petrapontio Episcopo, circa annum 1200. clientelæ officio obuinxisse, eâ lege, vt cùm successorum eius aliquis mares liberos non relinqueret, Comitatus Ecclesiæ Leodicensi cederet. *Diuæus*. Hoc eodem anno bellum inter Anglos, Francosque maximũ cruentissimumque incepit, Eduardo Angliæ Rege Galliæ regnũ sibi postulante. Et sopita iam omnis de regno controuersia videbatur, Anglo vel bellis Scotticis implicato; vel arduã regni repetendi cogitationem sponte deponente. Francorum autem omnium Robertus

Atre-

Atrebas in vindicando regno acerrimus Philippi Valesij fuerat propugnator. Verùm is, vbi à Valesio primùm patriâ pulsus, denique & Brabantia cedere coactus, in Angliam confugisset, Eduardum Regem, vt bellum Valesio Franciæ iniusto, vt aiebat, possessori inferret, continuis persuasionibus instigare non intermittebat. Rem diutiùs apud se deliberatam, Rex tandē ad concilium detulit. Placuit primatibus Angliæ Lincolniensem Episcopum in continentem mitti, animosque inferioris Germaniæ Principū (sine quorum ope res perfici non posse videbatur) pertentari. Hic, consulente simul & conciliante Guilielmo Hannonio, Eduardi socero, Brabantinum, Gelrum, Iuliacensem, Coloniensem, Falcoburgensem aliosque Principes facilè in societatem pertraxit. *Diuæus.*

MCCCXXXVI. Custodiam sepulcri CHRISTI Saluatoris Hierosolymis à Sultano Ægyptio his ferè temporibus Franciscanis monachis commissam tradunt; quam hodieque obtinent. 1336.

MCCCXXXVII. Frederico Siciliæ Rege VII. Kalendas Iulij defuncto, PETRVS filius succedit in regno; vt supputat Mariana. At Fazellus anno priore Kalendis Iulij mortuum dicit. Henricus Flandrensis, Comes Lodensis, in ditione Mediolanensi moritur, Brugis apud Franciscanos sepultus. Erat filius Guidonis Flandriæ Comitis, vxoremque habuit Margaritam Cliuensem. *Meyerus.* 1337.

MCCCXXXVIII. Eduardus III Angliæ Rex, ipso festo B. Mariæ Magdalenæ, cum CCCL. nauibus Antuerpiam est appulsus, initoque cum Ludouico Imp. & ceteris Germaniæ principibus fœdere, regnum Galliæ, sibi vt aiebat, materno iure debitum, à Philippo Valesio repetijt. Antuerpia porrò digressus, in arce Louaniensi hiemauit. *Dinterus.* 1338.

MCCCXXXIX. Eduardus Angliæ Rex, à Ludouico Imp. creatus Imperij Vicarius, institutâ aduersus Philippum Galliæ Regem expeditione, Cameracum obsidet. Comitati sunt eum Ioannes III. Dux Brabantiæ, Reginaldus Dux Geldriæ, Guilielmus Hannoniæ & Hollandiæ Comes, eiusque patruus Guilielmus Bellomontanus, Guilielmus Marchio Iuliacēsis, Theodericus Lossensis, Adolfus Montensis, Reginaldus Falcoburgensis, Comites, Guilielmus Duiuenordanus, Oisterhouti in Brabantia dominus, alijque proceres Germaniæ plurimi. Sed desperatâ expugnatione, ceteris domū reuersis, Eduardus Antuerpiam redijt: qua in vrbe vxor eius Philippa, Guilielmi Hannoniæ Hollandiæque Comitis filia, tum diuersabatur, in S. Michaëlis monasterio excepta hospitio. Regina hic filium peperit *Leonellum*, Ducem Clarentiæ, cognomento Antuerpianum. *Dinterus.* Academia Pisana instituitur, Pont. Max. adprobante. *Volaterr.* Textores pannorum Louanio ob seditionem hoc anno pulsos tradit Diuæus. Ludouicus Bauarus Imp. Bergensem tractus Rhenani prouinciam, itemque Gelriam Ducatus 1339.

titulo cohonestat. Ludouicus Caroli filius à Casimiro Poloniæ Rege successor eiusdem regni adoptatur, teste Funccio.

1340. MCCCXLI. Turris basilicæ S. Stephani Viennæ in Austria exstruitur. Absoluta est anno 1400. Argentinensis hanc superat 18. pedum altitudine. *Cuspin.* Benedictus XII. Papa Luchinum Vicecomitem, & Ioannem eius fratrem Mediolani Vicarios instituit, & biennio pòst Insubriæ præfecit. Platinam & Blondum lege.

1341. Andronicus Iunior Imp. Constantinopoli Kal. Iulij moritur: post quem IOANNES V. PALAEOLOGVS, Andronici F. & IOANNES VI. CANTACVZENVS, annos XVI. imperarunt. Nicephorus Gregoras historiam suam Romanam seu Byzantinam rebus hoc tempore gestis, & à se visis terminat ac claudit. Ludouicus primus Borbonij Dux, idemque Comes Claromontanus, S. Ludouici Galliæ Regis ex filio nepos, vitâ excessit, Lutetiæ in D. Francisci cœnobio conditus. Gratianopoli ab Humberto Delphino conuentus iudicum, à quibus iudicia sine prouocatione per totum Delphinatum ferrentur, instituitur ac collocatur. Eius postea nomen à Ludouico Galliæ Rege in Parlamentum est commutatum. *Vignierius.*

1342. MCCCXLII. Benedicto XII. Auenione defuncto, CLEMENS VI. Lemouicensis, Gallus, Papa renuntiatur. Amadeo V. Sabaudiæ Comiti succedit filius AMADEVS VI. anno ætatis nono. Roberto Siciliæ Rege mortuo, principatus Pedemontanus, qui Roberto paruerat, pro maiori parte in Amadei huius, & Iacobi Sabaudi Moreæ Principis potestatem concessit. *Dauid Bruseus*, Francia, vbi annos octo delituerat, euocatus, atque ad Scotorum regnum euectus, annis 29. regnat.

Pedemõtanus principatus Sabaudiæ accedit.

1343. MCCCXLIII. ROBERTVS Neapolitanorũ Rex & Prouinciæ Comes supremũ diem obit, litterarum studijs & amore clarissimus. Eius enim illa vox fuit: *Dulciores sibi litteras regno esse*, &, si altero carendũ sit, æquanimiùs se diademate, quàm litteris cariturum. Vide Petrarcham lib. 2. rerum memorandarũ, & alibi. Roberto in ditionibus successit *Ioanna*, eius ex Carolo Calabriæ Duce defuncto neptis, Andreæ Hungaro nupta. Quo apud Atellam, hodie Auersam, iussu coniugis, strangulato, nupsit Ludouico Tarentinorum Principi, Philippi, qui Roberti Regis frater fuit, filio. Quod quidem ob facinus à Ludouico Hungariæ Rege, Andreæ fratre, regno pulsa est. *Villaneus* & *Ritius*. Vectigal salis in Gallia instituitur. Philippus Nauarræ Rex moritur Cæsariani, ab obsidione Algeziræ rediens. *Ludouicus*, Caroli filius, Hungariæ Rex annos 40. fuit.

1344. MCCCXLIV. Pragensis archiepiscopatus in Bohemia instituitur, teste Mechouio. Adolfus Marcanus, Leodicensis Episcopus vita decedit: successit

fit Engelbertus Marcanus, fratris eius filius. *Dinterus.* Alfonsus Castellæ Rex Algeziram, Maurici in Hispania imperij sedem, longa obsidione fractam, obtinet: vt fusè Mariana commemorat.

MCCCXLV. Guilielmus Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ Comes, commisso cum Frisonibus prælio, V. Kal. Octobris perijt. Successit *Margarita* soror eius, Ludouici Imp. coniux: quæ mox filium suum *Guilielmum* istis ditionibus præfecit: vt Dinterus & Meyerus referunt. 1345.

Gualterus Athenarum Dux appellatus, menses decem Florentiam vi tenet. Eam exinde Angelus Acciolus in libertatem vindicauit.

Annus MCCCXLVI. nobilis exstitit prælio Cerssiacensi, in agro Pontiuo, apud Caletes inter Philippum Gallorum & Eduardũ Anglorum Reges, 26. Augusti commisso. Cecidere illâ in pugnâ triginta fere hominum millia, teste Froissardo; in his Ioannes Bohemiæ Rex, Rudolfus Lotharingiæ Dux, Carolus Alenzonij Comes, Philippi Regis frater, Ludouicus Niuernensis Flandriæ Comes, quinque è Germania Comites Bohemum secuti, Auria & Grimaldus Ligurum duces, Comites Blesensis, & Haricuriæ, alijq́; proceres Franci magno numero. Eduardus Rex victor testatus est non viribus suorum, sed Dei solius beneficio tantas copias ab exercitu longè impari deuictas. Plura qui volet, Ioannem Villaneum Italum, Ioannem Froissardum Belgam, & Thomam Vualsingamum Anglum consulat. Ioanni Bohemiæ Regi *Carolus*, Rudolfo Lotharingiæ Duci *Ioannes*, Ludouico Flandriæ Comiti *Ludouicus Malanus*, filij, successêre. 1346. Cerssiacense prælium.

Clemens V. Pont. Max. Ludouicum Bauarum Imp. die Cœnæ Domini excommunicat, & Electores hortatur, vt alium ipsi in imperio sufficiant. Principes itaque postridie Kal. Iulij, in Rensensi villa, diœcesis Treuerensis, CAROLVM IV. Ioannis Bohemiæ Regis filium, eligunt; quibusdam tamen contradicentibus. *Onufrius.* Heidelbergensis Academia à Ruperto II. Comite Palatino Rheni, Bauariæq; Duce excitatur. Alij eius initia (aut fortasse instaurationem) referunt ad annum 1387. Mense Iunio Abbas S. Nicasij, Legatus pontificius, Leodicum venit, controuersiam collegij seu Capituli, vt vocant, cathedralis, cum Theoderico Hensbergensi, de Comitatu Lossensi, quæ decennio durarat, compositurus. Indictum Hasleleti colloquium, vbi legati Leodicensium, Engelberto Episcopo, Hensbergensi Comitatum Lossensem in feudum concedenti, adsensêre. Qui quidem legati domum reuersi cùm essent, parum abfuit quin ab irata plebe discerperentur. Id factum ita displicuit Engelberto Episcopo, vt varijs Principibus in auxilium accitis, bellum Leodicensibus intulerit. *Dinaeus.* Carolus IV. Imp.

MCCCXLVII. Triduo pòst Cerssiacense prælium Eduardus Angliæ Rex Caletum, opidum munitissimum, vnde est breuissimus è Gallia in Britanniam 1347.

tanniam traiectus, obsidere cœperat. Id fame exhaustum vndecimo demum obsidionis mense obtinuit, nouamque protinus Anglorum coloniam in oppidum deduxit. Paruit autem Caletum Anglo annis fere ducentis & duodecim; donec Franciscus Guisiæ Dux anno 1558. Francis restituit. In his porrò rerum angustijs, dum Caleti obsidio trahitur, Philippus Rex, vexillum ex auro & purpura compositum, cui *Flammulæ* nomen erat (quod non nisi difficillimis temporibus fieri solebat,) è templo S. Dionysij eduxit, atque equitum millia decem, peditum triginta versus Caletum duxit, nec tamen obsidionem soluere potuit. De Flammula fusè Massonus lib. 3. Annalium Galliæ. Ludouicus Bauarus Imp. ex venatione rediens, apoplexia corripitur, & equo lapsus paullo pòst moritur, XI. die Octobris, Monachij in Bauaria sepultus. *Onufrius & alij.* S. Iuonem presbyterum Britanniæ Aremoricæ, qui pro Christi amore caussas pupillorum, viduarum ac pauperum tueri solebat, Clemens VI. inter Diuos recenset. Nicolaus Luceburgius, Caroli Imp. frater, fit Patriarcha Aquileiensis. *Onufr.* Ioannes Villaneus, ciuis Florentinus ad hoc tempus scripsit Annales Florentinos, qui exstant: eiusque exemplo Matthæus Villaneus, illius frater, res sui temporis memoriæ mandauit, ab anno 1348. ob pestilentiam nobili, exorsus.

Flammula Gallorũ vexillum.

1348. MCCCXLVIII. Pestis grauissima per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam reliquasque prouincias sæuijt. Florentiæ centena hominum millia Bocacius, Lubecæ nonaginta millia perijsse Funccius testantur. Cæsaraugustæ in Hispania mense Octobri in rationem Libitinæ trecenta quotidie funera venisse scribit Mariana. Auenione in Gallia innumerabiles periêre: in qua vrbe pietatis Christianæ maxima tunc erga miseros opera Clemens VI. exhibuit. Meminit huius acerbissimę luis Petrarcha non vno loco. Simon à Cassia, quod est Hernicorum in Italia opidum, cognomento Fidatus, ordinis Eremitarum S. Augustini, cuius exstant libri De rebus gestis CHRISTI Saluatoris, Florentiæ postridie Kal. Februarij moritur. *Iosephus Pamphilus.* Ludouicus & Ioanna, Reges Neapolitani, coniuges, dum ex Gallia Neapolim reditum parant, Clementi VI. Pont. Max. vendunt omne ius, quod Ioanna in Auenionē & Comitatū Venuxinū habebat. Id emtum fuisse tricies mille Florenis aureis Matthæus Villaneus lib. 1. Annaliũ refert. Pertinuerat autem hactenus ea ditio ad Neapolitanos Reges, à Regibus Francorum oriundos. His temporibus *Ludouicus* Claromontis Comes Alfonsi Cerdæ, cognomento Exheredis, ex Ludouico filio, nepos, classem in Catalaunia, ad Fortunatas insulas occupādas, instruxit; Regis Aragonij auxilio & Clementis Pontificis Romani concessu, qui ei ante biennium insulas istas adtribuerat, eâ lege vt barbaris gentibus Christianæ religionis lumen inferendum curaret. De earum insularum situ, natura, numero, & quo tempore sub ditionem Regum Castellæ concesserint, pauca vt exponamus, res videtur postulare. Egressis Gaditani freti fauces ad læuam in mari Atlantico

Auenio venditur Pontifici.

lantico iacent, numero septem, ab Occasu ad Ortum ordine porrectę, à media cæli lineá septimo & vicesimo gradu distantes. Quæ maxima est *Canaria* vocatur, indeque ceteris eadem appellatio facta. Solum frugibus & pecori bonum: aduectorum cuniculorum multitudo tanta, vt exitio vineis & segetibus sit, aduexisseque pæniteat. In ea cui *Ferraria* nomen est, nulla terra aqua, præter eam, quæ ex arboris folijs, liquitur: mirá naturæ ac reconditá varietate. Ludouicum sanè, cui ab eo conatu *Fortunæ* cognomen est factum, quamuis classe comparatá, imperioque adtributo, in eas insulas numquam traiecisse constat. Bella Gallica cladesque Philippo Regi Galliæ ad Cresiacum inflicta impedimento fuère. Post quinquaginta circiter annos Cantabri & Bætici, collatis sumtibus, ad eam expeditionem excitati, in eas insulas classe appulerunt, prædæ auidiores quàm imperij, ferro flammaque minitantes insulanis. Ex *Lanceroto* prædæ vis magna in Hispaniam aduecta Regibus eas insulas subiugandi cupiditatem iniecit: impliciti tamen rebus alijs, eo conatu destiterunt. *Ioannes Bentacurtus*, homo Gallus, *Henrici* eo nomine tertij Castellæ Regis permissu, eaque lege, vt in eorum Regum clientela fideque esset, repetitá nauigatione quinque minores insulas imperio subdidit, duas reliquas expugnare non potuit, insulanorum numero & virtute defensas. Episcopus genti datus *Menatus* nomine: hunc inter & *Menautum* Bentacurti heredem cùm non satis conueniret, & res ad arma spectaret, indignè ferente Episcopo miseros insulanos prædæ haberi, nullâ æquitatis curâ, nullâ religionis reuerentiâ; *Petrus Barba* à Rege Castellæ eò dimissus, earum insularum imperium sibi adseruit, ac deinde Perasæ homini copioso pretio vendidit. Perasæ gener *Ferrerius* in regium ètiam nomen inuasit.

Canariam tamen & *Tenarifem* subiugare non valens; quattuor insulas *Ferdinando* Regi Catholico tradidit, acceptâ pecuniâ, vnius *Gomeræ* principatu, Comitisque appellatione contentus. Ab eo Rege, vt fuit inter Hispaniæ Reges felicissimus, omnes eæ insulæ, repetitis nauigationibus, in ius ditionemque Regum Castellæ sunt redactæ. *Mariana.* De his insulis Petrarcham audire loquentem libet: *Prætereo Fortunatas insulas, quæ extremo sub Occidente, vt nobis & viciniores & notiores, sic quàm longissimè vel ab Indis absunt vel ab Arcto. Terra multorum, sed in primis Flacci Lyrico carmine nobilis, cuius peruetusta fama est recens. Eo siquidem & patrum memoriâ Genuensium armata classis penetrauit, & nuper Clemens VI. illi patriæ principem dedit, quem vidimus Hispanorum & Gallorum Regum mixto sanguine generosum quemdam virum. Qui, meministi enim, dum eo die corona ac sceptro per vrbem spectandus incederet, repente tantus cælo imber effluxit, atque ita domum madidus redijt, vt omen esset incubuisse illi verè pluuialis & aquosæ patriæ principatum. Cui quidem in dominio extra orbem sito, qualiter successerit, non noui: scio tamen quòd multa scribuntur & feruntur, propter quæ non plenè Fortunatarum cognomen terrarum fortuna conueniat.*

Fortunatæ insulę, vulgò Canariæ.

Lib. 2. de vita solitaria.

Ioannes Andreas, Bononiensis I.C. præstantissimus, *Tuba Iuris Canonici* nuncupatus, VII. Iulij in patria moritur. Ioannes Hoxlemius, cathedralis 1348.

Ecclesiæ Leodicēsis Canonicus ac Scholasticus, & ad D. Petri eâdem in vrbe Præpositus, ab an. 1246. vsque ad hunc annum, Leodicensium Antistitum historiam deduxit; exstatque ms. Leodici & alibi. Mense Nouembri, Henricus Dux Lemburgi & Machliniæ dominus, Ioannis III. Brabantiæ Ducis filius, Louanij in arce moritur. Godefridus verò frater eius paullò antè in Francia decesserat. *Dinterus & Diuæus.*

1349. MCCCXLIX. Carolus IV. Romanorum Imp. III. Kal. Martij, Brabantinis dat priuilegium, quòd vulgò Bullam Auream nuncupant: exstatque apud Dinterum & alios. Guntherus Rex Romanorum in schismate contra Carolum IV. Imp. IV. Non. Februarij creatur. *Onufr.* Philippus Valesius Galliæ Rex Viennensium prouinciam, quæ secundo Rhodano procurrit, Montem-Pessulanum quoque, claram vrbem Volcarum, exiguo ære coëmit. Idque ita gestum est. *Humbertus Delphinus*, prima iuuenta mollis, Turcici belli curam suscepit, neque publicè, neque sibi vtilem: nihil enim memorabile gessit. Nihilominus tamen Pontifici Romano Viennensem prouinciam pro Florenorum aureorum centenis millibus oppignorauit. Postulabat solutionem Pontifex: ille amissâ vxore & vnico filio, pertæsus imperij, ditionem suam, quæ Imperij regnique Arelatensis hactenus fuerat, Philippo hoc anno IX. Kal. Maias vendidit, eâ inter ceteras lege, vt Philippus Regis filius, aut nepotum aliquis, cui Rex Viennensem prouinciam adtribuisset, Delphini titulum, atque insignia retinere iuberetur: quod à *Caroli V.* temporibus, qui Delphini nomen post Humbertum primus tulit, obseruatum constat. Humbertus autem, soluto ære alieno, monasticam inter sodales Dominicanos professus est: postremò Aquileiensis Patriarcha à Clemente PP. designatus, eo in honore decessit, vt carmen in eius tumulo indicat, qui Lutetiæ visitur in templo S. Dominici. Hæc vbi de emtione Viennensis prouinciæ Matthæus Villaneus narrauit, adijcit Regem maioris Balearicæ, cùm à subditis insulâ exactus esset, & copias ad eam recuperandam absque præsenti pecuniâ cogere non posset, Perpennianum, à Perpenna ciue Romano conditam vrbem, Philippo oppignorasse & Montem Pessulanum, cuius magnâ ex parte dominus erat, exiguo pretio distraxisse. Meminit huius rei Petrarcha epistola ad Guidonem VII. lib. X. Rerum senilium. Nec videtur omittendum, in vrbe Montis-Pessulani, Iurisprudentiam floruisse ante Accursij, Bartoli & Baldi tempora. Nam Azo istis antiquior scribit, *Placentinum, præclarum & famosum Iurisperitum, apud Montem-Pessulanum super Codice & Institutionibus Summam laudabilem composuisse.* Atque ipse Azo, præfatione ad lib. X. Cod. Iustinianei, agnoscit se eodem in opido & scripsisse plurima, & ius ciuile interpretatum fuisse. Eudoni Burgundiæ Duci ac Comiti Philippus nepos, adhuc infans, in Ducatu & Comitatu Burgundico succedit, *Vignierius.*

Delphinatus ac Viennensis prouincia regno Galliæ accedit.

Mons itē Pessulanus.

Azo & Placentinus, Iureconsulti.

In

MCCCL. In Hollandia duæ pestilentes factiones, *Houc* & *Cabeliau*, exoriuntur: quales ferè in Italia Guelforum & Gibellinorum fuere. *Houc* idem est quod hamus; *Cabeliau* piscem asellum significat, qui hamo capi solet. Dissidium grande tunc erat inter Guilielmũ Hollandiæ Hannoniæque Comitem, & matrem eius Margaritam, Ludouici Imp. viduam. Pars nobilitatis, quæ *Cabelianci* vocabantur, filio; *Houci* autem matri adhærebant. Factiones eæ in primis calamitosæ Batauis exstitêre. *Meyerus*. Annus hic aliquot Regum obitu nobilis fuit; in his Alfonsi XI. castellæ Regis, cui filius *Petrus* successit: Philippi item Valesij, eo nomine Sexti Galliæ Regis, quem filius natu maior *Ioannes* excepit. Initio regni suo Ioannes Rudolsum Magistrum Equitum recens ex Anglia reuersum in vincula conijci mandauit. Is erat Comes Gisnensis siue Guinensis, quem bello captum Eduardus Rex in Angliam transuexerat. Patriæ & libertatis desiderio pactus est, si redire in Galliam permitteretur, numeraturum Anglo aureorum octoginta millia; aut si id præstare non posset, Comitatus Guinensis veteri possessione ac iure vltrò decessurum. Cùm id pactum Regi & intimis eius non placeret, illum accusant proditionis, damnatumque in ipso carcere obtruncant. Accidit postea vt arx Guinensis custodis proditione ab Anglis caperetur, vtque custos domum reuersus equis in diuersa actis laceraretur. Ne huius quidem supplicio contentus Rex, de arce & Comitatu tempore induciarum occupatis, apud Clementem Pontificem questus est. Anglus exceptione pacti defendebatur, quod cum Rudolfo initum adserebat. Igitur spe sua deceptus, mille quingentos equites, & tria peditum millia, magna ex parte Italorum, ad arcem obsidendam misit. Qui in præsidio erant, egregia virtute resistebãt, quòd auxilium breui adfuturum ex Anglia non dubitarent. Qua in re Eduardus arte vsus est, vt exercitus noctu Caletum appelleret, vnde egessus atque improuisò adortus obsidentes, eos noctu quoque in fugã vertit. Hac victoriâ contentus Eduardi legatus, copias omnes in Angliam transmisit, anno 1352. mense Iunio. Hæc de Rudolfi supplicio, & bello ab Guinensem Comitatum exorto ex Matthæo Villaneo narrat Massonus. De huius Comitatu initijs nos suprà anno 1205. diximus. Eduardus III. Angliæ Rex ordinem Equitũ Garteriorũ, S. Georgio, bellorum præsidi, sacrũ instituit: sic dictũ à fasciola seu periscelide (Anglis *Garter*) in prælij, quod feliciter cesserat, tesseram ab eodẽ Rege data. Sic Guilielmus Camdenus in sua Britannia. Vulgus tamen credit, equestre istud collegium suam debere originem fasciolæ heroidis *Salberinæ*, casu è tibia lapsæ, protinusque à Rege Eduardo peramante collectæ. Pro qua vulgi opinione facere videtur & titulus equestri fasciolæ aureis litteris inscriptus, *Hony soit qui mal y pense*, id est, *Confundatur qui malum cogitat*. Alij huius ordinis inventionem multò antiquiorem faciunt, & ad Richardum I. Regem referunt, Eduardumque non nisi reuocasse atque instaurasse volunt. Vide Origines nostras ordinum militarium. Ioannes Vicecomes Mediolanensis Bononiã occupat. Hugo Lusignanus Cypri Rex floret.

1350. Houc & Cabeliau factiones Hollandiæ.

Rudolfus Comes Gisnensis decapitatur.

Garteriorum Equitum origo in Anglia.

1351. MCCCLI. Ioannis Aragoniæ Regis filio, hoc anno feliciter nato, *Gerundæ* dominium, *Ducis* titulo, à patre datum est. Quod in morem ab hoc initio est susceptum, vt Aragoniæ Regis filio maiori eius vrbis imperium esset: Regum Galliæ æmulatione, quibus Humbertus Delphinus Viennensem prouinciam pretio vendiderat, eâ lege, vt eorum Regum filii maiores natu Viennensem prouinciam Delphini titulo obtinerent, insigniaque eius principatus gestarent. His ferè temporibus ordinem STELLAE, siue Equitum Stellatorum, apud fanum S. Audoëni, in agro Parisiensi *Ioannes* Galliæ Rex instituit. Cuius quidem fœderis Equites signum *Stellæ*, regia corona redimitæ, in toga, chlamyde vel galero præferebant. Fortè in memoriam diuini illius sideris, quod Reges siue Magos tres, ex Orientali tractu ad locum, Christo natalem, prælucentibus radijs adduxit. Quo quidem & illud Virgilij, poëtarum Principis non ineptè quis traxerit:

Ordo Equitum Stellatorum, in Francia.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum,
Astrum, quo segetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus vua colorem.

Lucerna & Glarona Tigurinis fœdere se sociant.

1352. MCCCLII. Genuenses bello Venetos vincunt. His ferè temporibus Ioannes Galliæ Rex detexit insidias sibi paratas à quibusdam proceribus Gallis, à quibus Eduardus Angliæ Rex stipulatus erat, vt illum occiderent. Proditores pœna secuta est, vt securi percuterentur. Exinde satellites circa se armatos habere cœpit, & extra regiam diu ac noctu peditum atque equitum numeros, rem decessoribus insuetam, inuisamque subditis, vt ex Matthæo Villaneo refert Massonus. Clementi VI. Papæ Auenione defuncto succedit INNOCENTIVS VI. Lemouicensis.

Satellites regij cur, & quando in Gallia introducti.

1353. MCCCLIII. Genuenses à Venetis ad Corsicam victi, se suaque Mediolanensi Archiepiscopo submiserunt.

1354. MCCCLIV. Vuencestaus Comes Luceburgensis, à fratre suo Carolo IV. Imp. & Bohemiæ Rege, creatur Dux Luceburgensis. Diploma cæsareum exstat apud Dinterum. Barnabas & Galeatius Vicecomites Mediolanensibus præsunt. Margarita Ludouici Malani Flandriæ Comitis filia vnica & heres, annos ferè quattuor nata, despondetur Philippo, Ioannis Galliæ Regis filio, annum ætatis septimum agenti. Ita Meyerus: at Vignierius & alij anno 1348, ista adscribunt.

1355. MCCCLV. Carolus IV. Rom. & Bohemiæ Rex, per duos Cardinales, ab Innocentio VI. Pont. Max. ad id designatos, Romæ in basilica Vaticana V. Aprilis, in festo Paschæ coronatur Imperator. *Dinterus* & *Onufrius*. Margarita Augusta, post transactionem cum filio Guilielmo Hollandiæ Zelandiæq; Comi-

Comite factam, Hannoniæ Comitissa, moritur, & Valentianis sepelitur. Ludouicus Siciliæ Rex, mense Iulio, Catanæ decessit. *Fredericus* frater moribus, ætate, ingenioque simplex successit: sicque Aragonijs ad eius insulæ imperium via rursus struebatur. *Mariana.* Bartolus à Saxo-ferrato, Iuris interpres præstantissimus, *Lucerna Iuris* nuncupatus, moritur Perusiæ, anno ætatis XLVI. sepultus ibidem apud Franciscanos. Alij anno demum 1359. obijsse volunt. Id constat, ipsum à Carolo IV. Imp. insigni argumento leonis, bicipiti cauda salientis, donatum esse. Marinus Phalerius, Dux Venetorum, cùm in statu Reipublicæ à maioribus tradito nescio quid mutare voluisset, seruilē in modum concursu populi tractus, & capite truncus hoc anno XIV. Kal. Maias occubuit, vt loquitur Petrarcha epistola ad Guidonem septimū, in libro Variarum. Nonis Decembris, Ioannes Brabantiæ & Limburgi Dux III. habitu monastico indutus, Bruxellis moritur, atque in eodem sepelitur, apud Villarienses, instituti Cistertiensis sodales. Successit Ioanna filia eius, Vuenceslao Duci Luceburgensi nupta. *Dinterus.* Matthæi Villanei, Florentini, historiarum liber quartus in rebus hoc anno gestis desinit. Ceteri eiusdem libri in aliqua Italiæ bibliotheca adhuc latent.

MCCCLVI. Carolus IV. Imp. *Bullam Auream*, vt vocant, pulcherrimas imperij leges continentem, Noribergæ in comitijs X. Ianuarij evulgat. XIII. Kal. Octobris inter Ioannem Galliæ & Eduardum Angliæ Regem prælium apud Pictauos committitur. Ioannes cum Philippo filio, & fratre Andegauensium Duce, Comitibusque aliquot captus, Burdigalam primùm, indeque in Angliam abductus est. Froissardum & Vualsingamum lege. 1356. Pictauiensis pugna.

MCCCLVII. Ioannes VI. Cantacuzenus Imp. cogente Ioanne Palæologo, imperio se abdicauit, & solus imperauit IOANNES V. PALAEOLOGVS, Andronici Iunioris filius, annos XXVII. *Onufrius.* 1357.

Ægidius Hispanus Cardinalis, Innocentij Papæ Legatus, opida ditionis pontificiæ in Piceno vicinisque agris, Ludouico Bauaro instigante, à tyrannis occupata, recuperat. *Blondus.* In vigilia Assumtionis Deiparæ, ciues Parisienses Virgini-Matri cereum rotæ circumflexum obtulerunt, tantæ longitudinis, quantæ esset turris altissima vrbis, vt die noctuque continuò arderet, pro Regis liberatione. *Massæus.* Gulielmus Marchio Iuliacensis à Carolo IV. Imp. Metis existente, creatur primus Dux Iuliacensis. Pomerium vrbis Louaniensis profertur, creatis octouiris, qui mœnium fodiendorum curam haberent. Opus omne biennio perfectum. Magnum sanè argumentum potentiæ opumque veterum Louaniensium. *Dinterus.*

MCCCLVIII. Gulielmus Bauarus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæque Comes, olim in matrem Margaritam Augustam admodùm durus, in phrenesim incidit, qua annos triginta ad extremum vsque vitæ diem la- 1358.

boraunt. *Meyerus.* Orchanes secundus Rex Turcarum moritur, succedit filius eius *Amurates.* B. Gertrudis Oistensis, virgo Beggina, Delfis Batauorum, in Domino obdormit. Vita eius exstat apud Surium, incerto, sed fideli auctore. Ceterùm BEGGINAS virgines, quarum apud Belgas plurimi hodieque pij conuentus perdurant, à *S. Begga*, Pipini Landensis (quem primũ Ducẽ Brabantiæ nuncupant) filia, & S. Gertrudis sorore, nomen & institutũ accepisse nonnulli existimant. Habuit autem Begga coniugem Ansigisum: quo defuncto, Romam religionis ergò se contulit, indéque reuersa, se & sua Deo mancipans, Andennæ ad Mosam fl. in agro Namurcensi, basilicas septem in honorem VII. Basilicarum Romanarum exstruxit, ibidemque anno 686. virginum monasterium excitauit ac dotauit, quod nobilium hodie virginum Canonicarum collegium: quibus, vt & alijs passim apud Belgas ac Germanos virginibus Canonicis illustri loco natis, itemque Begginis Belgicis, ad nuptias transuolare licet. Obijt porrò S. Begga anno 689. teste Sigeberto in chronico, Martyrologij Rom. tabulis ad diem 17. Decembris adscripta. Alij tamen Begginas *Lamberto Begio*, pio sacerdoti, qui an. 1170. apud Leodicenses floruit, initia sua debere arbitrantur. Ægidius certè Leodicensis, aureæ Vallis monachus atque historicus Leodicensis, ipsum velut auctorem prædicare videtur: *Temporibus*, inquit, *Radulfi Episcopi Leodicensis, cùm Simoniacis erroribus irretita teneretur Legia, & ijsdem contaminata fuisset, suscitauit Deus spiritum sancti cuiusdam viri sacerdotis & religiosi, qui* Lambertus le Begue, de S. Christophoro, *dicebatur: cuius cognomine mulieres & puellæ, quæ castè viuere proponunt*, Beguines *Gallicè cognominantur, quia ipse primus exstitit, qui eis propositum castitatis verbo & exemplo prædicauit.* Vt vt sit, pij ac religiosi Begginarum instituti auctor & princeps *S. Begga* habeatur, licet: eiusdem verò instaurator ac propagator *Lambertus Begius* prædicetur. Sed de his rebus alibi nos fusiùs.

Begginarum virginum origo.

1360. MCCCLX. Ioannes Galliæ Rex, numeratis florenorum sexies centenis millibus, & dimissâ Anglis Aquitaniæ possessione, alijsque in Gallia opidis, quæ Frossardus & Valsingamus recẽsent, ex Anglico carcere domum redijt.

Hoc eodem anno Ioannes Rex Ioannam filiam Ioanni, Galeacij Mediolanensium Vicecomitis filio, in matrimonium dedit, Comitatu Virtutum, qui in Belgica secunda situs est, dotis nomine adsignato, acceptisque vicissim à Galeacio sexies centenis aureorum millibus, in lytri sui Anglis debiti solatium. *Meyerus.* Græcis inter se dissidentibus, deque imperio dimicantibus, AMVRATES Turcarum Rex tertius, exercitu per Hellespontum traiecto, primus eius gentis ex Asia in Europam imperium transfert, Seston, Callipolim Chersonesum, & Hadrianopolim occupat, sedemque imperij Othomanici ea in vrbe collocat. *Leonclau.& Cranzemius.* Islandiæ insulæ, in Oceano Septemtrionali, incolæ à Noruegis subacti, ijsdem primùm, vt vocant, homagium hoc anno præstant: vt Arngrimus Ionas, Islandus, in suo de hac insula

com-

commentario commemorat. Islandi porrò hodieque Regi Daniæ ac Noruegiæ subsunt, qui Præfectum ad eos mittit, cui obtemperant. Olim Episcopis suis, nimirum Scalholtensi & Holensi, (quorum seriem Arngrimus idem recitat) in omnibus subfuerunt. Sunt autem ad Christi doctrinam conuersi, temporibus * Adelberti Bremensis Episcopi, qui ipsis petentibus Euangelij præcones misit: vt in historia ecclesiastica, quæ M. Adami nomine est excusa, legitur.

* Obijt is circa ann. 1070.

MCCCLXI. Pragensis Academia à Carolo IV. Imp. & Bohemiæ Rege instituitur. Ita Mechouius; alij ad an. 1367. nonnulli ad an. 1370. referunt. Iudæis in regnum Galliæ, ob ingentem auri vim, redire permittitur. *Massæus.* Philippus Burgundiæ Dux, Ioannis Galliæ Regis priuignus, XI. Kal. Decembris absque liberis decessit. *Ioannes* Rex illi in Ducatu successit, missusque est in possesionem, nemo contradicente (vt Nangiaci continuator refert) tum quòd ex Ioanna Eudonis Ducis sorore, & Philippi Ducis amita procreatus esset, tum quòd Ducatus ille, vt beneficiũ regni Galliæ, masculis cessantibus, iuxta legem Salicam, ad regnum Gallicum redijsse videretur. In Burgundiæ verò atque Artesiæ Comitatu, *Margarita* altera Philippi Longi Regis filia, & Ludouici Flandriæ Comitis mater, cùm adhuc in viuis esset, iure successit. Et sic Hugonis Capeti recta stirps mascula in Burgundiæ Ducatu cessauit. *Vignierius.* 1361.

MCCCLXII. Eduardus Angliæ Rex cognominem sibi filium, bello clarum, Aquitaniæ principatu, qui ab Ligeri ad Pyreneos protendebatur, donauit, tabulis hoc anno XIV. Kal. Augusti datis. *Massonus.* Innocentio VI. Papa Auenione mortuo, eligitur VRBANVS V. Mimatensis Gallus. 1362.

MCCCLXIII. Ioannes Galliæ Rex filium suum quartò genitum *Philippum* cognomento *Audacem*, Burgundiæ Ducem, primumq; Parem Franciæ creat, iure supremo Regibus Galliæ seruato, & Turonẽsi Ducatu ad se retracto. Litteras publicas desuper Germiniaci ad Matronam, die sexto Septembris hoc anno datas, recitat Massonus lib. 4. Annalium Galliæ. Carolus IV. Imp. cum Elizabetha, Bogislai Stolpensis Ducis filia, nuptias Cracouiæ celebrat, Hungariæ, Daniæ, Cyprique Regibus præsentibus. *Vuencestlaus* Bohemorum Rex à patre designatur. *Funccius.* Constantia Siciliæ Regina, Catanæ exstincta est, relictâ filia *Maria*, regni paterni herede, Aragonij Regis filio *Martino* nuptura. *Mariana.* Ioannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, nascitur XIV. Decembris, die S. Nicasij, vt ipse testatur. 1363.

MCCCLXIV. Ioannes Galliæ Rex, in Britanniam, ad visendos obsides Angliæ Regi suo nomine datos, traijciens, Londini V. Idus Aprilis moritur. Reliquit is *Carolum* V. in regno successorem, *Ludouicum* Andium & Cemano- 1364.

nomanorum Comitem, *Ioannem*, Biturigum Ducem, & *Philippum* Burgundiæ Ducem. Quâ lege duos istos Comitatus à patre Ludouicus acceperit, hæc verba ostendunt: *Damus & concedimus per præsentes, donatione purâ & simplici inter viuos in perpetuum valiturâ, Ludouico secundò genito nostro ad hæreditatem perpetuam pro se & suis heredibus, & liberis masculis ex carne sua, & libero matrimonio procreatis, & etiam nascituris, Comitatum Andegauiæ & Cenomaniæ, saluis & nobis retentis iuribus nostræ regaliæ, exceptionibus ecclesiæ, fide & homagio.* Quæ verba ex ipsis tabulis exscribere placuit, datis Caleti anno 1360. quæ in scrinio regio adhuc visuntur: eamque legem Ioannes primus in familiam suam intulit, & posteri agnoscunt regno planè vtilem fuisse, atque eâ factum, ne opulenti dominatus ad extraneos transierint, feminis successione exclusis. Ceterùm *Carolus* V. cognomento *Sapiens*, mense Maio insigne regium sumsit; Petro Cypri Rege, & proceribus Galliæ præsentibus, & Ioanne Craonio, Remorum Archiepiscopo, sacris operante. Simul ac verò potitus est regno, donationem Ducatus Burgundiæ, *Philippo* fratri a Ioanne patre factam laudauit: tabulis desuper, in Lupara apud Parisios, die secunda Iunij hoc anno datis, quas Massonus Annalium lib. 4. recitat.

Ludouicus Regis Galliæ secundò genitus fit Dux Andegauensis.

1365. MCCCLXV. Ordinem monachorū S Hieronymi in Hispania sub regula S. Augustini hoc anno institutum tradit Onufrius in chronico. De ijsdem Mariana lib. 17. rerum Hispaniæ. *Anno ferè 1374. Octobris die quintodecimo, Gregorio Pontifici ratio viuendi probata est, quam ij monachi consectantur in Hispania, quibus à D. Hieronymo nomen est, copijs, ædificiorum amplitudine, diuinas laudes concentu suauissimo decantandi studio, clausuræ patientia præcipui præ ceteris atque præstantes, natiuis lanarum coloribus, extrà Veneto, intus candido, distincti. Quidam viri Itali pietatis studio incensi, non procul Toleto domicilium constituerunt, ab hominum conuentu secretum. Horum vitæ genus, propter excellentem sanctitatis opinionem, æmulati alij sese illis adiunxerunt. Viri in eo numero primarij Ferdinandus Iuanius, templi Toletani Canonicus, Pechæ fratres, Alfonsus & Petrus: hic regius cubicularius, ille Genuensis Episcopus. Primùm huic ordini monasterium, legibus institutisque temperatum, propè Caracam, supra Lupianum pagum. Regum Principumque munificentiâ deinde multa alia fundata sunt. Ab his Isidoriani monachi prodierunt annis consequentibus.*

1366. MCCCLXVI. *Petrus* Lusitaniæ Rex moriens *Ferdinandum* filium habuit successorem.

Lazarus Seruiæ & Bulgariæ Princeps, dum Hadrianopolim recuperare conatur, ab Amurate Turcarum Rege ingenti prælio vincitur. *Leonclauius.*

Philippus Audax Ducatus Burgundiæ possessionem adit, Vignierio & Heutero testibus.

1367. MCCCLXVII. Ordo IESVATORVM à S. Ioanne Colūbino Senensi, in patria incohatus, ab Vrbano V. Papa confirmatur; Onufrio & Ciaconio

nio testibus. Hoc ipso anno idem Columbinus ad Dominum migrauit, & quiescit in monte ac cœnobio S. Abundij, quod est virginum Benedictinarum, apud Senas, à Pipino Rege Italiæ, Caroli Magni Imp. filio, exstructū. Friburgenses bello aduersus Egonem Kiburgensem Comitem suscepto, illū cogunt, Comitatum Friburgensem Austriacis vendere. Postea autem Friburgenses magno sese ære ab Austriacis redemerunt. *Vignierius.*

MCCCLXXIX. Petro Castellæ Regi, ab Henrico fratre notho, victo ac cæso, idem *Henricus* II. cognomento *Munificus*, in regno successit. 1369.

Philippus Audax Burgundiæ Dux, cum Margarita Ludouici Malani Flādriæ Comitis filia & herede matrimonium contrahit. Ciuitates Hanseaticæ Vualdemarum Danum regno pellunt; teste Funccio.

MCCCLXX. Ordo S. BIRGITTÆ, qui est sexus vtriusque, ab eadem nobilissima ac sanctissima femina, natione Sueca, institutus, ab Vrbano V. Papa confirmatur Auenione. *Onufrius in chron.* Vide infrà à nobis ad an. 1373. dicta. Ioannes Vuiclefus, Anglus, ingenio, ob negatum episcopatum Vigorniensem, abutens, varios errores, ex Marcionis, Manichæorum aliorumque damnatis olim somnijs haustos, scriptis libris hoc ferè tempore promulgat. Huius discipulus fuit Ioannes Hussus, qui Vuiclefi libros & errores in Bohemiam attulit. Hoc anno Dauidem Scotorum Regem obijsse scribit Ioannes Maior; succedente *Roberto,* Dauidis ex filia nepote, qui primus Stuartorum apud Scotos regnum obtinuit. Eius progenies ad nostram vsque ætatem sceptrum ibi gestauit. Froissardus vult anno demum 1373. Dauidem vitâ excessisse. Vrbano V. Papa 19. Decembris Auenione defuncto, GREGORIVS XI. Lemouicensis, 30. die mensis eiusdem subrogatur. 1370. Ordo S. Birgittæ.

MCCCLXXI. Ludouicus Hungariæ Rex pronuntiatur Rex Poloniæ, regnatque annos duodecim. Petro Lusigniano Cypri Regi succedit *Petrinus.* Ioannes Mandeuilius, Eques Anglus, medicæ artis professor, toto penè orbe lustrato, Leodici moritur, & apud Guilielmitas sepelitur. Itinerarium eius vulgi manibus teritur. 1371.

MCCCLXXII. Turlupinorū secta, alio nomine *Sodalitas paupertatis* dicta, damnatur atque abolетur, librique eorū Parisijs publicè cremantur. *Meyerus.* Margarita, Ioannis Lotharingiæ Ducis coniux, nullà prole relictà, moritur, & in Aurea-Valle, Cistertiensis ord. apud Leucos monasterio sepelitur, hac inscriptione historicâ adiunctâ. *Hic iacet præstantissima & illustris Domina Margareta, suo tempore Comitissa de Loz & Chiny, Ludouici quondam Comitis de Chiny eius nominis quinti, & Ioannæ Blamont Comitissæ vnica filia. Quæ fuit postea Serenissimi & Illustrissimi Principis Ioannis Ducis Lotharingiæ vxor, qui Parisijs veneno* 1372.

t ueno

neno vitam finijt à suis præparato, cùm Neapolim versus iter meditaretur, ipsa die Cosmæ & Damiani, anno 1382. Quæ quidem Margareta ex vita decessit absque liberis ipso die D. Remigij, anno 1372. & hic sepulta quiescit: & quia sola vera heres remanserat, duo supradicti Comitatus, fidelitatis caussâ, diuisi alter ab altero fuêre. Primum, de Loz scilicet, vsurpauit Adulfus à Marca, Leodicensis tunc temporis Antistes, post mortem Ludouici Comitis, prædictæ Margaretæ patris, qui obijt pridie D. Sebastiani, anno 1330. vtpote quem eius auus Arnulfus, posteritatis spe destitutus vel diffisus, Hugoni antea Antistiti, sponte in ara Diuo Lamberto sacra obtulerat. Alter verò à morte prædictæ Margaretæ recidit in potestatem Vuenceslai Luxemburgensis, Brabantiæ & Limburgensis Ducis. Deus sit illi propicius. Amen.

1373. MCCCLXXIII. S. Birgitta, vulgò Brigitta, vidua regijs in Suecia natalibus orta, pòst varias peregrinationes sacras, & ordinē religiosum vtriusque sexus à se institutum, Romæ septuagenaria in Domino obdormit, à Bonifacio IX. Diuis an. 1391. adscripta, & ex Vrbe in Suetiam, ad Vuastzenense monasterium à se fundatum postmodùm translata. Res eius gestas publicauêre Bonifacius IX. in diplomate canonizationis, vt vocant, Iacobus Episcopus Lincolniensis & Surius.

1374. MCCCLXXIV. Franciscus Petrarcha, Florentinus, Philosophus, Orator & Poëta clarissimus, Latinarum litterarum instaurator, in montibus Enganeis moritur, annos LXX. natus.

1375. MCCCLXXV. Ioannes Bocacius, Florentinus, Philosophus, Astronomus & Poëta moritur. *Volaterr.* Viluordiæ, secundo milliari à Bruxella, Vuenceslaus Brabantiæ & Luceburgi Dux arcem exstruere cœpit: quæ nobilium apud Brabantos virorum, si quid commisissent, postea carcer fuit; vt apud Flandros arx Rupelmundana.

1376. MCCCLXXVI. Gregorius XI. Pont. Max. beatæ Catharinæ Senensis virginis hortatu litterisque potissimùm incitatus, hoc anno XIII. Septembris Auenione (in quam Galliæ vrbem Sedes Romana per Clementem V. ante annos septuaginta fuerat translata) discessit, & Romam versus iter instituit. Quod quidem Gregorij Papæ Itinerarium Petrus Amelius Alectensis, in Gallia Narbonensi, Augustinianus, Episcopus Senogalliæ descripsit, & * Papirius Massonus ex veteribus membranis euulgauit. Intrauit autem Romam Gregorius XVII. Ianuarij anno proximè sequenti. Margarita Vualdemari filia cum *Olauo* filio apud Danos & Noruegos annis 12. regnat. Vuenceslaus, procurante patre Carolo IIII. Francofurti ab Electoribus appellatur & coronatur Rex Romanorum, XII. Iunij, ætatis XV. anno. *Cuspin.*

* *Lib. VI. hist. Pont.*

Eduar-

MCCCLXXVII. Eduardus III. Angliæ Rex, Galliæ flagellum, cùm annum ferè vnum, filio suo natu maximo *Eduardo*, Vualliæ & Aquitaniæ Principi supervixisset, moritur; Richardo II. dicti Eduardi Aquitanici filio, annos vndecim nato, in regno succedente. XVI. die Nouembris, *Plamme*, id est æstus maris accedens seu crescens, ventorum tempestate adauctus, Plamingis seu Flamingis graue damnum intulit, pagis ampliùs septemdecim apud Birflitum & Ostburgum demersis. Sic Meyerus. Sunt qui Flamingos siue Plamingos à Plamme dictos suspicentur. Sed Flandrarum & Flandrorum potiùs quàm Flamingorum nomen apud veteres receptum est: cuius etymon alijs exponendum relinquimus. *Richardus* II. Angliæ Rex annis 22. imperat. 1377.

MCCCLXXVIII. Gregorio XI. Papa VI. Kal. Aprilis Romæ defuncto, VRBANVS VI. Neapolitanus V. Idus Aprilis subrogatur. Contra quem in schismate Clemens VII. Gebennensis, Episcopus Cameracensis, Fundis in Campania à XV. Cardinalibus XIII. Kal. Octobris, est creatus. Quod quidem schisma, omnium longissimum, annis quinquaginta est continuatum. *Onufrius.* 1378.

Carolus IV. Imp. moritur Pragæ, XXIX. Nouembris, imperij anno XXXII. vt Nauclerus, Cuspinianus, Auentinus & alij testantur. Succesit filius eius VVENCESLAVS, homo ignauus. Alberti Argentinensis chronicon desinit.

MCCCLXXIX. Ioannes Taulerus Coloniensis, Theologus & scriptor asceticus, moritur Argentorati XV. Iulij. Henricus Castellæ Rex in D. Dominici Calsadij vrbe III. Kal. Iunij, decessit, cùm annos sex & quadraginta vixisset. Vestis Dominicani ordinis morienti defunctoque induta est. Id eius voluntati atque amori, quo eum ordinem complectebatur, ob D. Dominici gentilis sui memoriam, datum est: & Regibus solenne erat ex eo numero & ordine sacerdotes deligere, quibus conscientiæ vulnera detegerent ac procurarent. *Mariana.* Quem morem hodieque Reges Hispaniæ seruant: Reginæ autem Franciscanæ familiæ sodales, expiandæ conscientiæ, sibi ferè deligunt. Guilielmus Bauarus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæque Comes moritur, & succedit *Albertus* frater eius. Senatores septemdecim à plebo Louaniensi è fenestris curiæ præcipites dantur, quos infernè lanceis spiculisque exceptos crudeliter dilaniarunt. Præcipui sceleris auctores quattuordecim in Cyprum relegati sunt, iussu Vuenceslai Brabantiæ Ducis. Qui quidem Louanienses iterum ferocientes cùm an. 1362. obsedisset, & veniam certis legibus indulsisset, nonnulli pœna adfecti, plures metu patriam deseruerunt, & præsertim lanifices; qui in Angliam migrarunt, & gloriam pannificij eam in insulam intulerunt, aut valdè quidem auxerunt. *Diuaus* & *Lipsius.* 1379.

Confessarij Regũ Hisp. ex ordine Dominicano.

1380. MCCCLXXX. S. Catharina Senensis, ordinis S. Dominici ad Dominum migrat, à Pio II. an. 1461. cælitibus inserta. Vitam eius scripsère B. Raimundus Capuanus, Ioannes Tolosanus & alij. His ferè temporibus tormentum æneum, quod à bombo seu sonitu, & ardeo, *Bombardam* vocant, à Bertholdo Nigro, homine Germano, medicæ ac chymicæ artis studioso, inuentum tradunt Polydorus Vergilius & alij. Hieronymus Zieglerus, in illustrium Germaniæ virorum historia, scribit Bertholdum istum fuisse monachum, professione Franciscanum, machinæque istius fabricam circa annum 1354. excogitasse. At si vera sunt, quæ Polydorus commemorat, iudicet lector, quâ fide hæc à Zieglero adserantur. Ait namque Polydorus, Germanũ hominem, admodùm ignobilem, eius inuentorem haberi: cui casu in mentem venerit, tale quid efficere, cùm medicinæ faciendæ caussâ, aliquando puluerem sulphureum in mortario seruasset: eiusque vsum Venetis in illo bello primùm ostendisse, quod ad Fossam Clodiam cum Genuensibus an. 1380. gesserunt. Atque vt de annorum discrepantia nihil dicam, quis Germanum monachum Venetorum se bello immiscuisse crediderit? Aut si ita quis esse contendat, quæ est illa, quæso, Venetorum historicorum scriptorumque ignauia, vt tam prodigiosam tamque pestilentem machinã à monacho inuentam, suisque traditam non commemorent? Sed de his rebus nos in Auctario ad Polydori Vergilij libros De rerum inuentoribus fusiùs egimus. Illud tamen hoc loco silendum nequaquã existimo, Louanienses, olim Brabantos inter potentissimos, an. 1356. primùm bomdardis vti cœpisse, & triginta duas publico ære tum emtas, ac vulgò *Donderbussen* ab horrendo fragore vocitatas: vt in suis Rerum Louaniensium libris, quos mss. adseruo, Diuæus ex archiuis publicis commemorat. Ioannes verò Mariana narrat, Algezirâ ab Hispanis anno 1343. obsessâ, cùm tormentis tela lapidesque à nostris excuterentur, Mauros ex vrbe contrà ferreos globos cum igne & fragore, puluereque tormentario fuisse iaculatos, magno nostrorum damno. Additque tormenti huius mentionem tunc primùm in historia à se obseruatam. Ordo Fratrum eremitarum S. HIERONYMI instituitur, in agro Vrbinate, à B. Petro Gambacita, Pisano. *Onufr.* Ludouicus Hungariæ Rex adeò Venetos bello adflixit, vt eos sigillum publicum mutare, atque à titulo Dominorum maris abstinere coëgerit. *Massæus.* Post Caroli V. Regis Galliæ excessum, *Carolus* cognominis filius, nondum pubes, regnum adipiscitur.

De inuentoribus rerum lib. 2. c. 11.

Ordo eremitarum S. Hieronymi.

1381. MCCCLXXXI. Ioannes Rusbrouchius, cùm annos plurimos Bruxellis in D. Gudilæ templo sacerdotium habuisset, pieque vixisset, iam sexagenarius, cum sodalibus aliquot sæculo valedicens, in Viridi-Valle, Canonicorum regularium habitum induit, ibidemque anno ætatis octogesimo octauo in Domino obdormiuit. Vitam eius scripsit Henricus Pomerius, eiusdem monasterij sodalis. Ceterùm agente Petro Aliaco, Episcopo Cameracensi, mona-

monasterium istud Viridis Vallis, itemque Rubræ Vallis, cum alijs quinque Brabantiæ cœnobijs, an. 1413. Capitulo seu congregationi Vuindeshemensi se adsociauit.

MCCCLXXXII. Ioanni Lotharingiæ Duci succedit *Carolus II.* filius. 138

MCCCLXXXIII. Amadeus VI. Sabaudiæ Comes, cùm annos quadraginta suis præfuisset, postridie Kal. Martias, vita decessit. Is ordinem Equitum ANNVNTIATIONIS ANGELICAE apud Allobroges instituit: de cuius initijs ac caussis ista habe. *Amadei IV.* cognomento *Magni*, Sabaudiæ Comitis potissimùm virtute ac fortitudine, anno ferè 1309. (variant enim scriptores) ipso Assumtionis Virgineæ festo die, *Rhodum* insulam Turcis ereptam, Christoque adsertam, passim memorant historiæ. Atque ex eo quidem tempore Sabaudiæ insignia, quæ eadem & Imperij erant (Saxoniæ Ducum, ex quibus Sabaudici proceres orti, insignibus hactenus interstincta) scuto Equitum Hierosolymitanorum S. Ioannis, cruce scilicet argentea in rubri coloris clypeo, ipsis petentibus Equitibus (qui Rhodo insula ab Imperatore Constantinopolitano tunc donati, Rhodij pòst Equites dicti fuere) in nauatæ virtutis præmium sunt decorata. Ortum insuper ab ista Rhodi expugnatione, illud quattuor litterarum symbolū, F. E. R. T. Sabaudiæ regulis hodieque proprium. Cuius quidem symboli variæ traduntur interpretationes, sed ista omnium verissima, *Fortitudo eius Rhodum tenuit.* Equestre porrò sodalicium, in honorem Annuntiationis angelicæ, *Amadeus* eo nomine *Sextus* Sabaudiæ Comes instituit, primæ nobilitatis viris XIV. adlectis: quos aureo singulos torque donauit, ex quo laciniæ aliquot pendentes, & nodis, vt vocant Sabaudicis inter se connexæ dictionem istum F. E. R. T. Amadei Magni, vt diximus symbolum, singulæ repræsentabant, imagine Virginis MARIAE, ab angelo salutatæ, appensâ. Idem porrò Amadeus paullo pòst Carthusianorum, loco qui *Petri Castelli* nomine innotescit, monasterium insigne construxit: in quo pro illius sodalitij Equitū salute perpetuæ ad Deum preces funderentur. Statuitque vt quotannis festo Annuntiationis Deiparæ die, Equites omnes ad sacra ibidem simul celebranda conuenirent; vtque in defunctorum tunc locum alios Sabaudiæ Princeps sufficeret. Hæc ferè Paradinus & Vanderburchius. Ceterum Amadeo VI. successit filius *Amadeus VII.* Angli copiosissimo exercitu Flandriam inuadunt: Ipram tamen obsessam acerrimeque oppugnatam expugnare non potuerunt: populo Deiparæ auxilium die Sabbathino multis precibus ac lacrymis efflagitante. Hinc dies octauus mensis Augusti hodieque Iprensibus est sacer, feriæque Sepis celebrantur; quòd vrbs intra sepem seruata sit. Habebat enim sepem spinosam ac densam, cum muro cespiticio altisque fossis. *Meyerus.* 138

Ordo Equitum Annuntiationis angelicæ, apud Sabaudos.

Addit Mas. Deiparæ preces affatim.

Ferdinando Rege Lusitaniæ mortuo, cùm Ioannes Castellæ Rex eam prouinciam occupare conaretur, ad Aliubarrotam anno proximo victus ac

fugatus, viam ad regnum ſtrauit *Ioanni*, Petri Regis filio notho. *Mariana.* Ludouicus Malanus Flandriæ Comes moritur, Inſulis ad D. Petri ſepultus & ſplēdiſſimo tumulo æreo à Philippo Bono abnepote honoratus. Succeſſit *Philippus Audax*, Burgundiæ Dux, Margaritę, vnicæ Malani filiæ & heredis, maritus. Vuenceſlaus Luceburgi Dux primus à fratre Carolo IV. Imp. creatus, idemque iure vxorio, Brabantiæ & Limburgi Dux, hoc anno pridie Conceptionis Deiparæ, nulla probe relicta, moritur; vt ex epitaphio mihi conſtat, quod in Aureæ vallis apud Leucos monaſterio legitur. Quo defuncto *Ioanna* vidua Rempublicam Brabantinam annos plurimos fortiter adminiſtrauit. Ludouicus Andium Dux quinquaginta ampliùs millia militum in Italiam ducit, & biennij ſpatio Carolum Regem Neapolitano regno pellit, qui fraude primatum Hungariæ regnum cùm occupaſſet, an. 1385. occubuit. *Heduuigis* Ludouico patri in regno Poloniæ ſucceſsit, Guilielmo Auſtriæ Duci primùm nupta. Quo poſtea reiecto, Iagellonem Lituaniæ Ducem, circa an. 1386. & regni & thori conſortem fecit. Is cum baptiſmo Vladiſlai nomen accepit; ab eoque Iagellonici Poloniæ Reges ad noſtram vſque ætatem deſcenderunt.

1384. MCCCLXXXIV. MANVEL II. PALAEOLOGVS, Imp. Conſtantinopolitanus, præfuit annis XXXIV.

Gerardus Magnus, Dauentriæ ad Iſalam fl. in Germania inferiore natus, Fratrum ſeu clericorum vitæ communis auctor atque inſtitutor, in Domino obdormit. Fuerat is olim Vltraiectenſis & Aquiſgranenſis Canonicus: quibus dignitatibus, quamquam opimis, cum maxima patrimonij parte, poſtmodùm ſponte relictis, totum ſe Deo proximorumque ſaluti procurandæ tradidit. *Gerardus*, inquit Maſſæus, *cùm eſſet Pariſijs doctiſſimus, relictâ Sorbonâ, Dauentriam rediȷt, vnde erat oriundus. Fratres illic inſtituit, qui ſcholas tenerent, & non tantùm litteras, ſed mores quoque diſcipulos ſuos, & benè viuere edocerent. Viuunt autem in communi, ſecundùm inſtituta primitiuæ Eccleſiæ, ſine proprio, ſine mendicitate, diœceſanis ſuis ſimpliciter ſubditi. Quò autem tunc ſinceriùs ſeſe geſſerunt, eò violentiùs antiquus hoſtis ſe illis oppoſuit. Suſcitauit illis detractores multos: quorum vnus in generali concilio Conſtantiæ celebrato auſus eſt dicere, eos eſſe ex * illis, quos dudum Romani pontifices, Bonifacius, Clemens, & Ioannes exterminauerant. Cui calumniæ viriliter reſtitit Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, tunc in ipſo concilio præſens, eoque perpulit hominem, vt ipſe cum libello famoſo quem ſenatui legerat, igni adiudicaretur. Tunc Fratres qui aderant, aduoluti iudicum pedibus, precabantur veniam reo, vt liber tantùm incenderetur, non auctor. Annuitur precibus ſupplicantium, & incenſo volumine iuſſus eſt auctor exire prouincia, nec ampliùs innocentes infamare. Pro quibus in eodem concilio præfatus Gerſon pulcherrimum tractatum edidit, oſtendens eos non minùs eſſe religioſos alijs, qui religionis nomine nuncupantur. Quos dictum concilium, præſidente Martino Quinto, plurimùm corroborauit, modumq; viuendi comprobans, hortabatur viriliter agere, ſcholas erigere, ad pietatem diſcipulos*

Ordo fratrum ſeu clericorũ vitæ communis.

* Fratricellos intelligo.

cipulos instituere, quibus Ecclesia Dei fulciretur, quibusque vel maximè tunc indigebat. Vidi ego ante annos multos, præter dictum volumen Gersonis in Buscoducis, etiam apud Bruxellam multas Eugenij VI. & Pij II. litteras, perpulchra priuilegia ipsis Fratribus indulta continentes. Hactenus Massæus. Alibi tamen legi istud Fratrum in communi sub regula S. Augustini viuentium institutum, an. à 1376. à Gregorio XI. Pont. Max. fuisse adprobatum. Id disertè in proœmio Officij ecclesiastici Eremitarum Augustinianorum, Venetijs, Louanij & alibi excusi, vbi ordines vniuersi sub D. Augustini signis militantes recensentur, his verbis exprimitur: *Ordo vitæ communis à Gerardo Teutonico institutus, & à Gregorio XI. approbatus, an. 1376. sub regula S. Augustini.* Cuius rei, si tamen vera, miror nullam apud Massæum, huius instituti sodalem, nec apud Thomam Kempensem, fieri mentionem. Ceterùm Fratres seu vitæ communis clerici in Germania nostra inferiore primi litteras humaniores excitarunt; & plurima olim eaque celeberrima (vt hodie Patres Soc. IESV) per Galliam Belgicā, Germaniamque gymnasia habuêre; in his Dauentriense, Suollense, Drusoburgense, Vltraiectense, Groningense & Gaudanum apud Batauos & Frisios; Bruxellense, Siluiducense & Machliniense in Brabantia; Gandense, Gerardi-montense & Vuinnoci-bergense in Flandria; Nouiomagense in Geldria; Embricense & Vesaliense apud Cliuios; Leodicense item, Cameracense, Coloniense, aliaque alibi. Hodie præter Siluiducense, Coloniense, Vesaliense & alia aliquot Fratrum domicilia, cetera ferè temporum iniquitate desierunt, aut alijs religiosis hominibus sunt adtributa.

De ijs Molanus lib. de Canonicis, & Ribadeneira in vita B. Ignatij Loiolæ.

Fuêre autem inter Fratres plurimi cùm vitæ sanctitate, tum doctrina illustres: quorum res gestas Thomas Kempensis, ipsorum discipulus, ad posteros transmisit. Inter eos, qui scriptis sibi famam pepererunt, Gerardus *Sutphanius*, scriptor asceticus, *Gabriel Biel*, Theologus Tubingensis, *Christianus Massæus*, chronographus, & *Georgius Macropedius*, comœdus ac philologus, eminent. Ex ipsorum verò scholis plurimi scriptis itidem illustres viri, vt ex Dauentriensi Thomas Kempensis, Alexander Hegius, Des. Erasmus Roterodamus, & Ioannes Murmelius; ex Embricensi Matthias & Tilmannus Bredenbachij; ex Nouiomagensi Petrus Canisius, & Busæi fratres; ex Vltraiectensi Cornelius Valerius, Henricus Cuyckius, Franciscus Haræus & Henricus Sedulius; ex Vuinnoci-bergensi Ioannes Despauterius; ex Siluiducensi Ioannes Nemius, Simon Verepæus, Christophorus Vladeraccus (quorum plerique & Fratribus in erudienda iuuentute auxilio fuêre) alijque prodierunt. Inter Fratres porrò alij Hieronymiani, alij Gregoriani nuncupabantur: sed quo discrimine, nondum certò comperi. Hoc anno memorabilis illa pugna inter Castellanos & Lusitanos commissa est, cui à vicino pago *Aliubarrota* vulgò nomen est. Celeberrimæ victoriæ memoriam gens Lusitana anniuersarijs sacris Olisipone instaurare solebat, sed peruigilijs, & Bacchanalibus magis, quàm Christianæ disciplinæ simili lætitiâ. Orator è suggestu, declamantis in morem, in Castellæ ignauiam inuehebatur; Lusi-

Aliubarrotæ prœlium.

tanorum

tanorum virtutem efferebat, præclaraque facta: ac ne à verborum obscenitate nonnumquam abstinebat. Consequebatur magnus astantium risus, plaususque, turpe dictu: sed danda erat venia ob partam retentamque, eius prælij euentu, patriæ libertatem. Castellani non virtute hostium, sed suorum lassitudine ignominiam acceptam vulgò aiunt; vim numinis persuadēt alij; (contra quam nulla potentia satis est,) Virginemq; Matrem à Guadelupæi templi spoliatoribus eas habuisse pœnas. *Mariana.* Ludouico Flandriæ Comite defuncto, filia eius Margarita cum marito suo Philippo Audace, Burgundiæ Duce, inauguratur. *Meyerus.*

Flandria accedit Burgundiæ.

1386. MCCCLXXXVI. Leopoldus Dux Austriæ cum Heluetijs confligens occumbit, & cum eo plurimi proceres: nec Heluetijs hæc victoria fuit incruenta. *Cranz.* Radulfus Riuius, Bredanus, Decanus Tungrensis, cuius liber De obseruantia Canonum exstat, scripsit historiā Episcoporum Leodicensium ab an. 1347. ad hunc vsque annum, quæ ms. adseruatur in Alnensi ditionis Leodicensis Abbatia, & alibi. *Ladislaus* Caroli Regis filius apud Neapolitanos annis 29. regnat.

1387. MCCCLXXXVII. CAROLO II. Vasconū seu Nauarrorū Regi ipsis Kalendis Ianuarijs (alij anno priore volūt) defuncto successit filius cognominis, ea tempestate apud Castellæ Regem assiduus. Petri VI. Aragoniæ Regis, quarto pòst die Barcinone defuncti locum IOANNES filius excepit.

Congregatio Vuindeshemensis Canonicorum regulariū

Vuindeshemense monasterium, Canonicorum regularium ordinis S. Augustini, tertio milliari à Dauentria, Germaniæ inferioris vrbe, ad Isalam fl. sitâ, fundatur. Ab hoc monasterio nomen induit, legesque accipere solet Capitulum seu congregatio *Vuindeshemensis*, quæ centum viginti ferè per Germaniam inferiorem ac superiorem monasteria olim complectebatur, hodieque non mediocriter floret. Debet autem ista congregatio originem ac progressum suum *Gerardo Magno*, & Fratrum seu vitæ communis clericorum familiæ, ab ipso institutæ: vt * Thomas Kempensis, qui Gerardi vitam copiosè descripsit, his verbis restatur: *Habuit Gerardus propositum ædificandi monasterium clericorum ordinis Canonicorum regularium, volens quosdam de idoneis clericis sibi adhærentibus, ad religionis habitum promouere: vt alijs deuoti essent in exemplum & aduentantibus aliunde clericis vel laicis bonæ conuersationis iter ostenderent. Ad hunc ordinem regularium instituendum, præcipuè inductus fuit propter singularem reuerentiam & amorem venerabilis domini* * Ioannis Rusebroüc, *primi Prioris Viridis Vallis, & aliorum ibidem religiosè conuersantium probatissimorum fratrum, in ordine regulari quos dudum personaliter in Brabantia visitauerat: à quibus magnam ædificationis formam, ob multam ipsorum humilitatem & simplicis habitus differentiam, traxit & annotauit. Cum igitur pro loco religioni apto, & monasterio fundando diligenter instaret morta'itate præuentus non potuit perficere, quod optauit, sed Deo intentum voluntatis suæ pro operis effectu obtulit, ac totum desiderium mona-*

* Cap. 15

* Vide supra an. 1481.

monasticæ constructionis, carissimis discipulis suis ab eo conuersis, perficiendum commisit, hortans, ne tantum bonum ipso defuncto sopiretur, sed pro honore Dei ampliando, omnes pariter consilium præstarent & iuuamen. Ex his fuerunt, qui monasterium in VVindesbem, & *domum* S. Agnetis in monte, *prope Suollas, primitus, Deo iuuante, fundauerunt.* Ceterùm quibus potissimùm auctoribus, ex isto Fratrum seu vitæ communis clericorum cœtu, congregatio Vuindeshemensis primùm cœperit, adoleuerit, atque ad summam vitæ perfectionem peruenerit, accuratè describit * *Arnoldus Buschius*, in suo libro *De origine virisque illustribus Capituli seu congregationis Vuindeshemensis*, qui Louanij ad D. Martini & alibi ms. adseruatur. Porrò Vuindeshemense, Dordracenum, Arnhemianum & Hornanum monasteria, in vnum capitulare, vt vocant, corpus primùm sunt colligata: quod cùm Bonifacius IX. Papa adprobasset, statuit idem, vt Prior seu Præfectus monasterij Vuindeshemensis ceteris omnibus præesset, vtque singulis annis Vuindeshemi capitulum, vt loquuntur, seu conuentus generalis haberetur. Huic congregationi ob disciplinam monasticam efflorescenti, plurima cùm virorum, tum virginum cœnobia, quorum pleraque hoc æuo sunt excitata, paullatim accesserunt: Martino V. Pio II. Sixto IV. Innocentio VIII. Leone X. alijsque Pôtificibus adsentientibus. Exstat liber De constitutionibus & priuilegijs Canonicorum Regularium capituli VVindeshemensis, an. 1553. Vltraiecti editus; ad quem Lectorem, plura cognoscere volentem, remittimus. Olauo Daniæ & Noruegiæ Rege exstincto, mater eius *Margarita* annis tribus & viginti sola regnat; teste Funccio. B. Petrus Luceburgius, Cardinalis, multa miraculorum gloria, clarus, Auenione in Domino obdormit, vbi & quiescit apud Cælestinos. Audio festum eius diem ab Auenionensibus celebrari. Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij consule. Ionnes Vuiclefus, Anglus, hæresiarcha moritur in Anglia 31. Decembris. Eius postea corpus, iussu Martini V. Pont. Max. an. 1428, exhumatum publiceque crematum est. Vuiclefi discipuli fuêre Ioannes Hussus & Hieronymus Pragensis, Bohemi. Lithuani Christianis sacris imbuuntur, & Vilnæ episcopalis basilica instituitur, Vladislao Rege agente. *Mechouius.*

* *Floruit in an. 1464.*

MCCCLXXXVIII. Coloniæ Agrippinæ excitatur Academia.

HENRICVS, Ioannis Castellæ Regis filius, vxorem ducit CATHARINAM, vnicam Lecestriæ in Anglia Ducis filiam, datumque vt *Asturum Principes* vocarentur, more ex Anglia translato; vbi Regum filij maiores, *VValliæ Principes* nominantur. Quod ab hoc initio susceptum ad nostram ætatem conseruatur, vt Castellæ Regum filij maiores Asturum sint Principes: quibus annis consequentibus Vbeda, Biatia, & Illiturgis sunt adiecta. *Mariana.* Liguribus à Carolo VI. Galliæ Rege per hæc tempora auxilium petentibus, Carolus Borbonius in Africam transmisit, & vrbem Africam subegit. Ita Massonus ex Ioanne Oreuilla, illius ætatis Equite, & scriptore Gallico. 1388.

Regis Castellæ filius maior, est Asturum Princeps.

1389. MCCCLXXXIX. Vrbanus VI. Papa moritur Romæ, Idibus Octobris. Hunc Respublica Lucensis, beneficij ab illo accepti memor, in primis laudat ac veneratur. Testis Nicolaus Tugrinus, princeps legationis ad Alexandrum VI. missæ, in oratione ad ipsum habita: *Vrbanus* inquit, *Sextus, paullò post libertatem, libertatis quoque & iustitiæ, sine qua libertas stare non potest, insignia addidit: dum Genuâ Romam peteret, nocte Natalis Domini, diuinis peractis, supremum ciuitatis nostræ magistratum ense & pileo, gemmis auroque exornato, donauit.* Idem porrò Tugrinus alterius Vrbani Papæ in eosdem Lucenses beneficia commemorans: *Recens est, ait, Vrbani Quinti factum, qui miseratus vrbem nostram Ecclesiæ deuotissimam seruire, accito Carolo IV. Imp. è Germania, erogatis quinquaginta millibus aureorum nos à durissima & immanissima seruitute eripuit.* Vt fato quodam Vrbani Pontifices in vrbem Lucensem vrbani in primis ac benefici fuisse videantur. Ceterùm Vrbano VI. Papæ defuncto successit BONIFACIVS IX. Neapolitanus. Amurates I. Turcarum Rex III. sica transfossus à Christiano quodam milite, ex Lazari Bulci, Seruiæ Despotæ, exercitu, moritur. Succedit filius BAIAZETES I. Turcarum Rex IV. A quo Lazarus Bulcus, Seruiæ Despota, hoc ipso anno captus, atque ad vindicandam patris cædem, ipso inspiciente, in frusta concisus est. *Leonclauius.* Bergenses Comites titulo Ducis à Vuenceslao Imp. hoc anno donatos scribit Funccius. Sigismundus Hungariæ Rex Croatiam & Bosnam suæ potestati subegit, & anno sequente Moldauiam recepit; teste Funccio.

Vrbanorum Pontificum beneficia in Rêpub. Lucensem.

1390. MCCCXC. Antonius Zenus nobilis Venetus, auspicijs Zichmi Frislandiæ Regis, Estotilandiam, à quibusdam Frislandiæ insulæ piscatoribus, eò tempestate appulsis, olim lustratam, his ferè temporibus, denuò adijt, & alia vicina loca Europæis aperuit. *Ortelius in Theatro suo.*

IOANNES I. Castellæ Rex equi lapsu opprimitur, annum agens tricesimum tertium. Sub vitæ finem Segobiæ, ipso D. Iacobi festo die insigne excogitarat, ex aureo torque radijs distincto, *columbæ* effigiem, aulicis atque nobilibus ad præclara facinora, auri exemplo, honoris specie obiectâ incitamentum. Verùm eius morte res ea, priusquam confirmaretur, euanuit. Idem Rex apud Segobiam, haud longè à pago Rascafria, Carthusianorum domicilium, cui Paularij nomen est, ipso ædificij splendore, copijs & loci sanctitate in Hispania celeberrimum, sua impensa excitauit: Vallisoleti arcem veterem in monasterij Benedictini formam conuertit; vnde Benedictini monachi per Hispaniam iura petere, nostrâ quidem ætate, soliti sunt: Guadalupæum item templum, B. Virginis cultu miraculisque celebre, monachis Hieronymianis attribuit. Ioanni porrò filius HENRICVS III. in regno successit. *Mariana.* Ioannes, Roberti Stuarti Scotorum Regis primò genitus, patri defuncto, suffectus, & *Robertus* III. nuncupatus, annos 16. imperauit. [illegible]

Ordo Equitum Columbæ, in Hisp.

Vallisoletanum monasterium hodie est caput reformationis Benedictinæ in Hispania.

Iesor.

MCCCXCI. Erfordiensis Academia, in diœcesi Moguntina, instituitur hoc anno, vt quidam, aut anno sequenti, vt vult Funccius. Ludouicus, Guidonis Comitis Blesensis, ex Maria Guilielmi Namurcensis Comitis filia, vnicus filius, moritur, vtroque parente adhuc superstite. Habuit hic Ludouicus vxorem Mariam, Ioannis Biturigum Ducis filiam, sed nullos ex ea liberos. Guido autem eiusque coniux Maria, ætate iam confecti, & spe prolis destituti, Comitatum suum Blesensem Ludouico Aurelianensium Duci ducentis aureorum millibus vendiderunt; quamquam fratres Guido haberet Ludouicum & Ioannem. *Meyerus.* 1391.

MCCCXCII. Vitoldus Iagellonis Poloniæ Regis frater, magnus Lithuaniæ Dux constituitur. *Funccius.* 1392.

MCCCXCIII. Fuit hic annis insignis *Fortunatis* insulis ex interuallo nouâ nauigatione repetitis. Cantabri ingenti sumtu classe instructâ, circumductisque Hispaniæ litoribus ad eas insulas appulsi, earum situ, amœnitate, numero atque nominibus cognitis, ad *Lansoratam* (vni earum insularum id nomen est) exscensione factâ, consertaque pugnâ, victores Regem, Reginam, centum ac septuaginta insulanos captos, præterea pelles caprinas, terræque primitias, quibus insulæ abundant, nauibus in Hispaniam aduexere, innatæ fertilitatis specimen ac prouentus, si repetitis nauigationibus eas insulas Hispanorum imperio subiugarent. *Mariana.* 1393.

Canariæ insulæ iterum deteguntur.

MCCCXCV. Albertus Austriæ Dux, Viennensis Academiæ conditor, è viuis decessit; teste Funccio. Vuencesslaus Imp. his ferè temporibus Galeatium Vicecomitem, Mediolanensium Ducem creauit, vt Blondus & Platina commemorant. Margarita Daniæ & Noruegiæ Regina, ab Suecis & Gothis pariter ad regnum vocatur: quæ quidem anno proximè sequente *Ericum* Pomeraniæ Ducem ipsis Suecis & Gothis Regem dedit, quadraginta trium annorum imperio pòst beatum. *Funccius.* 1395.

MCCCXCVI. Sigismundus Hungariæ Rex, & Baiazetes Turcarum Imp. collatis signis ad Nicopolim concurrunt. Nostris fusis fugatisque, inter alios Ioannes, Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filius, in hostium potestatem venit, paterno pòst auro redemtus: Sigismundum verò fuga seruauit. *Bonfinius* & *Leoncl.* 1396.

MCCCXCVII. Amadeo VII. Sabaudiæ Comiti defuncto filius eius *Amadeus VIII.* D. Mauritij annulo accepto, succedit: qui postea primus Sabaudiæ Dux à Sigismundo Imp. est nuncupatus. 1397.

MCCCXCVIII. Floruit his temporibus *Paullus Carthagena*, cognomento 1398.

Paullus Burgensis Episcopus, antea Iudæus.

Burgensis, à patria vnde ortum habuit, & vbi Episcopum egit, professione antea Iudæus, copijs, nobilitate, doctrinæ laude, in eâ gente facilè princeps. Is Diui Thomæ Aquinatis scripta Theologica pervolutando, facilè intellexit, quantum Christiana religio Iudaicæ superstitioni præstaret. Christianus effectus, religionis nostræ dogmata litteris illustrauit, librosque edidit in suo genere mirandos. Erat enim ingenio facili, copioso, perspicaci, & diuinarum litterarum cognitione præstabat. Treuigni Archidiaconus primùm, deinde Carthaginiensis Episcopus, postremò Burgensis creatus est. Addita consequentibus annis scrinij regij præfectura, perspectæ fidei argumento, quod rarum in ea gente est. Eiusque illa vox fuit; *Ex Iudæa gente prognatis nullam Reipublicæ partem committendam videri, moribus ex fraude atque mendacio compositis, simulare mentirique natis, neque bello, neque pace bonis.* Tres filios ex vnis nuptijs reliquit, priusquam noster esset, susceptos: *Alfonsum* ex Decano Segobiensi in defuncti patris locum subrogatū Burgensem Episcopū, cuius exstat de Hispaniæ Regibus opus non inelegans, cui *Anacephalæosi* nomen fecit; *Gonsaluum*, virtutum merito Placentinum Episcopū, & *Aluarum Garsiam*, familiæ propagatorem, sanguine, vti erant eius tempestatis mores, cum nobilibus Hispaniæ familijs cōfuso: cuius exstant commētaria de rebus Ioanne secundo Castellæ Rege, gestis non ineleganter conscripta. *Mariana.* Ferrariense gymnasium in Italia constituitur, in quo primus Iurisprudentiam magno concursu professus est Bartholomæus Salicetus, Baldi æqualis.

Iacobus Guisius, Doctor Theologus, ordinis D. Francisci scripsit Latinè *Annales Hannoniæ*, tribus voluminibus comprehensos, quos in pergameno manu exaratos vidi Montibus Hannoniæ, apud Franciscanos, insignem profectò antiquitatis, præsertim sacræ nostratis thesaurum, & publicâ luce dignū: etsi ea, quæ ad Romanorum spectant tempora, nonnihil ad veterum historicorum fidē castiganda videantur. Ex his Annalibus compendium iam olim haustum, typisque Lutetiæ est editum. Obijt autem Guisius hoc anno Valentianis apud Hannones, ibidem apud sui instituti sodales ante odeium marmore contectus. Emanuel Chrysoloras Byzantius, Græcas litteras in Italia excitat, vbi septingentis ampliùs annis conticuerant. Fuerat is à Ioanne Palæologo, Constantinopolitano Imp. missus, vt Latinorum Regum auxilia contra Turcas imploraret: quo munere perfunctus in Italia substitit.

1399. MCCCXCIX. *Tamerlanes* Scytharum Rex, obscuro loco natus, sic paulatim creuit, vt apud Stellam montem in Galatiæ Bithyniæque confinibus, ducenta Turcarum millia ceciderit, Asiaque subactâ, Baiazetem Turcarum Regem ceperit, & aureis ligatum catenis caueæ incluserit. Quo quidem conscensurus equum scabelli loco vtebatur, atque in ludibrium per Asiam vniuersam, sic instar feræ inclusum circumducebat. *Leonclau.*

* In Asiæ descriptione, cap. 31.

Libet de moribus eius * Æneam Siluiū audire differentem: *Tamerlanes genere Parthus, gregarius miles adeò inter suos mentis vi & corporis agilitate excelluit,*

vt breui multarum gentium dux fieret, & Scythas, Persas, Medosque sibi subigeret. Mesopotamiam inuasit & Armeniam: transituoq; Euphrate cum quadringentis millibus equitum, sexcentis millibus peditum, minorem Asiam obtriuit. Regem Turcarum potentissimum Baiazetem apud Armenios prælio superatum, ducentis millibus hominum interfectis, viuum cepit, caueaque in modum feræ inclusum, per omnem Asiam circumtulit, egregium & admirandum humanarum rerum spectaculum. In obsidionibus vrbium, primâ die albo tentorio vtebatur, secundâ rubeo, tertiâ nigro. Qui sese dabant in albo sedenti, salutem consequebantur: rubeus color moriendum patribus familias indicabat: niger ciuitatis excidium, & omnia in cinerem conuertenda. Interrogatus aliquando ab homine Genuensi, qui ei familiaris erat, cur tanta crudelitate vteretur: commotus ac veluti furens, distorta facie, ac spirantibus ignem oculis, respondit: Tu me hominem esse arbitraris? Falleris, ira Dei ego sum & orbis vastitas: caueto ne posthac mihi occurras, nisi velis interrogationis tuæ pœnas dare. *Hæc Siluius.* Ioannes Britanniæ Aremoricæ Dux apud Nannetes moritur: qui filios reliquit Ioannem, Arturum, Richardum, Ægidium, & filias tres. Turnhauti in Campania Brabantiæ, Maria Brabantina, Geldriæ & Zutfaniæ Princeps Canonicorum collegium excitat, Petro Aliaco, Episcopo Cameracensi, adprobante. Hunc locum altera Maria, Hungariæ Regina, Belgijque pro fratre Carolo V. Imp. Gubernatrix, patrum memoriâ, in delitijs habuit. Galeatius Mediolanensium Dux Pisas, Perusiam, Bononiam, Lucam, aliaque opida occupat, vt auctor est Blondus. *Henricus IV.* Anglorũ Rex annos quattuordecim & menses sex imperat. Ioannes Frossardus, Valentianis in Hannonia natus, Canonicus & Thesaurarius Chimacensis (quod Croyæ gentis apud eosdem Hannones est opidum, Principatus titulo nobile) historicos suos commentarios ab an. 1335. vsque ad hunc annum perduxit. Frossardũ excipit Ioannes Monstreletus, Cameracensis vrbis inquilinus, & nisi fallor, ciuis; qui LXIV. annorum proximè sequentium contexuit historiam.

Anno MCCCC. Vuencessaus Imp. ob ignauiam XIII. Kal. Septembris 1400.
per Electores imperio priuatur, & RVPERTVS siue ROBERTVS Bauariæ Dux, & Rheni Comes Palatinus, IV. Idus Septembris, Romanorum Rex creatur. Cracouiensis Academia in Polonia (cuius fundamenta circa an. 1364. iacta fuerant) Bonifacio IX. Pont. Max. adprobante, à Iagellone Vladislao Rege instauratur: vt Mechouius & Funccius scribunt. Leopoldus Austriæ Dux moritur, nullis liberis ex Catharina, Philippi Audacis, Burgundiæ Ducis filia, susceptis. Hoc anno in Vaccæis ad opidum *Nieuam* Virginis-Matris signum est repertum: vbi constituto Dominicanorum cœnobio, impensâ Catharinæ Castellanorum Reginæ, locus religiosus haberi cœpit, breuique multorum concursu in municipium excreuit, opinione sanctitatis admodùm nobile. *Mariana.* B. Virgo Nieuamensis.

MCCCCI. Ordo Canonicus Lateranensis, congregationis Frisonariæ, 1401.

V 3 resti-

restituitur à Leone Caratæo Mediolanensi, in agro & diœcesi Lucensi. *Onufrius.* Ceterùm de ordine ac statu Canonico fusè scripsit Ioannes Baptista Signius, Bononiensis, Canonicus regularis S. Saluatoris. Guilielmo Geldriæ Duci Zutfaniæque Comiti sine liberis defuncto, succedit frater *Rainaldus* eo nomine quartus.

1402. MCCCCII. Ioannes Galeatius Mediolanensium Dux pestilenti lue exstinguitur, Ioanne Maria & Philippo Maria filijs relictis heredibus.

Baiazetes I. Turcarum Rex IV. omni spe libertatis à Tamerlane impetrandæ amissâ, caput ferreæ caueæ, qua tenebatur inclusus, tamdiu illisit, donec præfracto cerebro frendens exspiraret. Anno sequenti successit Solimanus I. filius eius natu maximus, Turcarum Rex V. *Leonclauius.* Hoc ferè anno Tamerlanes quoque Parthorum ac Scytharum Rex potentissimus cùm annos ferè XL. rerũ potitus esset, obijsse traditur: relictis pòst se duobus filijs, tot regnorũ heredibus & successoribus: qui à paterna virtute degenerantes odijs bellisq; ciuilibus sic inter se decertarunt, vt Asiæ imperium paullatim ad Othomanos iterum sit relapsum. Sic Leonclauius & Petrus Perondinus in vita Tamerlanis. Antonius, Philippi Burgundiæ Ducis filius, Atrebati nuptias cum Ioanna, Vualerami Comitis Paullopolitani filia, celebrat.

1403. MCCCCIII. Monstrum quoddam marinum, mulieris specie, viridi musco turpe & vndique squallens, vi tempestatis ex Oceano in sinum Batauicum, qui maris Australis agnomine notior est, compulsum, apud Edamum opidum capitur. Tradunt id cibis, hominum more, adsuefactum, annos aliquot superuixisse, sonum peregrinum ac suspiriosum potiùs, quàm vllum articulatum sermonem (qui vniuerso piscium generi negatus est) edidisse, atque inter femineos cœtus pensa etiam traxisse. Verisimile est ex Nereïdum genere fuisse, quarum non exiguum numerũ apparuisse olim in Gallico litore Augusto Cæsari legatus eius perscripsit. Plinius certè corpus squamis hispidum, atque humanam speciem referens Nereïdibus tribuit. Idem de Tritone concham inflante, deque homine marino, ex legatorum (quos ob id Olisiponenses ad Tiberium Imp. miserant) fide, multa refert. Taceo quæ de Sirenibus poëtæ & alij commemorant. In pago *Suartevvalensi*, à Brila Hollandiæ opido tertio ferè milliari distante, visitur huiusmodi æquorei monstri, muliebrem speciem referentis, sceletos in medio templo suspensa. Maiorum nostrorum memoriâ, apud Ellebogium Daniæ opidum, monstrum monachi formam exprimens, in litus vi procellæ expulsum constat: cuius simulacrum expressum ad Carolum V. Imp. tunc in Hispania agentem à Daniæ Rege missum est. Anno 1531. monstrum itidem marinum, quod Episcopi habitum mentiebatur, ad Augustum Poloniæ Regem est deportatum. Hæc ferè Hadrianus Iunius in sua Batauia, & Meyerus in Flandriæ Annalibus. Ceterùm Nereïdes siue Sirenes Belgæ *Meraminnas* vocant, seu maris delicias ac nym-

Nereïdes Belgis *Meraminnæ.*

nymphas. Hoc ipso anno cete octo grandia apud Ostendam Flandriæ opidum, in littore maris capta, Massæus & Meyerus testantur.

MCCCCIIII. Philippus Audax Burgundiæ Dux & Flandriæ Comes, Hallis in Hannonia moritur, & Diuione in Carthusianorum cœnobio, à se excitato, sepelitur: succedente filio natu grandiore *Ioanne Intrepido.* Margarita vidua cùm rei familiaris statum magno ære alieno grauatum reperisset, ne à creditoribus vexaretur, matronales feretro claues, cingulum & marsupium, pro more regionis, imposuit. Quo facto, creditoribus non nisi in supellectilem, & bona, vt vocant, mobilia ius erat, vsurarúm item cursus sistebatur, déque debitis conuenire cogebantur, certis solutionis ex pacto datis terminis. *Heuterus.* Bonifacius IX. Papa Kalendis Octobris moritur: succedit INNOCENTIVS VII. Sulmonensis, Pelignus. Ordo Canonicorum sæcularium *S. Georgij in Alga* Venetijs à B. Laurentio Iustiniano, Patriarcha Veneto, instituitur. *Onuf.* Vtuntur ij habitu cælestini coloris. Primi huic familiæ nomen dedêre Antonius Corarius, qui pòst Gregorius XII. Papa, & Gabriel Condelmerius, qui pòst Eugenius IV. Papa, fuit: vt in huius vita Ciaconius commemorat. 1404. Ordo S. Georgij in Alga.

MCCCCV. Ordo mendicantium S. Hieronymi sub regula D. Augustini, Fæsulis, à Redone Comite montis Graueli & Gualtero Marso instituitur. *Onufrius.* Æneas Siluius Picolomineus Senis nascitur, teste Onufrio. Ioannes Burgundiæ Dux, cum Antonio & Philippo fratribus, Ioannes Episcopus Leodicensis, & Ioannes Comes Cliuiæ, Lutetiam mouerunt, vt Ludouicum Aurelianensium Ducem Parisijs pellerent. Cœperant iam inter Burgundos & Aurelianenses discordiæ ac simultates, Philippo Audace, Burgundionum Duce, etiamnum viuo: vt in Francorum historijs legitur. Porrò hac vice certatum non est, pace, quorumdam enixo studio, intercedente: cuius simulatio, maximo Galliæ malo, in acerbissimas tandem dissensiones erupit. *Diuæus.* 1405.

MCCCCVI. Innocentius VII. Papa moritur: sufficitur GREGORIVS VII. Venetus. Henricus III. Castellæ Rex VIII. Kal. Ianuarias moriens filiũ IOANNEM II. reliquit successorem. Ioanna Brabantiæ & Limburgi Dux viuis excessit, cùm annos ferè LI. præfuisset, Bruxellis apud Carmelitas condita, vnà cum Gulielmo filio, quem, ex Gulielmo Hannoniæ & Hollandiæ Comite susceptum, amiserat infantem. Post Ioannam, maiorem materteram suam, sine liberis defunctam, *Antonius*, Philippi Audacis, Burgundiæ Ducis filius, Brabantiæ & Limburgi Ducatum suscipit. *Dinterus.* 1406.

MCCCCVII. Vniuersa Gallia mouetur, atque in factiones deducitur, Ludouici Aurelianensis cæde, quem Ioannes Burgundiæ Dux Lutetiæ, ex 1407.

aula

aula nocte redeuntem, interficiendum curauit per Ludouicum Otonuillam sicariũ X. Kalendas Decembris. Cædis auctore detecto, Burgundus quidem ad suos abijt, armis paratus immane parricidiũ defendere. Valentina vidua de facto inquiri lacrymis & querula voce postulabat. Venit ille ad caussam dicendam. Ioannes Paruus, Theologus parricidiũ defendit, defuncti manes insectatus; quasi in regiũ nomen inuadere cogitasset; tyrannidis depulsorem gratiâ, honore, diuitijs cumulandũ videri. Armato venia data, Ludouici filijs meritò expostulantibus; vnde eius belli flamma concitata est, quâ vniuersæ Galliæ opes, fortunæque afflictæ sunt. Inter Theologos diu disceptatũ: *Fásne sit opprimere tyrannum priuato*, quod aiebat Paruus. Patres Constantienses negarunt, cùm de ea quæstione eoque facto esset in conuentu relatum.

Ioanna, vxor Antonij Brabantiæ & Limburgi Ducis, filia vnica Vualrami Comitis S. Paulli, mulier formosissima, XII. Augusti moritur, & Furæ sepelitur in choro basilicæ S. Ioannis; cui adiacet filiola, in cunis defuncta. Reliquit ex marito filios superstites Ioannem & Philippum, post patrem Duces Brabantiæ ex ordine. *Dinterus.*

1408. MCCCCVIII. Congregatio Canonicorum regularium S. SALVATORIS Bononiẽsis aliàs Scopetinorum, per Stephanum Senensem ordinis eremitarum S. Augustini, à Gregorio XII. Papa instituitur. *Onufrius.* De huius congregationis initijs ac progressu, deque vniuerso ordine ac statu Canonico, Ioannes Baptista Signius, Bononiensis, Canonicus regularis S. Saluatoris libros tres conscripsit, Bononiæ anno 1601. editos. Vitam religiosam agebat Stephanus iste cum sodalibus aliquot, haud longè à Senis in silua Illicetana. Sanctitatis eius famâ commotus Gregorius XII. Pontifex, ipsum Lucam, qua in vrbe tum fortè versabatur, ad se euocauit, & monasterium Ilicetanum, S. Saluatori sacrum, in Prioratum Canonicorum regularium erexit. Itaque cum sodalibus suis velut manu missus, atque ab omni aliorum, præsertim eremitarum, dominio liberatus, nouam vestem, & noua decreta à Pontifice suscepit. Ceterùm Franciscus Gisilerius, monasterij S. Mariæ de Rheno apud Bononiam, & monasterij S. Saluatoris, in vrbe Bononiensi, (quæ Canonicorum erant regularium cœnobia perpetuùm vnita) Prior an. 1419. huic congregationi se suosque adsociauit; Martino V. Papa adprobante. Hodie Prior S. Saluatoris Bononiensis est totius huius congregationis caput. Anno 1430. parochialis, vt loquuntur, ecclesia S. Donati in Scopeto, apud Florentiam, accessit, atque in Prioratum est erecta. Plura apud Signium, qui voluerit, legat.

Congregatio Canonicorũ regulariũ S. Saluatoris.

1409. MCCCCIX. Antonius Brabantiæ & Lemburgi Dux, XVI. Iulij Bruxellis nuptias contrahit cum Elizabetha, filia Ioannis Luceburgij, Ducis Gorlicensis in Austria, qui frater erat Vuencesl ai Regis Bohemiæ & Exregis Roma-

Romanorum, itémque Sigismundi tunc Hungariæ Regis, postea Imperatoris, filius verò Caroli IV. Imperatoris. Pro dote Vuenceslaus sponsæ patruus, Antonio addixit Ducatum Luceburgi, Comitatum Chiniaci & Aduocatiam Alsatiæ; quæ Vuenceslaus olim Brabantiæ Dux iure hereditario possederat. *Dinterus.* Concilium generale PISANVM celebratur, in eóque ALEXANDER V. Cretensis, in Gregorij XII. demortui locum sufficitur. Congregatio *S. Iustinæ*, quæ postea Casinensis dicta est, monachorum Benedictinorum, à Ludouico Barbo Veneto instituitur. *Onufrius.* Bohemis & Germanis in Academia Pragensi inter se dissentientibus, Germani aliarumque rationum Doctores ac scholastici Lipsiam confluunt: idque Lipsiensis Academiæ initium fuit. Fuit hic annus insignis, Virginis-Matris signo reperto, Salmanticam inter & Mirobrigam, in regno Castellæ, religiosissimo: cui *à Franciæ rupe* nomen est. Dominicanorũ id cœnobio instituto, hominumque concursu ex vicinis ac longinquis locis est celebre. *Mariana.*

Lucceburgum Brabantiæ iüngitur.

B. Virgo à Franciæ rupe, in Hisp.

Martinus Siciliæ Rex Calari in Sardinia exstinguitur, VIII. Kal. Augusti, in ipso iuuentutis flore. Testamenti tabulis Martinum Regem Aragonium, patrem suum, regni Siculi heredem scripsit. *Mariana.*

MCCCCX. *Ioannes Eickius*, & frater eius *Hubertus*, pictores eximij, Brugis Flandrorum, emporio tunc celeberrimo, florent. Sunt qui volunt eos natos & sic nuncupatos à Maseica, vulgò *Maes-Eyck*, ditionis Leodicensis opido ad Mosam fl. sito. Horum alter Ioannes, oleo ex lini seminibus extuso picturæ colores primus miscuit, atque æternos, vt sic dicam, aduersus æui iniuriam reddidit. Diuinum hoc inuentum plerique ad annum Christi 1410. referunt: sed antè annum Christi 1400. id Belgicis cum pictoribus Eickium communicasse, conuincunt vetustiores tabellæ coloribus oleo mixtis depictæ: atque in his ea quæ in templo Franciscanorum Louanij spectatur: cuius quidem auctor siue pictor notatur obijsse an. 1400. Ceterùm *Antonellus Messinensis*, Siculus, cùm Brugis aliquamdiu versatus fuisset, colorum oleo temperatorum vsum, primus in Italiam attulit, eumque Dominico Veneto, & alijs pictoribus Italis commonstrauit: vt Georgius Vasarius, in suo De illustribus Italiæ pictoribus opere fatetur. Tanta porrò fuit Ioannis Eickij apud exteros fama, vt pictas ab eo tabulas Alfonsus Rex Neapolitanus, Fredericus II. Vrbinatium Dux, Laurentius Medicæus alijque Italiæ Principes vehementer expeterent, atque è Belgio aduectas ingenti sibi pretio compararent. Visitur hodie Gandaui in S. Ioannis basilica cathedrali nominatissima Eickiorum tabula, septem misericordiæ opera continens, vnà cum Adami & Euæ imaginibus, in alis tabulæ. Huius exemplar à Michaële Coxia efformandum curauit Philippus II. Hispaniarum Rex; quod in Hispaniam transuectum, hodie in Scuriaco, Hieronymianorum cœnobio, D. Laurentio martyri sacro, spectatur. Putatur autem tabula ista Gandensis ab Huberto Eickio primùm incohata, sed illo è viuis sublato, à Ioanne 1410.

Oleiin picturis vsus introductus

fratre perfecta. Hubertus obijt Gandaui an. 1426. ibidem in cathedrali æde sepultus. Ioannes verò obijt Brugis, ibidem in cathedrali basilica S. Donatiano sacra conditus. Annum obitus eius nondum equidem comperi. Alexander V. Papa è viuis decedit, eiusque locum excipit IOANNES XXII. dictus XXIII. Neapolitanus. Rupertus Imp. moritur Oppenheimi, & Heidelbergæ in æde S. Spiritus sepelitur. SIGISMVNDVS, Caroli IV. filius, succedit. Solimanus I. Turcarum Rex V. à suis in vico quodam interimitur. Succedit frater eius MVSA ZELEBIS, quem alij MOSEN appellant, Turcarum Rex VI. *Leoncl.* Martinus Aragoniæ Rex, nulla prole relictâ, Barcinone pridie Kal. Iunij diem obit. Ex eo tempore regni Aragoniæ felicitas obscurata est, in Martino Rege virili Barcinonensium Comitum prosapiâ intercisâ, quæ eatenus in sexcentesimum annum propagata erat. Post varias contentiones, demum FERDINANDVS Castellæ Rex renuntiatus est Rex Aragoniæ. *Mariana.*

Aragonia iungitur Castellæ.

1411. MCCCCXI. STEPHANVS Valachiæ Princeps Alexandro succedit. S. Andreæ gymnasium apud Scotos instituitur. Ludouicus Dux Andegauensis, à Ioanne Papa Rex Apuliæ pronuntiatur, reiecto Ladislao. *Ericus* Pomeraniæ Dux, à Margarita Suecorum, Gothorum, Danorum & Noruegorum Regina adoptatus, regnauit annis XXVIII. *Funccius.* Petrus Aliacus, ex Doctore Theologo Parisiensi, Episcopus Cameracensis, & Franciscus Zabarella Patauinus, iuris vtriusque Doctor eximius, electus Episcopus Florentinus, à Ioanne XXIII. Papa creantur Cardinales. *Onufr.* & *Ciaconius.*

1412. MCCCCXII. Turonensium Comitatus Ioanni, Caroli VI. Galliarum Regis filio, datur, agente Gulielmo Hannonio, cuius filiam Ioannes duxerat vxorem. *Meyerus.* Henricus IV. Anglorum Rex moriens, filios reliquit *Henricum V.* regni heredem, Thomam, Ioannem & Humfridum.

1413. MCCCCXIII. Samogethia religionem Christianam suscipit. Ioannes à Glimis & Florentius à Borsela, generi Henrici domini Bergarum ad Zomam fl. in Brabantia, de soceri defuncti hereditate contendentes, ita pacantur, vt Florentius, perceptis aliquot aureorum millibus, Ioanni Bergas cedat. *Diuæus.* Hinc illustres apud Brabantos Marchiones Bergenses prognati. Musa Zelebis VI. Turcarum Rex prælio victus & captus est à fratre Mahumete, eiusque iussu strangulatus. Quo sublato *Mahumetes* I. Turcarum Rex VII. regnum obtinuit. *Leoncl.* Ioannes Brando, Dunensis in Flandria monachus, instituti Cistertiensis, ab ortu mundi chronicon suum huc vsque deduxit: quod Ægidius Royus, eiusdem cœnobij monachus, per annos ferè octodecim continuauit. Horum laboribus non mediocriter adiutum se fatetur Meyerus.

Conci-

MCCCCXIIII. Concilium generale CONSTANTIENSE ex parte reprobatum, incohatur, mense Nouembri: quod anno 1418. est finitum. 1414.

MCCCCXV. Vualramus Comes S. Paulli, Iuodij, Luceburgensis Ducatus opido, moritur: ex cuius filia Ioanna Antonius Brabantiæ Dux *Ioannem* & *Philippum* filios sustulit, qui auo in Comitatu S. Paulli, ceterisq; opibus successêre. *Diuæus.* Ioannes Hussus hæresiarcha, in concilio Constantiensi damnatus, igni traditur VI. Iulij. Alexander Moldauiæ Vaiuoda Poloniæ Regi fidelitatem iurat; teste Funccio. XXV. Octobris Antonius Brabantiæ Dux, pro Francis aduersus Anglos pugnans, apud Azincuriam, cum fratre suo Philippo Niuerniæ Comite, Eduardo Bari Duce, alijsque proceribus, in prælio cadit. Succedit filius eius primogenitus *Ioannes.* Adolfus Cliuensium Comes, cum Maria Ioannis Burgundiæ Ducis filia matrimonium contrahit, genuitque ex ea Ioannem Cliuiæ Ducem, & Adolfum Rauestanum, Philippi Rauestani, viri bello clari, patrem. *Meyerus.* 1415.

Azincuriēse prælium.

Emanuel Chrysoloras, illustri apud Græcos familiâ oriundus, vir doctissimus & Græcarum in Italia litterarum instaurator, Constantiæ in concilio moritur.

Dinus Rappondus, Lucensis, mercator ditissimus, Philippi & Ioannis Burgundiæ Ducum Consiliarius, atque hospitij Magister, cuius operâ potissimùm Ioannes Burgundus à Turcico carcere fuerat liberatus, moritur, & Brugis ad D. Donatiani suo in sacello sepelitur. *Meyerus.*

MCCCCXVI. Ferdinandus Castellæ Rex, die secundo Aprilis decedens, Alfonsum filium regni heredem nuncupauit. *Mariana.* Hieronymus Pragensis, sectæ Hussiticæ assecla, à concilio Constantiensi damnatur & crematur, XXX. Maij. 1416.

MCCCCXVII. Sigismundus Imp. Electoratum Brandeburgensem 18. Aprilis donat Frederico Burggrauio Noribergensi. XXX. Maij Guilielmo Bauaro Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ Comite hoc anno defuncto, *Iacoba* filia succedit: quæ anno proximè sequenti cum Ioanne Brabantiæ Duce nuptias contraxit. *Diuæus.* Sublato schismate MARTINVS V. domo Romanus, Otho Columna dictus anteà, creatur Pontifex Maximus, in concilio Constantiensi. Sigismundus Imp. ex Anglia reuersus, in arce Mondluetana, non procul Lugduno, Amadeum primum Sabaudiæ ex Comite creat Ducem. Alij paullò antè in concilio Constantiensi factum id adfirmant. *Vanderburchius.* Adolfus II. Cliuiæ Comes in concilio Constantiensi à Sigismundo Imp. primus Cliuiæ Dux creatur. Franciscus Zabarella, Cardinalis & Episcopus Florentinus, Constantiæ moritur VI. Nouembris, & Patauij in patria æde summa conditur. *Ciacon.* 1417.

 X. Apri-

1389. MCCCLXXXIX. Vrbanus VI. Papa moritur Romæ, Idibus Octobris. Hunc Respublica Lucensis, beneficij ab illo accepti memor, in primis laudat ac veneratur. Testis Nicolaus Tugrinus, princeps legationis ad Alexandrum VI. missæ, in oratione ad ipsum habita: *Vrbanus* inquit, *Sextus, paullò post libertatem, libertatis quoque & iustitiæ, sine qua libertas stare non potest, insignia addidit: dum Genuâ Romam peteret, nocte Natalis Domini, diuinis peractis, supremum ciuitatis nostræ magistratum ense & pileo, gemmis auroque exornato, donauit.* Idem porrò Tugrinus alterius Vrbani Papæ in eosdem Lucenses beneficia commemorans: *Recens est,* ait, *Vrbani Quinti factum, qui miseratus vrbem nostram Ecclesiæ deuotissimam seruire, accito Carolo IV. Imp. è Germania, erogatis quinquaginta millibus aureorum nos à durissima & immanissima seruitute eripuit.* Vt fato quodam Vrbani Pontifices in vrbem Lucensem vrbani in primis ac benefici fuisse videantur. Ceterùm Vrbano VI. Papæ defuncto successit BONIFACIVS IX. Neapolitanus. Amurates I. Turcarum Rex III. sica transfossus à Christiano quodam milite, ex Lazari Bulci, Seruiæ Despotæ, exercitu, moritur. Succedit filius BAIAZETES I. Turcarum Rex IV. A quo Lazarus Bulcus, Seruiæ Despota, hoc ipso anno captus, atque ad vindicandam patris cædem, ipso inspiciente, in frusta concisus est. *Leonclauius.* Bergenses Comites titulo Ducis à Vuencessao Imp. hoc anno donatos scribit Funccius. Sigismundus Hungariæ Rex Croatiam & Bosnam suæ potestati subegit, & anno sequente Moldauiam recepit; teste Funccio.

Vrbanorum Pontificum beneficia in Rêpub. Lucensem.

1390. MCCCXC. Antonius Zenus nobilis Venetus, auspicijs Zichmi Frislandiæ Regis, Estotilandiam, à quibusdam Frislandiæ insulæ piscatoribus, eò tempestate appulsis, olim lustratam, his ferè temporibus, denuò adijt, & alia vicina loca Europæis aperuit. *Ortelius in Theatro suo.*

Ordo Equitum Columbæ, in Hisp.

IOANNES I. Castellæ Rex equi lapsu opprimitur, annum agens tricesimum tertium. Sub vitæ finem Segobiæ, ipso D. Iacobi festo die insigne excogitarat, ex aureo torque radijs distincto, *columbæ* effigiem, aulicis atque nobilibus ad præclara facinora, auri exemplo, honoris specie obiectâ incitamentum. Verùm eius morte res ea, priusquam confirmaretur, euanuit. Idem Rex apud Segobiam, haud longè à pago Rascafria, Carthusianorum domicilium, cui Paularij nomen est, ipso ædificij splendore, copijs & loci sanctitate in Hispania celeberrimum, sua impensa excitauit: Vallisoleti arcem veterem in monasterij Benedictini formam conuertit; vnde Benedictini monachi per Hispaniam iura petere, nostrâ quidem ætate, soliti sunt: Guadalupæum item templum, B. Virginis cultu miraculisque celebre, monachis Hieronymianis attribuit. Ioanni porrò filius HENRICVS III. in regno successit. *Mariana.* Ioannes, Roberti Stuarti Scotorum Regis primò genitus, patri defuncto suffectus, & *Robertus* III. nuncupatus, annos 16. imperauit. [illegible]

Vallisoletanum monasterium hodie est caput reformationis Benedictinæ in Hispania.

Lefor.

MCCCXCI. Erfordiensis Academia, in diœcesi Moguntina, instituitur hoc anno, vt quidam, aut anno sequenti, vt vult Funccius. Ludouicus, Guidonis Comitis Blesensis, ex Maria Guilielmi Namurcensis Comitis filia, vnicus filius, moritur, vtroque parente adhuc superstite. Habuit hic Ludouicus vxorem Mariam, Ioannis Biturigum Ducis filiam, sed nullos ex ea liberos. Guido autem eiusque coniux Maria, ætate iam confecti, & spe prolis destituti, Comitatum suum Blesensem Ludouico Aurelianensium Duci ducentis aureorum millibus vendiderunt; quamquam fratres Guido haberet Ludouicum & Ioannem. *Meyerus.* 1391.

MCCCXCII. Vitoldus Iagellonis Poloniæ Regis frater, magnus Lithuaniæ Dux constituitur. *Funccius.* 1392.

MCCCXCIII. Fuit hic annis insignis *Fortunatis* insulis ex interuallo nouâ nauigatione repetitis. Cantabri ingenti sumtu classe instructâ, circumductisque Hispaniæ litoribus ad eas insulas appulsi, earum situ, amœnitate, numero atque nominibus cognitis, ad *Lansoratam* (vni earum insularum id nomen est) exscensione factâ, consertaque pugnâ, victores Regem, Reginam, centum ac septuaginta insulanos captos, præterea pelles caprinas, ceræque primitias, quibus insulæ abundant, nauibus in Hispaniam adduxere, innatæ fertilitatis specimen ac prouentus, si repetitis nauigationibus eas insulas Hispanorum imperio subiugarent. *Mariana.* 1393.

Canariæ insulæ iterum deteguntur.

MCCCXCV. Albertus Austriæ Dux, Viennensis Academiæ conditor, è viuis decessit; teste Funccio. Vuencesslaus Imp. his ferè temporibus Galeatium Vicecomitem, Mediolanensium Ducem creauit, vt Blondus & Platina commemorant. Margarita Daniæ & Noruegiæ Regina, ab Suecis & Gothis pariter ad regnum vocatur: quæ quidem anno proximè sequente *Ericum* Pomeraniæ Ducem ipsis Suecis & Gothis Regem dedit, quadraginta trium annorum imperio pòst beatum. *Funccius.* 1395.

MCCCXCVI. Sigismundus Hungariæ Rex, & Baiazetes Turcarum Imp. collatis signis ad Nicopolim concurrunt. Nostris fusis fugatisque, inter alios Ioannes, Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filius, in hostium potestatem venit, paterno pòst auro redemtus: Sigismundum verò fuga seruauit. *Bonfinius* & *Leoncl.* 1396.

MCCCXCVII. Amadeo VII. Sabaudiæ Comiti defuncto filius eius *Amadeus VIII.* D. Mauritij annulo accepto, succedit: qui postea primus Sabaudiæ Dux à Sigismundo Imp. est nuncupatus. 1397.

MCCCXCVIII. Floruit his temporibus *Paullus Carthagena*, cognomento 1398.

Paullus Burgensis Episcopus, antea Iudæus.

Burgensis, à patria vnde ortum habuit, & vbi Episcopum egit, professione antea Iudæus, copijs, nobilitate, doctrinæ laude, in eâ gente facilè princeps. Is Diui Thomæ Aquinatis scripta Theologica pervolutando, facilè intellexit, quantum Christiana religio Iudaicæ superstitioni præstaret. Christianus effectus, religionis nostræ dogmata litteris illustrauit, librosque edidit in suo genere mirandos. Erat enim ingenio facili, copioso, perspicaci, & diuinarum litterarum cognitione præstabat. Treuigni Archidiaconus primùm, deinde Carthaginiensis Episcopus, postremò Burgensis creatus est. Addita consequentibus annis scrinij regij præfectura, perspectæ fidei argumento, quod rarum in ea gente est. Eiusque illa vox fuit; *Ex Iudæa gente prognatis nullam Reipublicæ partem committendam videri, moribus ex fraude atque mendacio compositis, simulare mentirique natis, neque bello, neque pace bonis.* Tres filios ex vnis nuptijs reliquit, priusquam noster esset, susceptos: *Alfonsum* ex Decano Segobiensi in defuncti patris locum subrogatū Burgensem Episcopū, cuius exstat de Hispaniæ Regibus opus non inelegans, cui *Anacephalæosi* nomen fecit; *Gonsaluum*, virtutum merito Placentinum Episcopū, & *Aluarum Garsiam*, familiæ propagatorem, sanguine, vti erant eius tempestatis mores, cum nobilibus Hispaniæ familijs cōfuso: cuius exstant commētaria de rebus Ioanne secundo Castellæ Rege, gestis non ineleganter conscripta. *Mariana.* Ferrariense gymnasium in Italia constituitur, in quo primus Iurisprudentiam magno concursu professus est Bartholomæus Salicetus, Baldi æqualis.

Iacobus Guisius, Doctor Theologus, ordinis D. Francisci scripsit Latinè *Annales Hannoniæ*, tribus voluminibus comprehensos, quos in pergameno manu exaratos vidi Montibus Hannoniæ, apud Franciscanos, insignem profectò antiquitatis, præsertim sacræ nostratis thesaurum, & publicâ luce dignū: etsi ea, quæ ad Romanorum spectant tempora, nonnihil ad veterum historicorum fidē castiganda videantur. Ex his Annalibus compendium iam olim haustum, typisque Lutetiæ est editum. Obijt autem Guisius hoc anno Valentianis apud Hannones, ibidem apud sui instituti sodales ante odeium marmore contectus. Emanuel Chrysoloras Byzantius, Græcas litteras in Italia excitat, vbi septingentis ampliùs annis conticuerant. Fuerat is à Ioanne Palæologo, Constantinopolitano Imp. missus, vt Latinorum Regum auxilia contra Turcas imploraret: quo munere perfunctus in Italia substitit.

1399. MCCCXCIX. *Tamerlanes* Scytharum Rex, obscuro loco natus, sic paullatim creuit, vt apud Stellam montem in Galatiæ Bithyniæque confinibus, ducenta Turcarum millia ceciderit, Asiaque subactâ, Baiazetem Turcarum Regem ceperit, & aureis ligatum catenis caueæ incluserit. Quo quidem conscensurus equum scabelli loco vtebatur, atque in ludibrium per Asiam vniuersam, sic instar feræ inclusum circumducebat. *Leonclau.*

* In Asiæ descriptione cap. 31.

Libet de moribus eius * Æneam Siluiū audire differentem: *Tamerlanes genere Parthus, gregarius miles adeò inter suos mentis vi & corporis agilitate excelluit,*

vt breui multarum gentium dux fieret, & Scythas, Persas, Medosque sibi subigeret. Mesopotamiam inuasit & Armeniam: transituq; Euphrate cum quadringentis millibus equitum, sexcentis millibus peditum, minorem Asiam obtriuit. Regem Turcarum potentissimum Baiazetem apud Armenios prælio superatum, ducentis millibus hominum interfectis, viuum cepit, caueaque in modum feræ inclusum, per omnem Asiam circumtulit, egregium & admirandum humanarum rerum spectaculum. In obsidionibus vrbium, primâ die albo tentorio vtebatur, secundâ rubeo, tertiâ nigro. Qui sese dabant in albo sedenti, salutem consequebantur: rubeus color moriendum patribus familias indicabat: niger ciuitatis excidium, & omnia in cinerem conuertenda. Interrogatus aliquando ab homine Genuensi, qui ei familiaris erat, cur tanta crudelitate vteretur: commotus ac veluti furens, distorta facie, ac spirantibus ignem oculis, respondit: Tu me hominem esse arbitraris? Falleris, ira Dei ego sum & orbis vastitas: caueto ne posthac mihi occurras, nisi velis interrogationis tuæ pœnas dare. *Hæc Siluius.* Ioannes Britanniæ Aremoricæ Dux apud Nannetes moritur: qui filios reliquit Ioannem, Arturum, Richardum, Ægidium, & filias tres. Turnhauti in Campania Brabantiæ, Maria Brabantina, Geldriæ & Zutfaniæ Princeps Canonicorum collegium excitat, Petro Aliaco, Episcopo Cameracensi, adprobante. Hunc locum altera Maria, Hungariæ Regina, Belgijque pro fratre Carolo V. Imp. Gubernatrix, patrum memoriâ, in delitijs habuit. Galeatius Mediolanensium Dux Pisas, Perusiam, Bononiam, Lucam, aliaque opida occupat; vt auctor est Blondus. *Henricus IV.* Anglorũ Rex annos quattuordecim & menses sex imperat. Ioannes Frossardus, Valentianis in Hannonia natus, Canonicus & Thesaurarius Chimacensis (quod Croyæ gentis apud eosdem Hannones est opidum, Principatus titulo nobile) historicos suos commentarios ab an. 1335. vsque ad hunc annum perduxit. Frossardũ excipit Ioannes Monstreletus, Cameracenæ vrbis inquilinus, & nisi fallor, ciuis; qui LXIV. annorum proximè sequentium contexuit historiam.

Anno MCCCC. Vuencestaus Imp. ob ignauiam XIII. Kal. Septembris per Electores imperio priuatur, & RVPERTVS siue ROBERTVS Bauariæ Dux, & Rheni Comes Palatinus, IV. Idus Septembris, Romanorum Rex creatur. Cracouiensis Academia in Polonia (cuius fundamenta circa an. 1364. iacta fuerant) Bonifacio IX. Pont. Max. adprobante, à Iagellone Vladislao Rege instauratur: vt Mechouius & Funccius scribunt. Leopoldus Austriæ Dux moritur, nullis liberis ex Catharina, Philippi Audacis, Burgundiæ Ducis filia, susceptis. Hoc anno in Vaccæis ad opidum *Nieuam* Virginis-Matris signum est repertum: vbi constituto Dominicanorum cœnobio, impensâ Catharinæ Castellanorum Reginæ, locus religiosus haberi cœpit, breuique multorum concursu in municipium excreuit, opinione sanctitatis admodùm nobile. *Mariana.* 1400. B. Virginis Nieuamensis.

MCCCCI. Ordo Canonicus Lateranensis, congregationis Frisonariæ, 1401.

restituitur à Leone Caratæo Mediolanensi, in agro & diœcesi Lucensi. *Onufrius*. Ceterùm de ordine ac statu Canonico fusè scripsit Ioannes Baptista Signius, Bononiensis, Canonicus regularis S. Saluatoris. Guilielmo Geldriæ Duci Zutfaniæque Comiti sine liberis defuncto, succedit frater *Rainaldus* eo nomine quartus.

1402. MCCCCII. Ioannes Galeatius Mediolanensium Dux pestilenti lue exstinguitur, Ioanne Maria & Philippo Maria filijs relictis heredibus.

Baiazetes I. Turcarum Rex IV. omni spe libertatis à Tamerlane impetrandæ amissâ, caput ferreæ caueæ, qua tenebatur inclusus, tamdiu illisit, donec præfracto cerebro frendens exspiraret. Anno sequenti successit Solimanus I. filius eius natu maximus, Turcarum Rex V. *Leonclauius*. Hoc ferè anno Tamerlanes quoque Parthorum ac Scytharum Rex potentissimus cùm annos ferè XL. rerũ potitus esset, obijsse traditur: relictis post se duobus filijs, tot regnorũ heredibus & successoribus: qui à paterna virtute degenerantes odijs bellisq; ciuilibus sic inter se decertarunt, vt Asiæ imperium paullatim ad Othomanos iterum sit relapsum. Sic Leonclauius & Petrus Perondinus in vita Tamerlanis. Antonius, Philippi Burgundiæ Ducis filius, Atrebati nuptias cum Ioanna, Vualerami Comitis Paullopolitani filia, celebrat.

1403. MCCCCIII. Monstrum quoddam marinum, mulieris specie, viridi musco turpe & vndique squallens, vi tempestatis ex Oceano in sinum Batauicum, qui maris Australis agnomine notior est, compulsum, apud Edamum opidum capitur. Tradunt id cibis, hominum more, adsuefactum, annos aliquot superuixisse, sonum peregrinum ac suspiriosum potiùs, quàm vllum articulatum sermonem (qui vniuerso piscium generi negatus est) edidisse, atque inter femineos cœtus pensa etiam traxisse. Verisimile est ex Nereïdum genere fuisse, quarum non exiguum numerũ apparuisse olim in Gallico litore Augusto Cæsari legatus eius perscripsit. Plinius certè corpus squamis hispidum, atque humanam speciem referens Nereïdibus tribuit. Idem de Tritone concham inflante, deque homine marino, ex legatorum (quos ob id Olisiponenses ad Tiberium Imp. miserant) fide, multa refert. Taceo quæ de Sirenibus poëtæ & alij commemorant. In pago *Suartevvalensi*, à Brila Hollandiæ opido tertio ferè milliari distante, visitur huiusmodi æquorei monstri, muliebrem speciem referentis, sceletos in medio templo suspensa. Maiorum nostrorum memoriâ, apud Ellebogium Daniæ opidum, monstrum monachi formam exprimens, in litus vi procellæ expulsum constat: cuius simulacrum expressum ad Carolum V. Imp. tunc in Hispania agentem à Daniæ Rege missum est. Anno 1531. monstrum itidem marinum, quod Episcopi habitum mentiebatur, ad Augustum Poloniæ Regem est deportatum. Hæc ferè Hadrianus Iunius in sua Batauia, & Meyerus in Flandriæ Annalibus. Ceterùm Nereïdes siue Sirenes Belgæ *Meremínnas* vocant, seu maris delicias ac nym-

Nereïdes Belgis *Meremin-næ*.

nymphas. Hoc ipso anno cete octo grandia apud Ostendam Flandriæ opidum, in littore maris capta Massæus & Meyerus testantur.

MCCCCIIII. Philippus Audax Burgundiæ Dux & Flandriæ Comes, 1404.
Hallis in Hannonia moritur, & Diuione in Carthusianorum cœnobio, à se excitato, sepelitur: succedente filio natu grandiore *Ioanne Intrepido.* Margarita vidua cùm rei familiaris statum magno ære alieno grauatum reperisset, ne à creditoribus vexaretur, matronales feretro claues, cingulum & marsupium, pro more regionis, imposuit. Quo facto, creditoribus non nisi in supellectilem, & bona, vt vocant, mobilia ius erat, vsurarúm item cursus sistebatur, déque debitis conuenire cogebantur, certis solutionis ex pacto datis terminis. *Heuterus.* Bonifacius IX. Papa Kalendis Octobris moritur: succedit INNOCENTIVS VII. Sulmonensis, Pelignus. Ordo Canonicorum sæcularium *S. Georgij in Alga* Venetijs à B. Laurentio Iustiniano, Patriarcha Veneto, instituitur. *Onuf.* Vtuntur ij habitu cælestini coloris. Primi huic familiæ nomen dedêre Antonius Corarius, qui pòst Gregorius XII. Papa, & Gabriel Condelmerius, qui pòst Eugenius IV. Papa, fuit: vt in huius vita Ciaconius commemorat.

Ordo S. Georgij in Alga.

MCCCCV. Ordo mendicantium S. Hieronymi sub regula D. Augustini, Fæsulis, à Redone Comite montis Graueli & Gualtero Marso instituitur. *Onufrius.* Æneas Siluius Picolomineus Senis nascitur, teste Onufrio. Ioannes Burgundiæ Dux, cum Antonio & Philippo fratribus, Ioannes Episcopus Leodicensis, & Ioannes Comes Cliuiæ, Lutetiam mouerunt, vt Ludouicum Aurelianensium Ducem Parisijs pellerent. Cœperant iam inter Burgundos & Aurelianenses discordiæ ac simultates, Philippo Audace, Burgundionum Duce, etiamnum viuo: vt in Francorum historijs legitur. Porrò hac vice certatum non est, pace, quorumdam enixo studio, intercedente: cuius simulatio, maximo Galliæ malo, in acerrimas tandem dissensiones erupit. *Diuæus.* 1405.

MCCCCVI. Innocentius VII. Papa moritur: sufficitur GREGORIVS 1406.
VII. Venetus. Henricus III. Castellæ Rex VIII. Kal. Ianuarias moriens filiũ IOANNEM II. reliquit successorem. Ioanna Brabantiæ & Limburgi Dux viuis excessit, cùm annos ferè LI. præfuisset, Bruxellis apud Carmelitas condita, vnà cum Guilielmo filio, quem, ex Guilielmo Hannoniæ & Hollandiæ Comite susceptum, amiserat infantem. Post Ioannam, maiorem materteram suam, sine liberis defunctam, *Antonius,* Philippi Audacis, Burgundiæ Ducis filius, Brabantiæ & Limburgi Ducatum suscipit. *Dinterus.*

MCCCCVII. Vniuersa Gallia mouetur, atque in factiones deducitur, 1407.
Ludouici Aurelianensis cæde, quem Ioannes Burgundiæ Dux Lutetiæ, ex

aula

aula nocte redeuntem, interficiendum curauit per Ludouicum Otonuillam sicariũ X. Kalendas Decembris. Cædis auctore detecto, Burgundus quidem ad suos abijt, armis paratus immane parricidiũ defendere. Valentina vidua de facto inquiri lacrymis & querula voce postulabat. Venit ille ad caussam dicendam. Ioannes Paruus, Theologus parricidiũ defendit, defuncti manes insectatus; quasi in regiũ nomen inuadere cogitasset; tyrannidis depulsorem gratiâ, honore, diuitijs cumulandũ videri. Armato venia data, Ludouici filijs meritò expostulantibus; vnde eius belli flamma concitata est, quâ vniuersæ Galliæ opes, fortunæque afflictæ sunt. Inter Theologos diu disceptatũ: *Fásne sit opprimere tyrannum priuato*, quod aiebat Paruus, Patres Constantienses negarunt, cùm de ea quæstione eoque facto esset in conuentu relatum.

Ioanna, vxor Antonij Brabantiæ & Limburgi Ducis, filia vnica Vualrami Comitis S. Paulli, mulier formosissima, XII. Augusti moritur, & Furæ sepelitur in choro basilicæ S. Ioannis; cui adiacet filiola, in cunis defuncta. Reliquit ex marito filios superstites Ioannem & Philippum, post patrem Duces Brabantiæ ex ordine. *Dinterus.*

1408. MCCCCVIII. Congregatio Canonicorum regularium S. SALVATORIS Bononiẽsis aliàs Scopetinorum, per Stephanum Senensem ordinis eremitarum S. Augustini, à Gregorio XII. Papa instituitur. *Onufrius.* De huius congregationis initijs ac progressu, deque vniuerso ordine ac statu Canonico, Ioannes Baptista Signius, Bononiensis, Canonicus regularis S. Saluatoris libros tres conscripsit, Bononiæ anno 1601. editos. Vitam religiosam agebat Stephanus iste cum sodalibus aliquot, haud longè à Senis in silua Illicetana. Sanctitatis eius famâ commotus Gregorius XII. Pontifex, ipsum Lucam, qua in vrbe tum fortè versabatur, ad se euocauit, & monasterium Ilicetanum, S. Saluatori sacrum, in Prioratum Canonicorum regularium erexit. Itaque cum sodalibus suis velut manu missus, atque ab omni aliorum, præsertim eremitarum, dominio liberatus, nouam vestem, & noua decreta à Pontifice suscepit. Ceterùm Franciscus Gisilerius, monasterij S. Mariæ de Rheno apud Bononiam, & monasterij S. Saluatoris, in vrbe Bononiensi, (quæ Canonicorum erant regularium cœnobia perpetuùm vnita) Prior an. 1419. huic congregationi se suosque adsociauit; Martino V. Papa adprobante. Hodie Prior S. Saluatoris Bononiensis est totius huius congregationis caput. Anno 1430. parochialis, vt loquuntur, ecclesia S. Donati in Scopeto, apud Florentiam, accessit, atque in Prioratum est erecta. Plura apud Signium, qui voluerit, legat.

Congregatio Canonicorũ regulariũ S. Saluatoris.

1409. MCCCCIX. Antonius Brabantiæ & Lemburgi Dux, XVI. Iulij Bruxellis nuptias contrahit cum Elizabetha, filia Ioannis Lucceburgij, Ducis Gorlicensis in Austria, qui frater erat Vuencesiai Regis Bohemiæ & Exregis Roma-

Romanorum, itémque Sigismundi tunc Hungariæ Regis, postea Imperatoris, filius verò Caroli IV. Imperatoris. Pro dote Vuenceslaus sponsæ patruus, Antonio addixit Ducatum Luceburgi, Comitatum Chiniaci & Aduocatiam Alsatiæ; quæ Vuenceslaus olim Brabantiæ Dux iure hereditario possederat. *Dinterus.* Concilium generale PISANVM celebratur, in eóque ALEXANDER V. Cretensis, in Gregorij XII. demortui locum sufficitur. Congregatio *S. Iustinæ*, quæ postea Casinensis dicta est, monachorum Benedictinorum, à Ludouico Barbo Veneto instituitur. *Onufrius.* Bohemis & Germanis in Academia Pragensi inter se dissentientibus, Germani aliarumque rationum Doctores ac scholastici Lipsiam confluunt: idque Lipsiensis Academiæ initium fuit. Fuit hic annus insignis, Virginis-Matris signo reperto, Salmanticam inter & Mirobrigam, in regno Castellæ, religiosissimo: cui *à Franciæ rupe* nomen est. Dominicanorū id cœnobio instituto, hominumque concursu ex vicinis ac longinquis locis est celebre. *Mariana.*

Luceburgum Brabantiæ iungitur.

B. Virgo à Franciæ rupe, in Hisp.

Martinus Siciliæ Rex Calari in Sardinia exstinguitur, VIII. Kal. Augusti, in ipso iuuentutis flore. Testamenti tabulis Martinum Regem Aragonium, patrem suum, regni Siculi heredem scripsit. *Mariana.*

MCCCCX. *Ioannes Eickius*, & frater eius *Hubertus*, pictores eximij, Brugis Flandrorum, emporio tunc celeberrimo, florent. Sunt qui volunt eos natos & sic nuncupatos à Maseica, vulgò *Maes-Eyck*, ditionis Leodicensis opido ad Mosam fl. sito. Horum alter Ioannes, oleo ex lini seminibus extuso picturæ colores primus miscuit, atque æternos, vt sic dicam, aduersus æui iniuriam reddidit. Diuinum hoc inuentum plerique ad annum Christi 1410. referunt: sed antè annum Christi 1400. id Belgicis cum pictoribus Eickium communicasse, conuincunt vetustiores tabellæ coloribus oleo mixtis depictæ: atque in his ea quæ in templo Franciscanorum Louanij spectatur: cuius quidem auctor siue pictor notatur obijsse an. 1400. Ceterùm *Antonellus Messinensis*, Siculus, cùm Brugis aliquamdiu versatus fuisset, colorum oleo temperatorum vsum, primus in Italiam attulit, eumque Dominico Veneto, & alijs pictoribus Italis commonstrauit: vt Georgius Vasarius, in suo De illustribus Italiæ pictoribus opere fatetur. Tanta porrò fuit Ioannis Eickij apud exteros fama, vt pictas ab eo tabulas Alfonsus Rex Neapolitanus, Fredericus II. Vrbinatium Dux, Laurentius Medicæus alijque Italiæ Principes vehementer expeterent, atque è Belgio aduectas ingenti sibi pretio compararent. Visitur hodie Gandaui in S. Ioannis basilica cathedrali nominatissima Eickiorum tabula, septem misericordiæ opera continens, vnà cum Adami & Euæ imaginibus, in alis tabulæ. Huius exemplar à Michaële Coxia efformandum curauit Philippus II. Hispaniarum Rex; quod in Hispaniam transuectum, hodie in Scuriaco, Hieronymianorum cœnobio, D. Laurentio martyri sacro, spectatur. Putatur autem tabula ista Gandensis ab Huberto Eickio primùm incohata, sed illo è viuis sublato, à Ioanne 1410.

Olei in picturis vsus introductus

MCCCCXIIII. Concilium generale CONSTANTIENSE ex parte reprobatum, incohatur, mense Nouembri: quod anno 1418. est finitum. 1414.

MCCCCXV. Vualramus Comes S. Paulli, Iuodij, Luceburgensis Ducatus opido, moritur: ex cuius filia Ioanna Antonius Brabantiæ Dux *Ioannem* & *Philippum* filios sustulit, qui auo in Comitatu S. Paulli, ceterisq; opibus successere. *Diuæus.* Ioannes Hussus hæresiarcha, in concilio Constantiensi damnatus, igni traditur VI. Iulij. Alexander Moldauiæ Vaiuoda Poloniæ Regi fidelitatem iurat; teste Funccio. XXV. Octobris Antonius Brabantiæ Dux, pro Francis aduersus Anglos pugnans, apud Azincuriam, cum fratre suo Philippo Niuerniæ Comite, Eduardo Bari Duce, alijsque proceribus, in prælio cadit. Succedit filius eius primogenitus *Ioannes.* Adolfus Cliuensium Comes, cum Maria Ioannis Burgundiæ Ducis filia matrimonium contrahit, genuitque ex ea Ioannem Cliuiæ Ducem, & Adolfum Rauestanum, Philippi Rauestani, viri bello clari, patrem. *Meyerus.* 1415.

Azincuriense prælium.

Emanuel Chrysoloras, illustri apud Græcos familiâ oriundus, vir doctissimus & Græcarum in Italia litterarum instaurator, Constantiæ in concilio moritur.

Dinus Rappondus, Lucensis, mercator ditissimus, Philippi & Ioannis Burgundiæ Ducum Consiliarius, atque hospitij Magister, cuius operâ potissimùm Ioannes Burgundus à Turcico carcere fuerat liberatus, moritur, & Brugis ad D. Donatiani suo in sacello sepelitur. *Meyerus.*

MCCCCXVI. Ferdinandus Castellæ Rex, die secundo Aprilis decedens, Alfonsum filium regni heredem nuncupauit. *Mariana.* Hieronymus Pragensis, sectæ Hussiticæ assecla, à concilio Constantiensi damnatur & crematur, XXX. Maij. 1416.

MCCCCXVII. Sigismundus Imp. Electoratum Brandeburgensem 18. Aprilis donat Frederico Burggrauio Noribergensi. XXX. Maij Guilielmo Bauaro Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ Comite hoc anno defuncto, *Iacoba* filia succedit: quæ anno proximè sequenti cum Ioanne Brabantiæ Duce nuptias contraxit. *Diuæus.* Sublato schismate MARTINVS V. domo Romanus, Otho Columna dictus anteà, creatur Pontifex Maximus, in concilio Constantiensi. Sigismundus Imp. ex Anglia reuersus, in arce Mondluetana, non procul Lugduno, Amadeum primum Sabaudiæ ex Comite creat Ducem. Alij paullò antè in concilio Constantiensi factum id adfirmant. *Vanderburchius.* Adolfus II. Cliuiæ Comes in concilio Constantiensi à Sigismundo Imp. primus Cliuiæ Dux creatur. Franciscus Zabarella, Cardinalis & Episcopus Florentinus, Constantiæ moritur VI. Nouembris, & Patauij in patria æde summa conditur. *Ciacon.* 1417.

1418. MCCCCXVIII. X. Aprilis Ioannes Brabātiæ Dux in Haga Comitis nùptias contrahit cum Iacoba, Guilielmi Bauari, Hannoniæ Hollandiæq; Comitis, filia & herede, Martino V. Papa super secundo consanguinitatis gradu dispensante. *Dinterus*. IOANNES VII. PALAEOLOGVS, Manuelis F. patri in imperio Constantinopolitano succedit. Ioannes Bauarus, electus Episcopus Leodicensis, cùm suis annos XXVIII. præfuisset, episcopatum in manus Martini V. Papæ resignauit. Ioanni Bauaro Martinus Papa Ioannem Vuallenrodium, tunc Rigensem in Liuonia Archiepiscopum suffecit, qui hoc anno VIII. Augusti solenniter in sede sua est collocatus. *Dinterus*. Seditione ortá Pragæ, septem Senatores per fenestras à populo præcipitantur.

1419. MCCCCXIX. Vincentius Ferrerius Valentinus, ordinis D. Dominici, in Domino obdormit Venetiæ, in Gallia Aremorica: cuius ea tempestate fama per ora omnium nationum volitabat, ad quas Euangelij lumen intulit. Certò constat patrio sermone concionantem ab externis gentibus, auditum libenter, atque intellecta quæ diceret: quod ab Apostolorum temporibus paucis contigit. Doctrina miraculis confirmata, cæcorum aperta lumina, claudis gradiendi facultas data, omne genus morbi depulsū, mortui ad vitam reuocati. Vt minùs mirum sit, eiùs operâ innumerabilē hominum multitudinem, altissimis eatenus ignorantiæ tenebris oppressam, cælesti illustratam lumine, CHRISTO nomina dedisse. In vna Hispaniâ Mauri ad octo millia, Iudæi ad triginta quinq; millia, ac præsertim Palentiæ in Vaccæis multò maxima Iudæorū pars, Christiana sacra suscepit. *Mariana hist. Hisp. lib.* 19. *c.* 12. In Ioannis Vuallenrodij, Leodicensis Episcopi defuncti locum, Ioannes Heinsbergius, annos XXIII. natus sufficitur. *Dinterus*. Ioannes XXIII. olim eo nomine Pontifex, pòst, abdicato pontificatu, Cardinalis & Episcopus Tusculanus, Florentiæ moritur. Thesauris, quos pontificatus tempore congesserat maximos, *Cosmus Mediceus* potitus est: qui illi gradus & posteris ad amplissimas diuitias fuit; vrbisque suæ principatum. Sic vulgò persuasum. *Mariana lib.* 20. *cap.* 6. Vuencesłao, Bohemiæ Rege, apoplexiâ 16. Augusti exstincto, Hussitæ sibi ducem Ioannem Ziscam delegerunt, plurimáque per Bohemiam templa ac monasteria euerterunt. Æneam Siluium in Bohemiæ historia consule. Rostochiensium Academiam hoc anno institutam tradit Crantzius. Mense Septembri, Ioannes Burgundiæ Dux Flandriæque Comes, fraude Caroli Delphini Viennensis, ad colloquium euocatus, in arce Monstrolia perfidè trucidatur. Hinc immortales iræ inter familias Burgūdicam & Francicam natæ. Ioanni successit filius *Philippus* cognomento *Bonus*: qui, Regem, Reginam, Catharinam filiam, atque vrbem regiam Parisiensem, Henrico Angliæ Regi dedit, paternæ cædi vindicandæ.

Medicea gens.

1420. MCCCCXX. Baldus Vbaldus, Iureconsultus celeberrimus, ætate prorsus

fus decrepitâ, Ticini seu Papiæ, & Ioannes Franciscus Poggius, Florentinus in patria, itidem senex, moriuntur. Inter Henricum V. Angliæ Regem & Philippum Bonum Burgundiæ Ducem, mense Martio, fœdus concluditur, hac inter ceteras lege: *Anglus Catharinam Caroli VI. Francorum Regis filiam ducet vxorem, dotisque nomine, post Caroli mortem, Francorum accipiet regnum, filio Delphino, ob cædem Ioannis Burgundi, exheredato*: vt ampliter Heuterus aliique narrant. Philippus Mediolanensium Dux, Carmignola militiæ præfecto, omnem ditionem paternam recuperat.

MCCCCXXI. Mahumetes I. Turcarum Rex VII. moritur: succedit filius AMVRATES II. Turcarum Rex VIII. *Leoncl.* Mense Nouembri, inter Montem S. Gertrudis & Dordracum, Hollandiæ opida, pagi LXXII, fluctibus maris absorpti sunt. *Meyerus.* 1421.

MCCCCXXII. Albertus vltimus Saxoniæ Dux & Elector, ex familia Anhaltina, moritur, non relicto herede. Successit illi in Electoratu Saxonico Fredericus Marchio Misniæ & Lantgrauius Thuringiæ. Henrico V. Angliæ Regi pridie Kal. Septembris defuncto, succedit filius *Henricus VI.* Mense Octobri moritur & Francorum Rex Carolus VI. Hic primus tria tantummodò lilia, pro insigni in scuto expressa gestauit; vt Genebrardus & alij volunt. Ceterùm lilia Regibus Galliæ ab antiquo placuisse, argumento sunt effigies *Clotarij* primi, Clodoueco geniti, quæ in eius tumulo apud Suessiones visitur, calceo lilijs asperso; *Chilperici* filij effigies ad Lutetiam in templo S. Germani sceptrum manu tenens, in quo est lilium; *Sigebertus* in templo S. Medardi amictus tunica liliatâ; *Caroli Simplicis* tumulus Peronæ in æde S. Furfei, ijsdem conspicuus. In antiquissimis item Regum palatijs, in templis alijsque publicis Galliæ ædificijs lilia visuntur. In antiquo rituali inaugurationis Regum, Abbas monasterij Dionysiani iubetur inter cetera Remos adferre coronam regiam, sceptrum, caligas, & tunicam, lilijs aureis intexta. Dantes lilia à *Philippo III* polluta canit: idem cùm de impetu in Bonifacium iussu Philippi Pulchri facto loquitur; *Video*, inquit, *lilium Anagniam introire, Christique vicarium capi.* Reges porrò antiqui lilia in cyaneo campo indefinita habuêre; recentiores tribus dumtaxat vsi sunt. Quorumdam opinio est bufones in militaribus signis Francorum olim visos: quod illi nullo auctore dicunt. Villaneus Philippo Pulchro Rege vixit: is libro historiæ quarto; *Hugo Capetus*, inquit, *gentilesque eius in campo cyaneo lilia aurea semper habuêre: at Carolus Magnus, in parte aurei campi, fusci coloris aquilam gestasse traditur, in alterâ verò indefinito numero lilia.* Hæc ferè Massonus lib. 3. Annalium Galliæ. Memini autem, vt obiter hoc moneam, non semel vidisse me bufones in æneis Gallorum tormentis maioribus, velut insigne regium, expressos; pro vulgi nimirum opinione. Redeo ad Carolum Sextum, cui defuncto iure hereditario in regno successit filius *Carolus Septimus*; quamquam Anglis Burgun- 1422.

De lilijs & scuto Regum Galliæ.

disque turbantibus. Adeò quidem vt Henricus VI. Angliæ Rex adhuc infans, paullò post Sexti obitum, Parisijs voce præconis, tubis præcinentibus Francorum quoque Rex sit proclamatus, ordinesque omnes eius in verba iurarint, & sigillum grande, regni vtriusque insignia, lilia ac leones continens, sit confectum; summâ rei patruo eius Betfordiæ Duci commissâ. Erat his temporibus Carolus Septimus in Aruernis, à suis pariter Rex est salutatus: etsi hostes ipsum Regem Biturigum (quâ vrbe ferè se continebat) vulgò appellarent.

Iacoba Bauara, Hannoniæ Hollandiæq; Comes, instigantibus proximis suis, mariti sui Ioannis Brabantiæ Ducis consortium multò antè auersata, ex Hannonia Caletum se contulit, illincque in Angliam enauigauit. Moxque missis Romam legatis, Duci diuortium opposuit, adulterina dicens ea diplomata fuisse, quorum virtute cognationis vinculum inter eos solutum erat. Dux Romam citatus, Episcopum Cameracensem & Ioannem Bontium Brabantiæ Cancellarium, cò misit, vt caussam nuptiarum cõtra Iacobæ procuratores, defenderet. At illa, non exspectato litis fine, Humfrido Clocestriæ Duci nupsit, Henrici V. Anglorum Regis fratri. *Dinaus.*

1423. MCCCCXXIII. Philippus Mediolanensium Dux Genuam occupat, & Florentinis bellum indicit. Philippo Burgundiæ Duci, in expiationem paternæ cædis, Franci cedunt ditionem Veromanduorum, tractusq; vicini: sicque pax aliqua constituta, at parum fida. *Masseus.* Ioanna Regina Neapolitana, Alfonso Tarraconensi irata, adoptionem rescidit, & Ludouicum Andegauensem adoptatum Romam euocat, & Calabriæ Ducem designat. *Vignierius.*

1424. MCCCCXXIV. Zisca Hussitatum Dux, Bohemiæ pestis, iusto Dei iudicio, peste exstinguitur. De quo vide multa apud Æneam Siluium. Rhœti, ad suæ libertatis tuitionem, primo sese fœdere obstringunt; teste Vignierio. *Iacobus I.* è carcere liberatus, regnat apud Scotos annis XXIV.

1425. Ordo eremitarum S. Hieronymi. MCCCCXXV. Ordo monachorum S. Hieronymi à Lupo Olmetano Romæ in monasterio S. Alexij (quod hactenus fuerat Canonicorum regularium, ordinis Præmonstratensis) restituitur: sub propria regula ex S. Hieronymi scriptis concinnata. Sic Onufrius in chronico. At Mariana, *Anno*, inquit 1427. *Hieronymiani monachi in duas factiones scissi sunt. Lupus Olmedius, Martini Rom. Pont. gratia pollens, cum quo, Lutetiæ studiorum*

S. Isidori congregatio. *tempore, eodem contubernio vsus erat, dissidij auctor exstitit, nouæ sectæ capite, D. Isidori nomine, monasterio ad Hispalim constituto: vnde vniuersæ familiæ appellatio facta est. Nostra ætate resarcita concordia, ij monachi veteribus Hieronymianis, vnde prodierant, contributi sunt, cura Philippi II. Hisp. Regis.*

Ioan-

Ioannes IV. Brabantiæ Dux, cùm vrbs Louaniensis, pereunte lanificio, paullatim ad vastitatem rediret, Academiam ibi instituit, approbante Martino V. Pontifice Maximo & potestatem faciente omne genus artium docendi; solâ tamen Theologiâ exceptâ. Diploma datum est, signatumque hoc anno V. Idus Decembris. Lectiones autem anno demum sequenti, postridie Kal. Octobris primùm sunt habitæ. Anno autem 1431. Eugenius IV. indulsit, vt & Theologia Louanij doceretur: cùm eius rei caussâ legatos ad ipsum misisset Philippus Burgundiæ Brabantiæque Dux: Princeps verè cognomento Bonus, qui & Dolanam Academiam, in Burgundiæ Comitatu excitauit. De Louaniensis Academiæ laudibus eleganter multa Lipsius in suo Louanio. Ioannes Bauarus, olim Leodicensis Episcopus, pòst Hollandiæ & Zelandiæ procurator, moritur. Academia Louaniensis.

MCCCCXXVI. Rex Cypri capitur, Nicosia item, pluraque alia eius insulæ opida à Sultano Ægyptio diripiuntur. 1426.

MCCCCXXVII. Ioannes IV. Brabantiæ & Limburgi Dux, mense Aprili Bruxellæ moritur, nullis liberis relictis, & Furæ sepelitur. Succedit frater *Philippus*, S. Paulli & Liniaci Comes. Iacoba porrò Bauara vno eodemque mense duobus maritis est priuata: Ioanne Brabanto per mortem, Humfrido autem Britanno, per Martini V. Pontificis sententiam. Quâ quidem iustum legitimumque eius cum Brabanto matrimonium cùm esset pronuntiatum, Humfridus aliam in Anglia coniugem duxit: Iacoba verò præter dignitatem Francisco Borselio, nobili quidem familia apud Batauos nato, at clienti suo beneficiario, postmodùm nupsit. Veneti cum Florentinis fœdus icerunt. Carmignola ad Venetos defecit. 1427.

MCCCCXXVIII. Philippus Bonus, Burgundiæ Dux & Flandriæ Comes, à Ioanne Comite Namurcensi, consanguineo suo, cui nulla proles erat, ditionis eius principatum emerat, hac lege, vt quamdiu viueret, illo frueretur. Ioanne itaque hoc anno defuncto, Philippus hereditatem eius Namurcensem adijt. Lucenses cum Florentinis bellum gerunt. 1428. Namurcum Burgundiæ accedit.

MCCCCXXIX. Aurelia nobilis ad Ligerim ciuitas septimum iam mensem ab Anglis obsidebatur. Ciues rerum omnium inopia laborantes vix mœnibus hostilem vim propulsabant. *Ioanna* puella annorum non amplius octodecim rebus adflictis saluti fuit. Hæc ex opido, cui à S. Remigio nomen est, in agro Tullensi apud Leucos nata, patre Iacobo Darcio agricola, matre Isabella, probis & honestis moribus, pascere paternas oues solita, ad Carolum Galliæ Regem venit, prædicans se à Deo missam, vt Aureliã obsidione liberaret, vtque eum Remos ad sacram inaugurationem perduceret. Hæc dicenti fides non priùs habita, quàm rogata à compluribus Theologis, plenè respondit. Tum ire Aureliam cum exercitu, ad commeatum in eam importandum, permissa est. Armis fulgens signum militare tulit candidi coloris, in 1429. Ioanna virgo Tullensis.

quo

quo ſpectabatur CHRISTI imago, lilium manu geſtantis. Intrepidè itaque ſpectantibus hoſtium copijs, vrbem ingreſſa eſt. Nec mora, Anglos priùs, vt ab obſidione recederent, monitos, nec obſequentes, VI. Kalend. Iunij hoc anno circa auroram adoritur; ciuibus, illâ duce, quoduis periculum ſubire paratiſſimis. In ipſo ardore pugnæ, ſagittæ ictu, grauiter collum inter atque humeros ſauciata, neque pedem retulit, neque vulnus obligari paſſa eſt, quin acerrimè prælians & permixta fortibus viris, magnum ad victoriam momentum attulit. Angli itaque victi, & Aurelia liberata. Hoc primùm puellæ egregium facinus fuit. Cuius rei teſtis eſt Ioannes Comes Dunenſis: is annos natus vnum & quinquaginta, iubente Calliſto Pontifice, interrogatus de rebus à puella geſtis Aureliæ, quæ hactenus dicta ſunt, productus dixit, eiuſque depoſitionem ex armario Eccleſiæ Pariſienſis, vbi adhuc ſeruatur, exſcribere placuit. Idemque teſtis ſuper eius pudicitia interrogatus, reſpondit nullum à quoquam niſi caſtæ & pudicæ, modeſtæque virginis ſignum in ea deprehenſum: idemque affirmauêre alij, magno numero producti teſtes idonei, atque omni exiſtimatione maiores. Quò magis mirandum poſt tot annos Ioannæ cineres impudicitiæ argui, quos grauiſſimi ſcriptores laudant, Alanus qui Gallico ſermone res geſtas Caroli VII. memoriæ mandauit, Antoninus Pontifex Florentinus, Gerſo inſignis Theologus, Æneas Siluius, Fulgoſius lib. 3. Georgius Caſtellanus, in vita Philippi boni, Benedictus Curius in Mediolanenſi hiſtoria, Laonicus Chalcondylas lib. 2. de rebus Turcicis; cuius nolo locum illum præterire: *Erat mulier formâ haud illiberali, quæ dicebat ſibi cum Deo eſſe colloquium. hæc regebat Gallos, qui ipſam ſequebantur, militiæque dux erat.* Mariam Puteolanam ſui temporis fortem & ſpectatam bello virginē * Petrarcha, alij alias laudent. At multò magis Ioanna videtur laudanda, cuius auſpicijs Angli ab Aureliæ mœnibus depulſi, tot vrbes bello receptæ, & Carolus VII. Rex per medios hoſtes, ad ſuſcipiendam inaugurationem, Remos ductus. Quæ cùm feliciter ſucceſsiſſent, fortunâ eam in medio curſu deſerente, capta ad Compendiū opidum, magicæque ſuperſtitionis accuſata, Rotomagi medio in foro, iuſſu Henrici Anglorum Regis, an. 1431. igne combuſta eſt. Petrus Cauchonius, Bellouacorum Epiſcopus, præcipuus concitator exſtitit, nemine pro captiua contra hiſcere auſo; tametſi plerijſque perſuaſum erat, eam iniuria fuiſſe damnatam; vt dati in cauſſa iudices à Calliſto Rom. Pontifice pronuntiarunt. Anno namque 1456. Iſabella, Ioannæ mater, reſcriptum à Pontifice dicto obtinuit, quo Ioannes Archiepiſcopus Remenſis, & Guilielmus Pariſienſis, cauſſæ illius cognitores eſſe iubebantur. Innumerabiles itaque teſtes ſuper Ioannæ natalibus, vita, religione, moribus, rebus geſtis fidem fecêre, virginem illam iniuria damnatam: atque ita pronuntiatum eſt ab illis Antiſtitibus, an. 1456. Nonis Iulij. Quarum rerum acta in ſcrinio Pariſienſis eccleſiæ adhuc ſeruantur. Ærea fortiſſimæ virginis, ante CHRISTI crucifixi imaginem flectentis, ſtatua Aureliæ in ponte ſuper Ligeri viſitur, accepti beneficij monumen-

* Lib. 4. Rerum famil.

Delrij Diſquiſ. magicas conſule.

numentum. Ceterùm siue iure siue iniuria damnata est, res Anglicæ eius aduentu turbari cœptæ, in deteriorem statum paullatim abière. Hæc ferè Massonus & Mariana. Ioannes Gerson, sic dictus à loco natali, qui est in diœcesi Remensi, Doctor Theologus & Cancellarius Parisiensis, hoc anno moritur, iuxta Trithemium; at secundùm alios, an. 1432. Paullus Guinisius, Lucæ dominus, à suis captus, Philippo Mediolanensium Duci traditur: vbi vnà cum filio carcere diuturno est maceratus. *Funccius.*

Anno MCCCCXXX. Philippus Bonus, Burgundiæ Brabantiæque Dux, & Flandriæ Comes, tuendæ maiorum religioni, & augendo stabiliendoque imperio, Equitum VELLERIS AVREI collegium longè augustissimum instituit: ductâ nimirum origine & appellatione siue ab Iasone, qui in Colchida cum Argonautis eà profectus est naui, quæ maria primùm sulcasse dicitur, & nuncupata est 1430. Ordo Equitum Velleris aurei.

Argo, quòd Argiui in ea lecti viri
Vecti, petebant pellem inauratam arietis;

Seu potiùs à Gedeone, magno illo Israëlitarum duce, qui vellus siccum, deinde rorulentum vidit, intactæ scilicet Virginis-Matris symbolum, eoque signo confirmatus, trecentos iussu Dei viros elegit, quibus numerosas Madianitarum copias profligauit. Ipso itaque nuptiarum die, quas Brugis Flandrorum, III. Idus Ianuarij hoc anno cum Elizabetha, Ioãnis Lusitaniæ Regis filia, regio planè luxu celebrauit, Equites XXIV. delegit, & singulis torquem aureum, insertis ignitabulis, scintillas ex silice excutientibus (quod quidem symbolum fuit Ioannis Intrepidi, Burgundiæ Ducis) aureoque vellere appenso donauit. Singulos item toga coccinea, siue purpurea lanea in comitijs publicis vti voluit: quã filius Carolus Audax comitijs postea in vrbe Valentiana apud Hannones celebratis, in holosericam commutauit. Idem Philippus quattuor, vt vocant Officiarios, puta *Cancellarium, Thesaurarium, Regem armorum*, & *Secretarium* siue *Scribam* huic nobilissimo Equitum collegio subministrare voluit. Ceterùm initio non nisi XXV. Equitibus collegium constitit, ipso Philippo Duce ceteris annumerato, qui quidem diplomate anno 1431. Insulis Flandrorum dato, sodalitium XXXI. Equitum deinceps futurum pronuntiauit. At Carolus postea Quintus eo nomine Cæsar, anno sui sæculi decimo sexto, Bruxellis conuentum agens, sodalitium vnius & quinquaginta Equitum statuit. Vide plura apud Heuterum, & in Originibus nostris Equestribus. Augusto mense Philippus I. Brabantiæ & Limburgi Dux in arce Louaniensi viuis excessit, Furæ conditus. Successit Philippus Burgũdiæ Dux Flandriæque Comes cognomento BONVS, eius patruelis. *Dinterus.* Carolo II. Lotharingiæ Duci defuncto, succedit filia *Isabella*, Renato Andium Duci nupta. De cuius rebus gestis lege Francisci Roserij stemmata Ducum Lotharingiæ. Brabãtia accedit Burgundiæ.

1431. MCCCCXXXI. Martinus PP. V. moritur, succedit EVGENIVS IV. Venetus, antea dictus Gabriel Condelmerius, Canonicus sæcularis S. Georgij in Alga apud Venetias. Concilium *Basileense* incohatur: quod anno demum 1442. est absolutũ. *Onufr.* Est id ex parte reprobatum: quoad ea nimirum, quæ ibidẽ de auctoritate concilij, & depositione Eugenij Papæ decreta fuerunt. Thessalonicam vrbẽ hoc anno ab Amurate Turcarum Rege occupatam Leonclauius tradit. Alij ad an. 1438. aut 1439. referunt. Antonius Vaudemontij Comes, Caroli Lotharingiæ Ducis, anno superiore defuncti, frater, Lotharingiæ Ducatũ sibi deberi prædicans, competitorem suum Renatum Andiũ Ducem, Comitemq; Barrensem, quique iure vxorio suum contendebat esse Ducatum, iuxta concilij Basileensis sententiam, memorabili prælio vincit & capit, mense Augusto. Renatus ad Philippum Burgundiæ Ducem, qui Antonio auxiliares miserat copias, missus, Diuione in custodia diu fuit. Sicque Alfonsus interea Aragonius in regno Siciliæ seu Neapolitano res suas stabiliuit. Henricus Angliæ Regis filius, annos nondum XII. natus, Lutetiæ per Cardinalem Vuinceftriæ coronatur. Apud Pictones gymnasium litterarium instituitur. *Meyerus.*

1432. MCCCCXXXII. Sigismundus Imp. Romæ, in basilica Vaticana, ab Eugenio IV. coronatur, XV. Kal. Iunij, auctore Onufrio.

1433. MCCCCXXXIII. Ordo seu congregatio fratrũ *S. Ambrosij* ad Nemus Mediolani institutus, sub regula S. Augustini, ab Eugenio IV. confirmatur. *Onufrius.* B. Liduuina siue Lideuuigis, virgo Schidamensis, Hollanda, in Domino obdormit. Vitam eius scripsêre Ioannes Brugmannus, ordinis D. Francisci, & Thomas Kempensis. Inter Renatum Andegauensem & Antonium Vaudemontanum Philippus Burgundiæ Dux pacem componit; accipitque Antonij filius natu grandior vxorem sibi Iolantillam, Renati filiam maiorem. *Meyerus.* Ioannes Borbonij Dux, Londini in Anglia captiuus, moritur; succedente filio Carolo.

1434. MCCCCXXXIV. Amadeus IX. Sabaudiæ Dux primus, amissa vxore, sæculi pertæsus, apud Ripallium, Geneuensis diœcesis opidum, in cœnobio S. Mauritij, ordinis Augustiniani, suis à maioribus excitato, monasticam vestem induit. Ludouicus III. Andegauensis Prouinciæ Comes, & Ioannæ Neapolitanæ Reginæ ex adoptione filius, rebus feliciter ad Neapolim gestis obijt, nulla sobole relictâ: sicque Renatus eius frater, Ambari & Lotharingiæ Dux, Andium Ducatu & Prouinciæ Comitatu augetur. *Vignierius.*

1435. MCCCCXXXV. Ioannes ab Imola IC. clarissimus Bononiæ in patria moritur, 18. Febr. Alij ad annũ sequentem referunt. *Ladislaus* Iunior Polonorum Rex annos decem præfuit. Alfonsus Aragoniæ, & Ioannes Nauarræ Reges.

Reges, Henricus militiæ S. Iacobi, Ioannes Alcantaræ Magistri, Ioannes Antonius Princeps Tarentinus, Ioannes item Antonius Dux Suessanus, atque alij centum ampliùs proceres, toparchijs insignes, à Genuensibus ad Caietam superati capiuntur. Alfonsus ad Philippum Mediolani Ducem ductus, liber ab eo dimissus est. Qua re commoti Genuenses, spreto Philippo, pulsisque eius præsidijs, in libertatem sese vindicarunt. *Folieta.*

Atrebati inter Carolũ Franciæ Regem & Philippum Burgundiæ Ducẽ pax coit: hac inter ceteras conditione, vt præter Comitatus Matisconensem, Bolonienſem & alios, Quintinopolis, Ambianum, Abbatis-villa, aliaque opida ad vtramque Somonæ ripam sita, Burgundo cedant, donec ipsi aut successoribus Francus eiusúe heres quadringenta aureorum millia persoluerit. Philippo itaque adiutante, Franci Anglos Lutetiá alijsque opidis plurimis expulerunt. De his Heuterus legatur.

MCCCCXXXVI. Iacoba Bauara, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæq; Comitissa, Frisiæ, Transisalanæ & Groningæ domina, moritur. Hereditarias consobrinæ suæ prouincias adijt *Philippus Bonus*, Burgundiæ Brabantiæque Dux. Isabella, Renati Andegauensis vxor, virilis animi mulier, marito adhuc captiuo, res in Apulia fortiter gerit. 1436.

Hãnonia Hollandiaque iungũtur Burgundiæ.

MCCCCXXXVII. Sigismundus Imp. Znoimæ V. Idus Decembris moritur: succedit gener eius ALBERTVS II. Austrius. Renatus Andegauensis à Philippo Bono è custodia dimissus, Neapolitanum bellum ductu auspicijsque suis strennuè gerit. 1437.

MCCCCXXXVIII. Concilium FLORENTINVM œcumenicum seu vniuersale XVI. approbatum, Ferrariæ incohatur, & anno sequẽti Florentiæ finitur: *Onufrius.* In hoc concilio Ioannes Palæologus Græcorum Imperator Eugenium IV. vniuersæ Ecclesiæ caput agnoscens, eidẽ se suosque summa humilitate submisit. Quod & Æthiopes, Armenij, Georgiani & Iacobitæ fecêre. Eodem concilio Eugenius concilij Basileensis insolentiam, aduersus pontificiam potestatem, fregit ac refrænauit. Nec silendum, constitutiones, quas ordinis S. Basilij monachi Græci hodieque per Siciliã, Calabriam, aliasque Italiæ prouincias seruant, ab huius Florentini concilij Patribus, ipsis præscriptas fuisse. Horum Græcanicorum cœnobiorũ caput est *Grotta Ferrata*, duodecimo lapide ab Vrbe Roma, in agro Tusculano, sita: cuius monasterij fundator S. Nilus Abbas, patriá Calaber, Martyrologij Rom. tabulis ad diem 26. Septembris adscriptus, exstitit. Basiliani porrò monachi isti in media etiam Italia, vt sunt natione ferè Græci, officia diuina Græcè celebrant, à carnibus abstinent, & Archimandritis suis subsunt. Patrum memoriá Guilielmũ Sirletũ, Cardinalem Græcè Latineque doctissimũ 1438.

Ordinis S. Basilij monachi per Italiã.

Grotta Ferrata Archimandritam habuit & coluit. Ceterùm in Græcia hodieque plurimi sunt monachorum Basilianorum conuentus: quorum plerique, pro veteri gentis errore, sunt schismatici, exceptis tamen ijs, qui in Creta insula alijsque locis Reipublicæ Venetæ subditis degunt. Vide Morisum lib. 1. cap. 16. Ericus regnis suis pulsus, solam insulam Gotlandiam retinet. Post quem *Christophorus Bauarus* Daniæ & Noruegiæ Rex fuit annos nouem. *Funccius*.

1439. MCCCCXXXIX. Amurates Turcarum Rex Seruiæ seu Rasciæ arcem regiam Sinderoniam expugnat, & Gregorium, Georgij Despotæ soceri sui filium, oculis & pudendis priuat. *Cuspin.* Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus Florentiæ moritur, & Bessarion Græcus, Archiepiscopus Nicenus, ordinis S. Basilij monachus, vir Græcè ac Latinè doctissimus, ibidem ab Eugenio IV. Cardinalis creatur. *Ciaconius.* Albertus II. Imp. moritur VI. Kal. Nouembris, in Alba regali conditus: successit post mensium aliquot interregnum, FREDERICVS III. Austrius. Amadeus VIII. olim Sabaudiæ Dux, ex monacho in schismate contra Eugenium VI. Antipapa in concilio Basileensi creatur, dictusque est *Felix V.* Itaque Ludouicus eius filius Geneuæ existens, Comes & Princeps Pedemontanus, patri ad antipapatū vocato in Sabaudiæ Ducatu hoc anno succedit. *Vanderburchius*.

1440. MCCCCXL. S. Francisca, vidua Romana, cognomento Pontiana, ex hac vita ad meliorem transit; à Paullo V. Papa an. 1608. cælitibus adscripta. Carolum Ducē Aurelianensem prælio Azincurtiano ad Anglis captum, Philippus Bonus, ducentis aureorum millibus numeratis, è custodia Anglica educit; & positis odijs, amicitia inter vtrumque Ducem coit. *Heuterus.* De Typographicæ artis planè diuinæ inuentione variæ certant gentes. Lusitanorum sanè nauigationibus compertū est, artem typographicam tam vetustam esse apud Chinenses Indiæ populos, vt omnem hominū memoriam superet, semperque apud eosdē vsurpata fuisse videatur. Quâ de re vide Garsiā Hortam lib. 1. aromatū apud Indos nascentium c. 38. Ioannem Barrū sua in Asia, dec. 1. lib. 9. c. 1. Paullum Iouium lib. historiarum 19. Melchiorem Guilandinum in Papiro, membro 26. & historicos, qui de rebus Indicis scripsēre. Hoc tamen notant, in laminis ferè integris apud Chinenses litteras sculpi solere, sicut apud nos icones siue imagines sculpuntur: quales & hodie catechismi inde adferuntur. Quæ vt ita sint, nullum tamen incommodum erit, rem vnam eamdemque & nouam & veterem censeri, relatione ad diuersos populos, nec eodem sub Sole iacentes. Videamus itaque, cui apud Europeos huius rei gloriam tribuamus. Sunt qui *Ioanni Fausto*, ciui Moguntino, ad annum hunc adtribuant. Polydorus autem Vergilius Ioannem Gutenbergium equestri virum dignitate, huius artis inuentorem prædicat. Iacobus VVimpfelingus, historiæ suæ cap. 65. dicit eam Argentinensem fuisse, eademque in

Typographicæ artis inuentio.

vrbe

vrbe hanc ipsam artem hoc anno primùm excogitasse, indeque Moguntiam profectum eamdem feliciter auxisse. Gilbertus Cognatus lib. 3. Siluæ narrationum, Augustæ Vindelicorum istam inuentionis typographicæ laudem tribuit. Vt vt sit, libri certè Mathematici in ea primũ vrbe cum figuris geometricis excusi sunt ab Erhaldo Bartholdo ciue, qui postea Venetias concessit. Atque è Germania quidem Romam in Italiam à *Conrado* quodam homine Germano an. 1458. primùm allatam idem Polydorus fatetur. Id *Vdalrico Han* VVimpselingus tribuit, quem in Vrbem venisse vult an. 1471. Fuit & is natione Germanus, cognomento *Han*, quod Latinis gallum gallinaceum sonat. Quod familiæ cognomen latinè redditum Ioanni Antonio Campano Episcopo Aprutino, alijsque erroris occasionem dedit, vt hunc Vdalricum natione Gallum fuisse existimarent. Neapolitanis verò an. 1471. *Sixtus Rufingerus* Argentoratensis excusoriam artem primus monstrauit, teste VVimpfelingo ibidem. Germanorum certè hoc esse inuentum scriptores pænè omnes tradidère. Harlemenses tamen hanc sibi laudem prorsus vindicare conantur; nec vanè fortasse, si Hadriano Iunio, in Batauiæ descriptione, credimus, qui *Laurentium Ioannem*, cognomento *Aedituum* siue *Custodem*, ciuem & incolam Harlemensem, huius rei inuentorem prædicat: *Is*, inquit, *fortè in suburbano nemore spatiatus, cœpit faginos cortices principio in litterarum typos conformare, quibus inuersa ratione sigillatim chartæ impressis versiculum vnũ atque alterum animi gratia ducebat, nepotibus generi sui liberis exemplum futurum. Quod vbi feliciter successerat, cœpit animo altiora agitare, primumque omnium atramenti scriptorij genus glutinosius tenaciusque, quòd vulgare lituras trahere experiretur, cum genero suo Thoma Petro, qui quaternos liberos reliquit omnes ferè consulari dignitate functos (quod eò dico, vt artem in familia honesta & ingenua, haud seruili natam intelligant omnes) excogitauit; inde etiam pinaces totas figuratas additis characteribus expressit. Quo in genere vidi ab ipso excusa Aduersaria, operarum rudimentum, paginis solùm aduersis, haud opistographis. Is liber erat vernaculo sermone ab auctore conscriptus anonymo, titulum præferens, Speculum nostræ salutis. In quibus id obseruatum fuerat, inter prima artis incunabula (vt numquam vlla simul & reperta & absoluta est,) vt paginæ auersæ glutine commissæ cohærerent, ne illæ ipsæ vacuæ deformitatem adferrent. Postea faginas formas plumbeis mutauit; has deinceps stanneas fecit, quò solidior minusque flexilis esset materia durabiliorque: è quorum typorum reliquijs quæ superfuerunt conflata œnophora vetustiora adhuc hodie visuntur. Fauentibus, vt fit, inuento nouo hominum studijs, cùm noua merx numquam antea visa emtores vndique exciret, cum vberrimo quæstu, creuit simul artis amor, creuit ministerium, additi familiæ operarum ministri. Quos inter Ioannes quidam, siue is (vt fert suspicio) Faustus fuerit, ominoso cognomine, hero suo infidus & infaustus, siue alius eo nomine, non magnoperè laboro. Is ad operas excusorias sacramento dictus, postquam artem iungendorum characterum, fusilium typorum peritiam, quæque alia eam ad rem spectant, percalluisse sibi visus est, captato opportuno tempore, quo non potuit magis idoneum inueniri, ipsa nocte, quæ Christi natalitijs solennis est, qua cuncti promiscuè sacris operari solent, choragium omne*

typorum inuolat, instrumentorum herilium & artificio comparatorum supellectilem conuasat, domoque se proripiens, Amstelrodamum principio adit, inde Coloniam Agrippinam, donec Moguntiam peruentum est; vbi quasi extra telorum iactum (quod dicitur) positus tutò degeret, suorumque furtorum apertâ officinâ fructum vberem meteret. Nimirum ex ea, intra vertentis anni spacium, ad annum 1442. ijs ipsis typis, quibus Harlemi Laurentius fuerat vsus, prodiisse in lucem certum est Alexandri Galli doctrinale, quæ Grammatica celeberrimo tunc in vsu erat, cum Petri Hispani tractatibus, prima fœtura. Ista sunt fermè quæ à senibus annosis fide dignis, & qui tradita de manu in manum acceperant, olim intellexi, & alios eadem referentes attestantesque comperi.

1441. MCCCCXLI. Post varia prælia maritima prædasque sæpiùs abactas, inter Hollandos & Oisterlingos, vt vocant, qui sunt Lubecenses, Hamburgenses, alijque Germanici Oceani accolæ, induciæ in annos XII. pactæ sunt, apud Hafniam Daniæ metropolim. *Meyerus.*

1442. MCCCCXLII. Ab hoc ferè anno incipit historia *Scanderbegi*, Principis Epiri & Albaniæ. *Christophorus Bauarus* Rex Sueciæ renuntiatur, Carolo Canuto consentiente, qui regnum illud, post eiectum Ericum, administrarat. *Funccius.* Alfonsus Aragonius Neapolim capit, pulso Renato Andegauensi, qui in Galliam ad suos redijt. *Ritius.* Fredericus Austrius Imp. postquam Aquis-Grani corona argentea fuerat redimitus, per Burgundiam in Austriam tendens, à Philippo Bono Vesontione varijs lætitiæ generibus excipitur, magnisque muneribus ornatur; cedens omni iure, quod Imperij nomine in Brabantiam, Hollandiam, Zelandiam ac Frisiam habebat. *Heuterus.*

1443. MCCCCXLIII. Leonardus Aretinus moritur Florentiæ 9. Martij, anno ætatis 74.

1444. MCCCCXLIV. Hic est annus cladis Varnensis, Christiano populo luctuosissimæ. In prælio apud Hadrianopolim commisso, loco cui *Varna* nomen, ab Amurate Turcarum Rege aliquot Christianorum millia cæsa; in his Vladislaus Hungariæ Rex capite ab hostibus truncatus, & Iulianus Cæsarinus S.R.E. Cardinalis, in fuga ab Hungaris latrunculis necatus. Ioãnes Huniades, Dux fortissimus, cum millibus aliquot Hungarorum & Vualachorum, euasit. Æneam Siluium & Paullum Iouium lege. S. Bernardinus, pius ordinis Franciscani reformator, natione Tuscus, ad Dominum migrat, an. 1450. Diuis adlectus à Nicolao V. Pont. Maximo.

1445. MCCCCXLV. Occiso Vladislao, in regno Hungariæ sibi debito successit LADISLAVS, Alberti II. Austrij Imp. filius postumus, annos quinque

que natus; Ioanne Huniade Coruino Hungariæ Pro rege designato, festis diebus Pentecostalibus. *Bonfin.* In Reges Poloniæ Boleslaus Dux Masouiæ & Casimirus Dux Lithuaniæ eliguntur, Boleslao sponte sua cedente, *Casimirus*, Rex coronatus annis XXXVI. regnauit. *Funccius.*

CONSTANTINVS XV. PALAEOLOGVS, Manuelis II. filius, creatur Imp. Constantinopolitanus.

MCCCCXLVI. Nicolaus Tolentinas, Picenus, ordinis eremitarum S. Augustini, ab Eugenio IV. in Diuos refertur. 1446.

MCCCCXLVII. Eugenius IV. Papa moritur; succedēte NICOLAO V. qui iacentes litteras cùm Græcas tum Latinas suo sæculo excitauit. Dictus est antea Thomas Lucanus, Sarzanâ Lucensis agri opido natus. Philippus Dux Mediolanensis moritur. Eius filiam naturalem, Blancā nomine, *Franciscus Sfortia* anno sequenti vxorem duxit, & Mediolanum occupauit. Turcæ Rhodum insulam oppugnant. Equitibus Rhodijs Philippus Burgundiæ Dux triremes tres egregiè armatas subsidio mittit: quibus & alijs Christianorum Principum auxilijs territi Turcæ obsidionem soluunt. *Heuterus.* 1447.

Iacobus I. Scotorum Rex à cognatis suis interimitur: cui filius *Iacobus* II. succedens, annis XIIII. regnauit.

MCCCCXLVIII. *Christiernus* Comes Aldeburgensis fit Daniæ & Noruegiç Rex; *Carolus*, Canuti filius, ad Sueciæ regnum euehitur, qui Noruegiam mox occupauit, post amissam insulam Gotlandiam. *Funccius.* Edmundus Dinterus, Vuenceslao, Antonio, Ioanni, & Philippo Bono Brabantiæ Ducibus ex ordine à Secretis, fusissimè scripsit historiam Brabantiæ, quæ ms. exstat apud R^mum^ patruum nostrũ, Ioannē Miræum, Episcopum Antuerpiensem & alibi. Obijt Dinterus hoc anno, Bruxellis ad D. Iacobi in monte Palatino conditus, vbi effigies eius hodieque visitur. His ipsis ferè temporibus Iacobus Angianus Eques, Ducum Brabantiæ res gestas, sed Gallico sermone, conscripsit, & Philippo Bono inscripsit. Exemplar ms. gentiles eius Bruxellis adseruant. 1448.

MCCCCXLIX. Matthæus Palmerius Florentinus chronicon, ab anno 449. in quo Hieronymus desijt, ad hunc vsque annum perduxit: quod Matthias Palmerius Pisanus vsque ad an. 1481. continuauit. Ioannes Stabulanus, cœnobij S. Laurentij apud Leodicenses monachus Benedictinus, historiam Episcoporum Leodicensium à temporibus S. Materni, qui D. Petri Apostolorum principis discipulus fuit, ad hunc vsque annum deduxit; quo & obijt. Stabulanum excipit Ioannes Lossensis, eiusdem monasterij sodalis. 1449.

MCCCCL. Quanta Lauretani templi celebritas, quantus cultus, quanta 1450.
dono-

donorum copia his temporibus fuerit, Flauius Blondus, historicus, qui Eugenio IV. ab Epistolis fuit, pulchre describit: *Recanetum inter & Adriaticum mare, paullulum à Musone flumine recedit celeberrimum totius Italiæ, vt in aperto immunitoque vico, sacellum gloriosæ Virginis Mariæ, in Laureto appellatum. Quo in loco preces supplicantium à Deo, gloriosissimæ suæ intercessione exaudiri, illud maximum certissimumque est argumentum, quod eorum, qui votis emissis exauditi fuerunt, ex auro, argento, cera pannis, veste linea laneaque, appensa donaria, magno lucundaque pretio, basilicamque omnem pæne complentia, Episcopus Recanetensis in Dei Virginisque gloriam intacta conseruat.* Est autem illa B. MARIAE domus ex Galilæa in Dalmatiam an. 1291. diuinitùs transportata: quo anno, capta Ptolemaide, Barbarorum armis Christiani Palæstinæ possessione sunt pulsi. Ex Illyrico autē, trans Adriaticum sinum, in Picenum, Italiæ regionem, an. 1294. est delata, atque in silua Recinetēsis agri collocata. Erat ea silua matronæ cuiusdā Recinetensis, piæ iuxta ac diuitis, cui *Lauretæ* nomen fuit: eiusque deinde nomine *Lauretana* ædes est appellata. Historiæ porrò *Lauretanæ* libros quinq; Horatius Tursellinus, Soc. IESV sacerdos, non minùs elegāter quàm piè conscripsit. Friburgensem in Brisgoia Academiam hoc anno institutā scribit Munsterus in sua Cosmographia: Funccius aliique id an. 1463. factum volunt.

B. Mariæ domus Lauretana.

1451. MCCCCLI. Ioannes Egmondæ in Hollandia dominus moritur, qui sex Canonicorum collegium ibidem instituit. Amurates II. Turcarum Rex VIII. Hadrianopoli moritur: succedit MAHVMETES II. Turcarum Rex IX. & primus Orientis Imperator. *Leonclau.*

1452. MCCCCLII. Albertus, Marchio Brandeburgensis, Frederici filius, *Achilles Germaniæ* dictus, floret. Ioannes Andegauensis, Renati & Isabellæ Lotharingiæ filius, defuncta matre, Lotharingiæ Ducatum adipiscitur. Is ex Maria, Caroli Borbonij Ducis filia, Elizabetham, Renatum, Ioannem & Nicolaum liberos sustulit. *Roserius.*

1453. MCCCCLIII. Constantinopolis, orientalis imperij caput & sedes, diebus quattuor & quinquaginta omnibus operibus impugnata, 29. Maij à Mahumete Turcarum Rege capitur; & Constantino Palæologo Imp. in pugna occiso, Christianorum in Oriente imperium finitur. Onufrius ad annum præcedentem hæc refert: sed pro nobis faciunt Bonfinius, Æneas Siluius, Leonclauius, Mariana, & quod caput est, Franciscus Foscarus, Venetiarum Dux, in sua ad Fredericum Imp. epistola, an. 1453. Iulij 27. datā, qua expugnatam scribit Constantinopolim 29. Maij proximè elapsi. Est autem capta Pentecostes feria secunda, vt violatæ fidei, quam in concilio Florentino Ioannes Palæologus Imp. dederat, mercedē agnoscas. Ex eo tempore vrbs illa Turcici imperij sedes fuit, suis copijs & nostris malis clara. Obseruatione dignum videtur, imperium Constantinopolitanum auspicijs Constantini

Magni

Magni in Oriente excitatum in altero Constantino defecisse. Sic & Romanum in Occidente imperium, quod Augusto Cæs. initia sua debebat, in Augustulo est exstinctum. In Portugallia nummi aurei recens percussi in primis probi, *cruciati* ex eo dicti, quòd per hæc tempora Lusitanis venia à Pontifice concessa est, quicumque cruce insigniti aduersus Christiani nominis hostes arma sumerent. *Mariana.*

MCCCCLIV. Ioanni II. Castellæ Regi succedit filius *Henricus IV.* 1454.

MCCCCLV. Nicolaus V. Papa moritur: succedit CALLISTVS III. 1455. Hispanus, antea dictus Alfonsus Borgia. Is Vincentium Ferrerium, Dominicanum, & Eduardum Angliæ Regem in cælites retulit. Philippus Bonus Belgarum Princeps, magno suorum commodo, perpetuum instituit concilium, cui Præsidem ac Procuratorem Principis (Generalem vocant) dedit, suamque semper Senatores aulam sequi voluit, hac ratione subditorum lites per appellationem cogniturus, & quæ alicuius forent momenti, suo iudicio finiturus: cùm antea pugnis ac latrocinijs, dissidentes inter se homines, ius suum tueri essent soliti, infirmiores verò à potentioribus semper opprimerentur. Senatus ac Curia Parisiensis (Parlamentum Franci vocant) ægerrimè institutionem noui concilij tulit, quòd Flandri atque Artesij, magno iurisperitorum Parisiensium quæstu, in eius vrbis curiâ per appellationem litigare essent consueti. Verùm Bonus in proposito perstitit, nec tamen cuiquam appellare ad Parisienses prohibuit. *Secretum* hoc concilium vocari voluit. Crescentibus successu temporis litibus, anno 1505. *Philippus* I. Austriacus in Hispaniam proficiscens, huius concilij Senatores diuisit, & fixam cuique parti sedem adsignauit; vnâ Machliniæ (indito *Concilij supremi* nomine) Principis iussu sedem figente, ad quam è prouincialibus curijs, Flandri, Artesij, Hollandi, Zelandi, Frisij ac Luceburgij appellant: alterâ in vrbe Broxellensi permanente, seruato arcani concilij nomine, & vnicuique Præside ac Principis Procuratore adtributo. *Heuterus.*

Secreti concilij origo apud Belgas.

Itē Machliniensis.

MCCCCLVI. Mahumetes Turcarum Imp. Belgradum, quam Albam Græcam vocant, cum exercitu 150000. hominū frustrâ obsidet atque oppugnat, Ioanne Huniade & Ioanne Capistrano, monacho Franciscano, vrbem fortissimè tuentibus; nec sine maxima hostium clade. Huniades porrò, Turcarum terror, eo ipso anno, mense Augusto, aut Septembri, vt alij volunt, cum post peccatorum confessionem, SS. Eucharistiam integris sensibus accepisset, pijssimè in Domino obdormiuit. *Aeneas Siluius.* 1456.

Ludouicus Galliæ Delphinus patri Carolo VII. Galliæ Regi infensus, ad Philippum Burgundiæ Ducē confugit, & annos quinq; apud Belgas humanissimè est habitus, at magno nostro malo ac damno, quod postea sensimus. Fuit hic annus Neapolitanis terræ motu atque hiatu infaustus. Vis mali ad Iserniam & Brundusium, in extrema Italiæ ora, maximè inualuit: multa opi-

de Amurate eiusque filio Mahumete partis, clarus ac felix exstitit: demum ad Alessium ditionis opidum morbo oppressus, aliquot pòst annis decessit: *Ioanne* filio relicto in Venetorum tutela quidem, iusso tamen Neapolim contendere, ibique ad iustam ætatem se sustentare ijs opidis legatis, quæ dederat Ferdinandus, nauatæ operæ præmium. Ab hoc *Castriotti* nobilissima familia propagata est in Italia, Siponti (vulgus Sancti Angeli ciuitatem vocat) in Apulia principatu. Georgio defuncto, Epiri res continuò conciderunt: tantùm sæpè præsidij rebus est in vnius viri virtute ac consilio. Scanderbegi pronepos fuit *Ferdinandus Castriottus*, qui sæculo superiore discisis habenis ad Ticinum perijt, manu Francisci Regis Galliæ cæsus. *Mariana*.

MCCCCLX. Basileensis Academia à Pio II. Papa instituitur. *Amadeorum* fratrum congregatio, sub regula S. Francisci, Mediolani incohatur; sic dicta ab auctore Amadeo, patriâ Lusitano, viro nobilissimo, qui olim Ioannes Menesius fuerat nuncupatus. Obijt is Mediolani an. 1482. miraculis antè & pòst obitum clarus. Ceterùm Amadeorum congregatio, Ministro prouinciali proprio exauctorato, Pij V. Papæ temporibus, Franciscanorum, vt vocant, Obseruantium se disciplinæ submisit. *Franciscus Gonzaga* 1. *parte hist. Seraph.* 1460. Amadeorum fratrum origo.

MCCCCLXI. Synopen & Trapezuntem Mahumetes Turcarum Imp. occupat, Dauide Comneno Rege cū duobus filijs capto ac cæso. Sic Chalcondylas & Leonclauius. *Eduardus IV.* Rex Angliæ post victoriam appellatus, annis XXIII. regnauit. Carolo VII. Galliæ Rege defuncto, filius eius *Ludouicus XI.* Remis, festo die Assumtionis Deiparæ, Remis coronatur, Philippo Bono Belgarum Principe comitante. 1461.

MCCCCLXII. Mahumetes insulam Mitylenen, quæ & Lesbos dicitur, occupat, cæso Dominico Catacusio, Lesbi Principe. *Leoncl.* Laonicus Chalcondylas Atheniensis, historiam suam de origine rebusque gestis Turcarum, circa hunc annum terminat. *Iacobus III.* Scotorum Rex annis 29. præfuit. Ioannes Trithemius, Abbas Spanheimensis, in vico ad Mosellam nascitur, Kalendis Februarij. 1462.

MCCCCLXIII. S. Didacus, in opido S. Nicolai de portu, diœcesis Hispalensis, apud Hispanos natus, ordinis D. Francisci, Compluti piè obdormit: à Sixto V. Papa Sanctorum catalogo inscriptus. Ludouicus XI. Galliæ Rex, numeratis quadraginta aureorum millibus, Boloniensem & Pontiniacensem Comitatus, adhæc Ambianum, Corbeiam, Peronam, Quintinopolim, aliaque ad Somonā fl. opida recipit. Flauius Blondus, qui Eugenio IV. Pontifici ab Epistolis fuit, historicus, Romæ moritur. 1463.

1464. MCCCCLXIV. Matthias Coruinus Hungariæ Rex coronatur, Frederico III. Imp. consentiente. *Bonfin.* Stephanus Rex Bosnensis, & iure vxorio Seruiæ & Rasciæ Despota, bello petitus à Mahumete Turcarum Imp. atque è castello ad colloquium euocatus, per fraudem interimitur, cute viuo detractâ. *Leoncl.*

Pius II. Anconæ, Piceni vrbe, XIX. Kal. Septembris, decessit, cùm totius ferè Europæ Principes ad pia contra Turcas arma conuocasset: Philippi Boni Burgundiæ Ducis loco ad sacram militiam venerat Antonius filius eius naturalis. Ceterùm Pio successit PAVLLVS II. Venetus, ante pontificatum Petrus Barbus nominatus. Nicolaus Cusanus, à natali vico ad Mosellæ ripas sic dictus, ex Archidiacono Leodicensi Episcopus Brixiensis & Cardinalis, post Constantinopolitanam aliasque legationes obitas; Tuderti in Vmbria moritur, & Romæ sepelitur. *Ciaconius.* Antonij Bonfinij Asculani de rebus Hungariæ commentarij desinunt.

1465. MCCCCLXV. Laurentius Valla, Romanus, Canonicus Lateranensis, Alfonso Aragoniæ & Siciliæ Regi olim à Secretis, Romæ moritur. Kal. Augusti, anno ætatis quinquagesimo. Isabella Borbonia, Caroli Audacis vxor, Antuerpiæ moritur, & in D. Michaëlis cœnobio, ordine Præmonstratensis, sepelitur in choro ante aram summam; *Maria* vnicâ filiâ relictâ.

1466. MCCCCLXVI. Georgius Castriottus, ob virtutē dictus Scanderbegus Epirotarum Princeps inuictus, rebus plurimis aduersus Turcas fortissimè gestis, febri exstinguitur, 27. Ianuarij, apud Alessium Albaniæ opidum. Georgius Podebracius Rex Bohemiæ à Paullo II. Papa hæreseos damnatur. Ludouico Allobrogum regulo denato succedit filius *Amadeus IX.* Sabaudiæ Dux tertius. Hoc tempore Rodericus Sanctius, vtriusque Iuris benè peritus, Romæ moli Hadriani præfectus, de rebus Hispaniæ piam magis quàm elegantem historiam conscribebat; Palentinam ex eo dictam, quòd is Palentiæ consequentibus annis Episcopus à veteri suo amico Paullo II. est datus, in Henrici Castellæ Regis gratiam, cui eam historiā dicauit. *Mariana.*

1467. MCCCCLXVII. Philippus Bonus Burgundiæ Brabantiæque Dux, & Flandriæ Comes, imperij Belgici conditor, Brugis moritur, ætatis anno LXXI. imperij XLVIII. Succedit filius *Carolus Audax.*

1468. MCCCCLXVIII. Leodicum, vrbs ad Mosam potens, à Carolo Audace, Burgundiæ Brabantiæque Duce, capitur & vastatur. Apud Cominæum & alios huius belli caussam inuenies. Huic obsidioni Ludouicus IX. Galliæ Rex interfuit, quem Carolus Peronâ, vbi simul collocuti fuerant, vel inuitum eò deduxerat.

Fredo-

MCCCCLXIX. Fredericus Imp. religionis ergô Romam veniens à Paullo Papa honorificè excipitur. Carolus Canutus Sueciæ Rex moritur: Christiernus Daniæ Rex Sueciç regnũ bello repetẽs, quingentos ex suis amisit. *Stenosturus* post Carolum Sueciæ regnũ, sine titulo regio, annos tres & triginta, gubernauit. Ferdinandus Magnus, Ioannis Aragonij filius, Isabellam Henrici IV. Castellæ & Legionis filiam, connubio sibi iungit. Ludouicus IX. Galliæ Rex ordinem Equitum S. Michaëlis instituit, teste Gaguino. 1469.

Ordo Equitum S. Michaëlis.

MCCCCLXX. Mahumetes Eubœâ Venetorum insulâ occupatâ, metropolim illius Chalcidem solo æquauit. *Leonclauius*. Ioanne Lotharingiæ Duce defuncto, Nicolaus eius filius tertiò genitus (priores enim duo obierant) Lotharingiæ possessionem adit: quamquam auo Renato adhuc superstite. Georgius Podebracius Bohemiæ Rex moritur, cui succedens VLADISLAVS, annis XLV. præfuit. 1470.

MCCCCLXXI. Alfonsus Lusitaniæ Rex, cum Ioanne filio, instructâ trecentarum nauium classe, Olisipone in Africam mense Augusto soluit, & Arzillam, Tingam, & Alcassarum Mauritaniæ opida occupat. *Mariana*. 1471.
Henricus VI. Angliæ Rex restituitur. Thomas Kempensis, Canonicus regularis Augustinianus, congregationis Vuindeshemensis, vir eximiæ in Deum pietatis, vt aurei illius De Christi imitatione libelli testantur, in Monte S. Agnetis, cœnobio apud Suollam opidum sito, obdormit. Vitam eius scripsit Iudocus Badius, cum operibus editam. Ingolstadij apud Bauaros Academia excitatur. Paullus II. Papa moritur: succedit SIXTVS IV. Sauonensis Ligur, ordinis Minorum generalis Minister. Platinæ historia pontificia Paulli II. obitu terminatur. Eam Onufrius Panuinius excipit. Amadeus IX. Sabaudiæ Dux viuendi finem facit, *Philiberto* filio successore relicto.

MCCCCLXXII. Carolus Audax Burgundiæ Brabantiæque Dux Ioannem Croyum, Quivraniæ dynastam, Brugis, magnâ pompâ creat Chimaci, celebris apud Hannones opidi, Comitem. Pompam describit Marchantius lib. 3. commentariorum Flandriæ. Carolo Aquitaniæ Duce Burdigalæ defuncto, omnis ea prouincia Ludouici Galliæ Regis Præfectos opidis arcibusque recipit. Eduardus IIII. Angliæ Rex Henricum VI. iterum capit, atque in carcere trucidandum curat. Bessarion, natione Græcus, Cardinalis longè doctissimus, & doctorum omnium fautor egregius, legationibus varijs per Germaniam, Belgicam, Franciã aliasque prouincias obitis clarissimus, ex Gallica legatione rediens, Rauennæ moritur, & Romæ sepelitur. 1472.

MCCCCLXXIII. IACOBVS Cypri Rex moritur: relicto filio infante, cuius tutela Venetis est commissa. Arnoldus Geldriæ Dux, quem fi- 1473.

Lipf. in Exempl. Polit. lius Adolfus annos aliquot captiuum tenuerat, moritur. Nuntijs de eius obitu acceptis, Carolus Burgundiæ Dux Geldriæ ab Arnoldo emtæ possessioné adijt: cùm & Ducis Iuliacensis, qui filiam duxerat seniorem, ius octoginta Florenorum millibus redemisset; Adolfo Curtraci in custodia detento. Minimorum ordo. *Massæus.* Minimorum ordo, à S. Francisco Paulano, Calabro, institutus, à Sixto IV. confirmatur. *Onufrius.* Carolus Burgundiæ Brabantiæque Dux insigni equitatu Treueros ad Fredericum Imp. venit; regium, vt quidam volunt, titulum ambiens. Nicolao Lotharingiæ Duce sine liberis mortuo, neptis eius *Iolanda*, Renati & Isabellæ Lotharingiæ filia, in eodem Ducatu sufficitur.

1474. MCCCCLXXIV. Henrico IV. Castellæ & Legionis Rege defuncto, *Isabella* eius filia, *Ferdinando Magno* Aragonio nupta, succedit. Iunctis ita prouincijs, earum pariter insignia communi clypeo sunt impressa. Christiernus Daniæ Rex religionis caussâ Romam proficiscitur. Petrus à Timo, Girlensis, Canonicus & Thesaurarius Bruxellensis, historiam Brabantiæ, tribus ingentibus voluminibus comprehensam, posteris reliquit: quæ volumina Senatus vrbis nostræ Bruxellensis in archiuis adseruat. Petrus autem hoc anno vitâ excessit.

1475. MCCCCLXXV. Sixtus IV. Bartholomæum Platinam Cremonensem, Bibliothecæ Vaticanæ, à se decenti loco collocatæ, custodem constituit. Stephanus Moldauiæ Princeps, Turcis ad eam Danubij partem, quam Moldauiam & Vualachiam appellant, die 17. Ianuarij, maximam stragem intulit. *Leoncl.* S. Simon puer Tridenti à Iudæis crucifixus miraculis claret.

1476. MCCCCLXXVI. Ioannes Regiomontanus, Astronomus insignis, Romæ moritur.

1477. MCCCCLXXVII. Matthias Hungariæ Rex Austriam Stiriamque vastat, & Bohemiæ regnum Frederico Imperatori extorquet. Carolus Audax Burgundiæ Brabantiæque Dux, apud Iaruillam, agri Nanceiani rusticum in Lotharingia prædium, fortissimè cum Heluetijs, Renato Lotharingiæ Duci associatis, dimicans, Nicolao Campobasso, cum Italorum parte ipsum deserente, atque arcana hosti prodente, quinto Ianuarij die cadit; vnicâ filiâ *Maria* relictâ, quæ postea Maximiliano Austrio nupsit. Adolfus, Arnoldi Geldriæ Ducis filius, à Gandensibus custodia Curtracensi eductus, militiæque præfectus, apud Tornacum à Francis occiditur. Tubingensis Academia constituitur ab Euerardo Duce VVirtebergensi: cuius primus Rector fuit Ioannes Nauclerus. Alij hæc ad an. 1474. narrant. Galeatius Maria Dux Mediolanensium, in templo confoditur à Ioanne Andrea Lamprogniano, nobili viro Mediolanensi. Reliquit is liberos Ioannem Galeatium, cui Isabella

bella Aragonia, Neapolitani Regis ex Alfonso filio neptis, iuncta erat; Blancam Mariam, Maximiliani Cæsaris vxorem, & Annam. Vsuncasanes Persarum, Parthorum Medorumque Rex potentissimus moritur: cui successit filius natu maior. *Drechslerus.* Alexander Imolensis, Bononiæ, & Bartholomæus Cepolla, Iureconsulti celeberrimi moriuntur.

MCCCCLXXVIII. Mahumetes Turcarum Imp. Croiam Epiri vrbem munitissimam occupat, & Scodram, Macedonicæ oræ caput, Venetis eripit. *Barletius* & *Leoncl.* IOANNES, volente patre, Daniæ & Noruegiæ Rex coronatur. Theodorus Gaza Thessalonicensis, Græcè Latineque doctissimus, Romæ moritur. Florentiæ, quæ libera ciuitas erat, in templo Liberatæ, coniuratione ciuium, in Mediceos fratres, quasi libertati publicæ insidiantes, impetu facto, Iulianus occiditur, Laurentius ærarij sacri munitione euadit. 1478.

MCCCCLXXIX. *Iuuan* Dux Moscouiæ amplissimam vrbem & ditionem Nouogardiæ occupat. Sublato Francorum sagittariorum ordine, à Carolo VII. Rege instituto, Heluetij à Ludouico IX. Galliæ Rege annuo stipendio perpetuo honorantur. *Gaguinus.* Ioannes Aragonum Rex, annos vnum & octoginta natus, Barcinone moritur; succedente filio *Ferdinando Magno.* 1479.

Anno MCCCCLXXX. Turcarum 30000. cæsa sunt à Stephano Bathoreo, Transiluaniæ Vaiuoda, & Paullo Kinisio, Comite Temesuariensi. *Bonfin.* Post Rhodum frustra obsessam, atque ingentem ibi cladem acceptam, Turcæ Hydruntum, Apuliæ vrbem maritimam, capiunt. Ioannes Dlugotzius, rerum Polonicarum scriptor, diem obit. Turcæ Apuliam classe inuadunt, Hydruntum expugnant, & magnam Calabriæ cladem inferunt. 1480.

MCCCLXXXI. Sanctissimum fidei tribunal, Ferdinandus Hisp. Rex hoc anno in Castellæ & Legionis regnis, in Aragonia verò, Valentia & Catalaunia anno 1483. instituit: quo ipso anno Martinus Lutherus, Reipublicæ Christianæ pestis, in lucem prodijt. Ex qua quidem tam opportuni temporis coniunctione Dei consilium fit manifestum, fidei tribunal hostibus fidei, antidotum veneno prouidentissimè opponentis. Nam tametsi cùm primùm hoc fidei sanctissimæ consilium est institutum, existimabant homines futurorum inscij atque improuidi, propterea solùm institui, vt per illud Hispania à Iudæorum atque Saracenorum spurcis superstitionibus repurgaretur. Deus tamen qui immutabili præscientia suâ, præterita, præsentia, futura, ab omni æternitate æqualiter complectitur, profligatissimos atque pestilentissimos nostris temporibus hæreticos exorituros prospiciens, sanctissimæ fidei Senatum in Hispania constituit, ad arcendas ab eâ etiam hæreticorum futuras calami- 1481.

Inquisitionis tribunal apud Hispanos instituitur.

Rex in Aragoniæ, Valentiæ & Catalauniæ regnis, sanctæ Inquisitionis tribunal, admirabili Dei prouidentia instituit: vt suprà an. 1481. diximus. Ludouico XI. Galliæ Rege defuncto, in regno sufficitur filius eius CAROLVS VIII. *Renatus*, Frederici Vaudemontani & Iolandæ Lotharingicæ filius, matre hoc anno defunctâ, Ducatus Lotharingici gubernacula suscipit. Ludouicus XI. Galliæ Rex apud Turones moritur. Is Nanceio à Carolo Audace obsesso, diuersoria equis cursorijs in Gallia primus constituit, & Gratianopolitanũ, vt vocant, Parlamentum instituit. Ceteras eius res gestas amplè Cominæus & Mõstreletus sunt prosecuti. Successit filius *Carolus VIII.*

Ceterùm de Cursoribus insignem I. Lipsius habet dissertatiunculam, in epistola ad Nicolaum Micaultium, amicum olim nostrum, scripta: *Cursorum*, inquit, *tria genera facimus, hominum Peditum, Equitum, Animantum &c. Ceterùm ratio ista horariæ mutationis percommoda est & maximo cursui apta. Cuius auctor apud nos Ludouicus XI. Galliarum Rex fertur; dum Carolo Audace cæso, Artesiæ & prouincijs nostris imminet, & nuntios rerum in horas exspectat.* Cursorij equi.

MCCCCLXXXIV. Sixto IV. Papæ defuncto succedit INNOCENTIVS VIII. Genuensis. CONCEPTIONISTARVM monialium ordinem in honorem Conceptionis B. MARIAE Virginis Toleti incohat Beatrix à Silua, nobilissima virgo Lusitana. Vtuntur autem ex tunica & scapulari albis, ac chlamyde cærulea. Innocentius porrò VIII. Pont. Max. rogante Isabellâ Hispaniæ Reginâ, Beatrici & sodalibus eius an. 1489. concessit, vt veste & nomine Conceptionis Deiparæ, à se excogitatis, vtentes, sub regula Cisterciensis ordinis, & diœcesani Præsulis obedientia, in posterum Deo seruirent. Beatrice * anno proximè sequenti defunctâ, tandem sodales eius an. 1494. S. Claræ regulam, sed sub Conceptionis habitu & nomine, amplexæ sunt. Iulius demum II. Pontifex ipsas & à Cisterciensium & Clarissarum ordine eximens, Franciscanorum, vt vocant, obseruantium curæ an. 1511. commisit: & Franciscus Angelicus, Castellæ Minister vicarius prouincialis, qui pòst ordinis Seraphici Minister generalis fuit, ipsis statuta, quæ hodieque seruant, an. 1516. præscripsit. Eodem Francisco Angelico agente, Marina Cardena, femina nobilissima, suis opibus in vrbe Romana, ad radices montis Capitolini titulo *S. Mariæ, Libera nos à pœnis inferni*, monasterium huius instituti an. 1525. excitauit, & cum alijs decem mulieribus, eiusdem ordinis habitum adsumsit. *Gonzaga 1. parte hist. Seraph.* 1484. Cõceptionistarum monialiũ origo in Hispania. * An. 1490.

MCCCCLXXXV. Stephanus Moldauiæ Princeps, imperio Casimiri Poloniæ Regis se submisit, iuramento 15. Septembris præstito. Eodem anno eidem Stephano, à Polonis deserto, *Bessarabiam*, in extremis Vualachiæ finibus sitam, quæ *Chilium* vel *Kiliam*, olim *Achilleam*, & *Moncastrum* opida continet, Turcæ eripuerunt. *Leonclau.* HENRICVS VII. Richemondiæ Comes, regnum Angliæ, Caroli VII. Francorum Regis auxilio obtinet, 1485.

Romanorum Ioannem Egmondæ in Hollandia, & Fredericum fratrem eius Burę in Gelria Comites creat. Christophorus Columbus Ligur, à Ferdinando Castellę Rege nauibus instructus, Kalendis Septembris ex Hispania soluens, lustratis primùm Insulis Fortunatis, quas Canarias vocāt, cùm nauigationem vlteriorem instituisset, sex alias insulas repperit, & inito fœdere çum Rege duarum ex istis grandiorum insularum, in Hispaniam prospero cursu rediјt. Hæc illorum itinerum origo, institutæque ad incognitas orbis terrarum oras nauigationis hoc initium fuit. Anno sequente cum nauibus XVII. Columbus eodem rediјt. Vide Bembū historiæ Venetæ lib. 6. Innocentius VIII. Papa moritur: succedit ALEXANDER VI. Hispanus, Rodericus Borgia ante pontificatum dictus. Laurentius Mediceus Florentinus, Leonis X. Pont. Max. parens, qui post Nicolaum V. Papam, litteras cùm Græcas tum Latinas in Italia instaurauit, Florentiæ 8. Aprilis moritur. Granata vrbs, à Ferdinando & Isabella Hispaniæ Regibus obsessa, deditionem facit. Sternebarchi, Germaniæ opido, Iudæi sacram hostiam, cultris violant, quæ sanguinis multum fudit. Sceleris auctores igne sublati sunt. *Mussæus.*

MCCCCXCIII. Fredericus III. Imp. Viennæ moritur, succedente filio MAXIMILIANO I. Austrio. *Ioannes Albertus* Poloniæ Rex annis nouem fuit. 1493.

MCCCCXCIV. Carolus VIII. Rex Galliæ magnis copijs in Italiam transgressus, statum Florentinæ Reipublicæ mutat, & pulsis Aragonijs regnū Neapolitanum occupat. Quibus de rebus fusè Cominæus. Paullus Iouius & Franciscus Guicciardinus ab hoc anno historias suas exordiuntur. 1494.

Tria litterarum lumina hoc anno exstincta sunt, *Hermolaus Barbarus*, Venetus, Patriarcha Aquileiensis designatus, *Ioannes Picus*, Mirandulæ Comes, & *Angelus Politianus*. Ordo pœnitentium mulierum ex publicis peccatricibus Parisijs cœpit, auctore Ioanne Tisserano, ordinis Minorum.

MCCCCXCV. Eberhardus Comes, primus Dux Vuitebergensis & Teckensis creatur à Maximiliano Imp. in comitijs Vuormatiæ, 21. Iunij. 1495.

Gabriel Biel, Theologus eximius, ordinis Fratrum in communi viuentium in Tubingensi Academia moritur. Ianussius Masouiæ Dux moritur: cuius ditionem Albertus Poloniæ Rex occupauit, teste Funccio. Carolo II. Sabaudiæ Duce sexto, sine prole exstincto, *Philippus*, Ludouici Ducis filius, ætate prope confectā, gentile imperiū suscipit. Ioanni Lusitaniæ Regi defuncto succedit patruelis eius *Emanuel.*

MCCCCXCVI. Chronicon Bonfinij de rebus Hungariæ hic terminatur. Ferdinandus Rex Neapolitanus obit. 1496.

1497. MCCCCXCVII. America, quarta pars orbis ob magnitudinem nuncupata, ab Europæis detegitur, sortita nomẽ ab Americo VespVespucio Florentino, eius primo exploratore, auspicijs Ferdinandi Castellæ Regis. Philippi Sabaudiæ Ducis imperiũ filius eius *Philibertus*, eo nomine secundus, excipit.

1498. MCCCCXCVIII. Hieronymus Sauanarola, Florentinus, ordinis Dominicani monachus, obijt in patria. De quo vide iudiciũ Iusti Lipsij in Monitis Politic. lib. 1. cap. 3. Carolo VIII. Galliæ Rege absque liberis defuncto, *Ludouicum XII.* iura agnationis ad imperium vocant.

1499. MCCCCXCIX. Basilea ab Imperio ad Heluetios deficit. Roberti Gaguini Duacensis historia Francorum desinit, quam Hubertus Velleius Aquensis excipit.

1500. MD. CAROLVS V. Imp. omniũ Imperatorum post Carolum Magnum potentissimus, Gandaui in Flandria nascitur, ipso die bissextili, qui fuit 25. Februarij *Massæus*. Baiazetes II. Turcarũ Imp. Methonem, aliàs Modonam, Coronem, Crisæum, Pylum, hodie Nauarrinum & alia Peloponnesi opida Venetis eripit. Ludouicus XII. Galliæ Rex Mediolanum iterum occupat, capto Ludouico Sfortia, quod annos XIII. tenuit. Petrus Aluarus Capralis, ab Emanuele Lusitaniæ Rege nauibus tredecim præfectus, Brasiliam, noui orbis partem, detegit: sic dictam à *Brasilo* rubro ligno, quod tingendis vestibus inde aduehitur. Quam prouinciam, paullò post Capralis accessum, Americus Vespucius, Florentinus, eiusdem Emanuelis auspicijs, accuratiùs explorauit. *Massæus*. Ioannis Naucleri, Præpositi Tubingensis chronicon desinit: quod Laurentius Surius Carthusianus ad annum vsque 1564. continuauit. Ab hoc item anno Rouerus Pontanus Carmelita chronicon suum est exorsus.

Brasilia detegitur

1501. MDI. Ordo B. MARIÆ semper Virginis à beata *Ioanna*, filia Ludouici XI. sorore Caroli VIII. eademque coniuge Ludouici XII. Regũ Galliæ institutus, ab Alexandro VI. Papa confirmatur. Cui quidem Ludouico cùm diu ante regnum Ioanna nupsisset, Duci adhuc Aurelianensi; is Carolo absque liberis defuncto, in regno suffectus, suasu aulicorum procerum, & suo ambitu, ne Britanniæ Aremoricę Ducatus abalienaretur, *Annam* eius prouinciæ heredem & Caroli viduam duxit vxorem, Ioannâ dimissâ. Caussa diuortij metus pręferebatur, & quòd non spontè eam duxisset, sed compellente patre virginis Ludouico XI. quodque illius adeò [a] corpus numquam attigisset. Neque Ioanna se opposuit, sed libens ad alterius æternique Regis cultum se conuertit. Etsi non deessent cùm sacri tum profani ordinis proceres, qui Regis factum liberè damnarent. Fuit inter alios *Ioannes Standoncus* patria Machliniensis, doctor Theologus Parisiensis, qui quâ erat constantiâ ac libertate, Regem acriter corripuit. Quapropter exsilio multatus in Belgium

Ordo B. Mariæ, qui vulgò Annuntiatarum virginũ dicitur. *Lips. in Louanio, lib. 2. c. 18* [a] *Massæus lib. 20. Chron.*

Ioannes Standoncus.

gium rediit, & Standonicum Louanij collegium, alterumque Machliniæ in patriâ instituit. Fuit & *Thomas VVarnetus*, Standonci discipulus, idemque ecclesiastes egregius, qui pariter in exsilium pulsus, Valentianis in Hannoniâ gymnasium erudiendæ iuuentuti excitauit. Fuêre & alij Lutetiæ Theologi, qui Ioannæ caussam fortiter tuerentur. Ipsa tamen, vt dixi, non opposuit, & læta se Deo totam dicauit, consecrauitque; ac mente quidem tranquillâ, quòd Alexandrum VI. Pont. Max. indulsisse, atque, vt loquuntur, dispensasse intellexisset. Ducatum porrò Bituricensem donum acceperat, cuius se fructibus, Bituricensi in vrbe agens, tolerauit, & alia pijs vsibus impendit. Ordinem porrò in honorem cultumque Deiparæ Virginis ab ipsa institutum, hoc anno, vt dixi, Alexander VI. Pont. Max. primùm confirmauit, procurante R. P. *Gilberto Nicolao*, ordinis S. Francisci monacho, qui postea *Gabriel Maria* est nuncupatus. Post Alexandrum Iulius II. an. 1506. deinde Leo X. an. 1517. idem institutum adprobarunt & priuilegijs stabiliuerunt. Vniuersa porrò Virginum Annuntiatarum regula non nisi decem capitibus constat, quæ decem primarias Deiparæ virtutes, in Euangelijs expressas, ob oculos ipsis proponunt imitandas, nimirum *castitatem, prudentiam, humilitatem, veritatem, pietatem* seu *deuotionem, obedientiam, paupertatem, patientiam, caritatem*, & *compassionẽ* seu *dolorem*, vt vocibus apud pios notis vtamur. Itaq; non ex Basilij, Augustini, Benedicti, Francisci, aut alterius sancti patris præscripto, sed ex ipsis, vt dixi, verbis euangelicis huius ordinis regula est concinnata. Quod contra vulgi errorem monuisse suffecerit. Præsunt tamen passim monialibus Annuntiatis sodales Franciscani. Sic enim beata Ioanna fundatrix voluit, siue iussit, monitu, vt scribunt, diuino; & Pontifices exinde Romani id ratum esse voluerunt. Vtuntur autem Annuntiatæ moniales veste talari leucophæâ seu griseâ, vt vulgò loquimur, in testimonium vitæ pœnitentis, quàm profitentur; chlamydem verò prorsus candidam, ex humeris in pedes desinentem gestant, in memoriam virgineæ puritatis Deiparæ, quam æmulantur. Ornantur insuper scapulari, vt vocant, rubeo, in formam crucis ante pectus adaptato, memoriæ passionis Dominicæ assiduè in mentem reuocandæ. Huius porrò instituti monialiũ binæ velut coloniæ, an. 1608. quo ista commentabamur, Louanio sunt deductæ, Antuerpiam vna, Niuellas altera. Philippus I. Austrius Belgarum Princeps, & vxor eius Ioanna, Ferdinandi Castellæ Regis filia, amicitiâ cum Francis firmatâ, per Galliam in Hispaniam proficiscuntur. Quod iter panegyrico Des. Erasmus celebrauit. Zauolenses Tatari cum Polonis pacem ineunt, & mox pro Polonis contra Precopenses Tataros pugnam ineunt; teste Funccio. Ioannes Albertus Poloniæ Rex Turonij in Prussia moritur. *Alexander*, Magnus Lithuaniæ Dux, post fratrem, annis quinque præfuit.

De his X. virtutibus extat libellus Francisci Arias, Soc. IESV Theologi.

MDII. VVitebergensis Academia à Frederico III. Duce & Electore Saxoniæ 18. Octobris instituitur. 1502.

1503. MDIII. Brugis, ob rebellionem, captumque superioribus annis Maximilianum Austrium, paullatim exarescentibus, Lusitani Scaldis Antuerpiani fluminis amplitudine ac commoditate allecti, aromata mercesque alias ex India orientali hoc anno Antuerpiam aduexerunt, & cum Senatu vrbis transegerunt. Secuti mox Fuggeri & Velseri, Germani: demum Galteroti Florentini, Spinulæ Genuenses, Bonuisi Lucenses, aliæque mercatorum nationes, exceptâ Hispanorum parte, anno ferè 1516. relictis Brugis, sedes suas Antuerpiæ collocarunt: dotium ibi vxoriarum prærogatiuis inuitati, quibus feminæ, vbi maritis res mercatoria malè cesserit, aut etiam decoxerint mensasúe verterint, creditoribus anteferuntur, dotemque recuperant. *Iacobus Marchantius in Flandriæ descriptione.* Alexander VI. Papæ XV. Kal. Septembris defuncto successit PIVS III. Senensis, Pij II. ex fratre nepos. Quo post dies 26. mortuo, suffectus est IVLIVS II. Sauonensis, Ligur, Iulianus Roboreus antea dictus, Raphaëlis, Sixti IV. Papæ fratris, filius. Hic primus Pontificum, maiorum quidem nostrorum memoriâ, longam barbam aluit, maiestati apud omnes augendæ: quod ceteri deinde Pontifices vsu probarunt. *Ciacon.* Gallis pulsis, regnum Neapolitanum Hispani, Ferdinando Consaluo, quem Magnum Capitaneum vocabant, duce occupant. Hemon Picardus hæreticus, in SS. Eucharistiam blasphemus, Parisijs exuritur: à quo hæretici Picardi dicti; Massæo & Onufrio testibus. Iacobus Philippus Bergomas, ordinis eremitarum S. Augustini, ad hunc vsque annum chronicon suum perduxit.

Antuerpia mercatu florere incipit.

1504. MDIV. Ioannes Standoncus, Machliniensis, Doctor Theologus Sorbonicus, & Canonicus B. Mariæ Parisiensis, moritur Lutetiæ, in sacello collegij Montis-acuti honorificè conditus: quo in loco, vt & Louanij, hodieque pauperes scholastici, ex eius præscripto, gratis aluntur. *Stephanus* Valachiæ dominus, vir bellicosus, moritur; cui *Bogdon* successit. M. Antonij Sabellici historia vniuersalis desinit: vt & Alberti Crantzij chronicon circa hæc tempora terminatur.

Vide suprà an. 1501.

1505. MDV. B. Ioanna, ordinis *B. Mariæ*, qui vulgò Annuntiatarum virginum dicitur, fundatrix, toto vitæ decursu sanctissimè transacto, ferè quadragenaria, Biturigis quarto die Februarij, hoc anno in Domino obdormit; in primo eius instituti cœnobio à se ibidem excitato, condita. *Massæus.*

Isabella, Ferdinandi Catholici Hispaniarum Regis coniux, virago fortissima, Mauris deuictis, moritur. Iuuan Basilouitz, id est, Ioannes Basilij, Moscouiæ Dux, moritur: cui filius *Basilius Ioannis* successit, vt testatur in chronico suo Funccius. Ioanni Hornano, Leodicensium Episcopo mense Decembri defuncto, sufficitur Erardus Marcanus, Roberti Sedanensis toparchæ filius,

filius; qui amplissimum Leodici palatium à fundamentis excitauit, Huiensem, Dionantensem, Francimontanam, aliasque arces instaurauit, deque vniuersa prouincia Leodicensi optimè est meritus.

MDVI. Academia Francofurtensis ad Viadrum 27. Aprilis incohatur. 1506.
Franciscus Almeida, primus Indiæ Prorex ab Emanuele Rege Lusitaniæ creatur. Seditio maxima popularis Olisipone in Lusitania est excitata, contra Mauros siue Maranos ex Iudæis Christianos factos, sed adhuc Iudaizantes. *Onufrius*. Matthias Mechouius, Polonorum historiographus, Doctor medicus & Astrologus, chronicon suum terminat. Vixit adhuc anno 1515.

Christophorus Columbus Genuensis, primus nouarum terræ partium atque insularum nostro sæculo inventor, moritur 8. Maij, Vallisoleti in Hispania. Ordo Minimorum à S. Francisco Paulano institutus à Iulio II. cōfirmatur. Bononia Iulio Papæ restituitur. *Philippus I.* Austrius Hispaniarum Rex, Belgarumque Princeps moritur: succedit filius eius CAROLVS V. eo nomine pòst Imperator. Minimorum ordo.

MDVII. Oranum in Africa captum, auspicijs opibusque Francisci Ximenij, Archiepiscopi Toletani, & ductu Petri Nauarri. S. Franciscus Paulanus, Calaber, ordinis Minimorum institutor, à Ludouico XI. Rege in Galliam olim euocatus; apud Turones in Domino obdormit. Margarita Austria, soror Philippi I. Austrij Belgarum Principis, Philiberti Pulchri Sabaudiæ Ducis vidua, regimen ditionum Belgicarum Caroli nepotis sui nomine, die 28. Maij, suscipit teste Massæo. *Sigismundus* Poloniæ Rex, fratribus succedens, vno & quadraginta annis præfuit. M. Antonius Coccius Sabellicus, historicus, moritur Venetijs an. ætatis 70. 1507.

MDVIII. Alfonsus Albuquercius Ormusium, vrbem & regnum in sinu Persico, Emanuelis Lusitaniæ Regis imperio subijcit. Fœdus inter Iulium II. Papam, Maximilianum Imp. Ferdinandum Hispaniæ, Ludouicum XII. Galliæ Reges, aliosque Principes Christianos Cameraci in Belgis contra Venetos est ictum, mense Decembri, ijsque bellū anno sequenti illatum. Cameraci adfuêre Margarita Austria, itemq; Maximilianus Imp. sed incognitus: Massæo auctore. *Ludouicus II.* patri Vladislao in regnis Hungariæ & Bohemiæ succedens, annis decem regnauit. Albertus Bauariæ Dux moritur: succedente filio Guilhelmo. Conradus Celtes, primus Germaniæ poëta laureatus, moritur Viennæ 4. Februarij ætatis anno 49. 1508.

MDIX. Iacobus Lupius Siqueira, Lusitanus, Taprobanam & Malacam in aurea Chersoneso primus accessit. Henrico VII. Angliæ Regi defuncto succedit *Henricus VIII.* Philippus Cominæus, Flander, Eques & historicorum post Sallustium facilè princeps, moritur, Lutetiæ apud Augustinia- 1509.

nos

nos eremitas conditus. Basilius Moscouiæ Dux vrbem & Ducatum Plescouiæ occupat.

1510. MDX. Goam, Indiæ orientalis metropolim & Proregum hodie sedem, Lusitani occupant, 16. die Februarij. Philippus Beroaldus Bononiensis, orator & criticus, ætatis anno LX. moritur. Ambrosius Calepinus (est autem Calepium opidum 14. lapide à Bergomo) eremita Augustinianus, Bergomi moritur.

1511. MDXI. Albertus Marchio Brandeburgensis hoc anno Magister ordinis Equitum Teutonicorum; anno sequenti in die S. Cæciliæ, Regiomontem est introductus. Idem annis tredecim exactis, Prussiam sibi contra ius & fas vindicauit. Malaca, aureæ Chersonesi metropolis, ab Alfonso Albuquercio expugnatur. Conciliabulum Pisanum, ab aliquot Cardinalibus contra Iulium II. Papam indicitur: quod quidem anno sequenti Mediolanum primò, pòst Lugdunum in Galliam est translatum. *Onufrius.* Pontifex, Hispani & Veneti fœdus contrà Gallos ineunt.

1512. MDXII. Concilium LATERANENSE œcumenicum seu vniuersale XVII. adprobatum, incohatur; quod anno demum 1517. est absolutum. Iacobus Croyus, Episcopus Cameracensis, & Comes Cameracesij, titulo Ducis Cameracensis à Maximiliano Imp. imperato, magno triumpho Cameracũ, vt Dux, die Febr. decimo ingreditur. *Massæus.* Ioannes Põtius Legionensis *Terram Floridam* primus inuenit, ipso die paschæ, qui erat mensis Aprilis secundus. Baiazetes II. Turcarum Imp. moritur: succedit SELIMVS I. Turcarum III. Imperator, eius filius, qui pòst Syriam & Ægyptum imperio Turcico adiecit. Est hic annus prælio ad Rauennam inter Gallos atque Hispanos, ipsosque confœderatos commisso nobilissimus.

1513. MDXIII. Vascus Nunnius Balboa, Pacis Augustæ ciuis, vir fortis & constans, isthmum, qui castigatis immensum ab vtraque parte litoribus à portu Nominis Dei ad Panamam pertinet, primus hoc anno aperuit, atque ad Peruanas ditiones viam strauit. Ceterùm ex Christophori Columbi, & Americi Vesputij nauigationibus, inter Castellæ & Lusitaniæ Reges orta lis est. Contendebat Lusitanus ignoti orbis explorationem, veniâ Pontificum Romanorum ac nominatim Eugenij IV. ad ipsum vniuersam pertinere. Ille contrà Alexandri VI. diplomate caussam tuebatur, anno 1493. concedentis, vt linea cogitatione descripta per vtrumque cæli cardinem centum omnino leucas vltra insulas Hesperides, quæ ad viride promontorium iacent, quidquid terrarum ad Solis occasum inueniretur, ipsi cederet, cetera Lusitano relinquerentur: quod aliquanto pòst nouo diplomate correxit, additis ad centũ leucas priores alijs trecentis & septuaginta, vt Brasilia recèns reperta intra fines

fines Lusitanicæ conquisitionis comprehenderetur. Osorius in vita Emanuelis Regis vltra Olisiponis meridianum triginta sex gradus ad occasum lineam cogitatione descriptam adfirmat. Omninò ex ea concordia, eaque pactione lis noua nata est, nexa ex priori. Molucas insulas, vnde aromata aduehunt, Castellani contendebant intra eam orbis partem comprehendi, quæ ipsis est à Pontifice adtributa. Negabant Lusitani, & per Lunæ deliquia, quæ vna ratio est terræ longitudinis dimetiendæ, obseruatum aiunt, Indi fluminis ostium Olisipone distare nonaginta non amplius gradibus; inde ad meridianum, qui ad extremas Molucas mente designatur, duos & quadraginta gradus absolui: cui summæ si adijciantur triginta sex gradus, qui Olisipone versus occasum numerantur, vnde ea nauigatio incohatur, nondum subductâ ratione, peruenietur ad centum octoginta partes, è trecentis sexaginta, in quas terrarum longitudo vniuersa vulgò tribuitur. Illud constat Ferdinandum Magalianem natione Lusitanum, à Rege suo Emanuele alienatum, quòd diu in India Orientali versatus, & multis stipendijs factis, Alfonso Albuquercio prætore, patria meritis non accepisset præmia, post mortem Ferdinandi Regis Catholici, Carolo eius nepoti persuasisse, Castellæ naues, directis inter occasum & meridiem proris, posse nouo itinere ad Molucas insulas peruenire. Quod & an. 1519. idem Magalianes tentauit ac perfecit, vt suo infrà loco dicemus. Acerrimum frigus, & quale hactenus apud Belgas nec auditum, nec à me lectum, à XVIII. Kal. Decembris vsque ad XII. Kal. Martij perdurauit: adeò vt per Scaldim glacie constrictum, merces curribus in Zutbeuelandiam ceterasque Zelandiæ insulas transueherentur. Iulius II. Papa moritur: succedit LEO X. Florētinus, Laurentij Medicei filius. Selimus Turcarum Imp. cum Ismaële Sopho Persarum Rege bellum gerit. Iacobus IV. Rex Scotiæ moritur: cui *Iacobus V.* est suffectus. Maximilianus Maria Sfortia, Mediolani Dux, pulsis Gallis, Mediolanum recipit. Henricus VIII. Anglorum Rex, in Galliam per Caletum transgressus, Teruanam Morinorum vrbem, & Tornacum Francis eripit; castro Tornaci ad Scaldim excitato, quod hodieque præsidio militari à nostris tenetur. Arx Calecuti à Lusitanis conditur, teste Osorio.

De Molucis insulis quæstio.

MDXIV. *Christiernus II.* Daniæ & Noruegiæ Rex, Ioanni patri succedit. 1514.
Iudæus, Pfeffercornius cognomento, Hallis apud Saxones exuritur, quòd SS. Eucharistiam violasset.

MDXV. Ludouicus XII. Galliæ Rex, nullâ prole masculâ relictâ, Kalēdis 1515.
Ianuarijs moritur: successit sanguine proximus *Franciscus I.* Caroli Valesij filius: qui hoc ipso anno Mediolanum recuperauit, capto Duce Maximiliano Sfortia. Biblia Hebraica, vulgò Complutensia, adiectis Chaldaicâ, Græcâ & Latinâ translationibus, Cōpluti sex voluminibus excudenda curauit Franciscus Ximenius, ex monacho Franciscano Cardinalis & Archiepiscopus Tole-

Biblia complutensia.

tenus. *Maximilianus I.* Imp. *Vladislaus* Hungariæ, & *Sigismundus* Poloniæ Reges Viennæ conuenerunt: estque Ludouico, Vladislai filio, Maria, soror Caroli V. pòst Imperatoris, Ferdinando autem, Mariæ fratri vicissim desponsa est Anna Ludouici soror. *Cuspin.* B. Philippus Nerius, congregationis Oratorij fundator futurus, XI. Kal. Augusti Florentiæ nascitur. Eodem anno B. Teresa de Iesu, quæ monialium & monachorum Carmelitarum discalceatorum, ex præscripto primæ, vt vocant, regulæ, viuentium, ordinem instituit, Aquilæ, regni Castellæ in Hispania opido, nobili familiâ 28. die Martij est nata. Alfonsus Albuquercius, arce Ormuti condita, legatos Ismaëlis Sophi, Persarum Regis, splendidè excipit, & Goam reuersus, ibidem sub anni exitum moritur. Imperij Lusitani in India conditorē meritò nuncupes.

1516. MDXVI. Ferdinando Catholico Hispaniarum & Siciliæ Regi mortuo succedit CAROLVS AVSTRIVS, eius nepos; qui pòst Imperator fuit eo nomine Quintus. Ceterùm Ferdinando huic Catholici cognomentum ab Alexandro VI. PP. datum fuisse Mariana alijque testantur. At Lipsius tradit Alfonsum, bellis contra Mauros anno 731. gestis clarum, iam olim *Catholici Regis cognomen meruisse: idemque antea Recaredo Regi datum, in concilio Toletano, cùm Gothorum gentem, abiectis Arij delirijs, in Ecclesiæ castra reduxisset: ac tertiùm idem in Ferdinando Rege, patrum memoriâ, à Iulio II. Pontifice renouatum.* Sic & Ludouicum XI. Galliæ Regem Pius II. *Christianissimi* appellatione cohonestauit; aliosque honorum titulos Principibus varijs Pontifices Romani adtribuerunt. Selimus Turcarum Rex bellum à Persis in Campsonem Gaurium, Sultanum Ægyptium & Mamalucos conuertit, & cæso Campsone, vrbem Hierosolymorum, cum reliqua Iudæa ac Syria, subegit: vt Iouius & alij fusè memorant. Argenti-fodinæ in valle Ioachimica repertæ sunt.

Catholicus Rex Hisp.

Christianissimus, Galliæ.

1517. MDXVII. Selimus Turcarum Imp. *Memphin*, vulgò *Alcairum*, munitissimam ac vastissimam Ægypti vrbem, 25. Ianuarij expugnauit, & capto strangulatoque Tomumbeio, Ægypti Sultano, Campsonis successore, totam Ægyptum subegit. Hic fuit finis regni Mamalucorum in Ægypto, quod annis CCC. eos tenuisse scribit Leonclauius. Martinus Lutherus, Saxo, ex monacho Augustiniano apostata & hæresiarcha, cunctos ferè antiquorum hæreticorum errores coniungens, perniciosissimam sui nominis hæresim in Germania excitat. Fuit is congregationis Saxonicæ, ab Andrea Prole, Saxone, in Germania circa annum 1497. excitatæ, quæ se à toto Augustiniani ordinis eremitani corpore seiunxerat, & peculiarem sibi Præfectum, specioso reformationis titulo, ab Alexandro VI. Pont. Max. impetrarat: vt tradit Iosephus Pamphilus, Episcopus Signinus, in illius ordinis chronicis, Romæ an. 1581. excusis. Leo X. Kalendis Iulij, quintam ordinationē Cardinalium, quæ omnium, quotquot hactenus fuerunt, maxima, celebrauit; XXXI. Cardinalibus vno eodemque die creatis. In his fuère Pompeius Columna, Lau-

Ægyptū Turcæ occupāt.

Laurentius Campegius, & Hadrianus Florentius, Belga, qui pòst Papa eo nomine Sextus fuit. *Ciacon.* Albertus Crantzius, Theologiæ & Decretorum Doctor, Hamburgensis Canonicus, qui Saxoniæ, Vandaliæ, Daniæ & Gothiæ historiam descripsit, Hamburgi 7. Decembris moritur.

MDXVIII. Hoc anno turri Antuerpiensi Marianæ, tum primùm perfectæ (est autem fundamentis eius lapis iniectus à filia Constantini Colputtij, vrbis nostræ Consulis) crux est imposita: cordaque à summitate crucis ad terram dimissâ, compertum, eam in altitudinem quadringentorum ac decem pedum & pænè dimidiati adscendere. Id mihi constat ex publicis litteris eo tempore datis, quas apud collegam nostrum Ioannem Geuartium vidi. In gratiam curiosorum libet apponere dimensionem pedis Antuerpiani: cuius quidem hic medietatem vides. Ceterùm Antuerpiana nostra turris ceteras omnes, quotquot in orbe spectantur, elegãtia superat, si Abrahamo Ortelio, viro talium rerum curioso, credimus. 1518.

In Theatro suo, vbi Argentinensem tractum describit.

*Præter multa, inquit, commendanda, quæ sunt in vrbe Argentinensi, elegantissima est summi templi turris, cuius altitudo tanta est, vt ea non solùm ceteras totius Germaniæ, sed nisi fallor, totius Europæ superet. Pedum est, vt Munsterus scriptum reliquit, quingentorum & septuaginta quattuor. Viennenses in Austria suam, templo D. Stephani impositam, putant præstare ceteris celsitudine: sed ea (vt Cuspinianus tradit) tantùm quadringentorum & octoginta est. Turris D. Paulli Londinensis in Anglia à terra pedes 534. in altitudinem adscendit; referente Guilielmo Camdeno. Nostra Antuerpiana D. Virginis * quadringentos habet, & sexaginta sex. An verò pedes architectonici harum vrbium mensurâ æquales sint, necne, inuestigent harum rerum curiosi. Formâ alioquin atque elegantiâ nostram Antuerpianam ceteras omnes anteire, ego, qui omnes has descriptas aliquando præsens vidi, adfirmare audeo.*

** Vnde id hauserit Ortelius nescio.*

Maximilianus Imp. Augustæ Vindelicorum comitia celebrat: quibus Thomas Vius, Cardinalis Caietanus, Legatus Apostolicus, & Martinus Lutherus interfuerunt: sed nullo fructu. Iacobus Philippus Forestus Bergomas, auctor supplementi chronicorum, in patria moritur, anno ætatis quinto & quinquagesimo; vt Iosephus Pamphilus in Augustiniani ordinis chronicis tradit.

MDXIX. Ferdinandus Magalianes, vulgò Magellanus, homo Lusitanus, rei naualis apprimè callens, in India sub Albuquercio duce stipendia multa fecerat. Cumque haudquaquam pro spe præmiorum ab Emanuele Rege tractari se quereretur, ad opulentionem Caroli Castellæ Regis aulam transijt. Igitur quinque nauibus egregiè compactis præfectus, è Bætica mense Septembri soluit, & Canarias primùm insulas, tum Brasiliam recto itinere petijt. Inde viâ compendiosâ, ab Oriente ad Occidentem, in insulas Molucas, caryophylli prouentu maximè celebres, nauigaturus, fretum, quod ab ipso *Magellanicum* nuncupant, ausu prorsus Herculeo, primus aperuit, eoque 1519.

Fretum Magellanicum.

superato, vastissimum rursus in æquor euasit. Biennium circiter in ea nauigatione consumtum est. Ceterùm Magalianes descensione in Subum insulam factâ, dum pro eius insulæ regulo cum hostibus tertiùm dimicat, ex insidijs circumuentus occiditur, vitâ sanè longiore dignissimus. Ex Magellani nauibus vna, superato Bonæ spei promontorio, inaudito post omnium sæculorum memoriam cursu, totum orbem emensa, in Hispaniam salua rediit. Huic naui non sine omine *Victoriæ* nomen fuerat inditum. Nauclerus erat Ioannes Sebastianus Canus, Cantaber, ex opido Guetaria Vardulorum, ad Pyrenæum. Scio hæc aliter à Paullo Iouio tradi. Sed huius nostræ narrationis auctores habeo Ioannem Barrium Lusitanum, qui cum huius peregrinationis comitibus colloquia habuit, & Ioannē Petrum Maffeium. Ex eo deinde tempore sæpiùs in Molucas è Betica primùm, ac postmodùm è noua Hispania nauigari cœptum. Quæ res discordias ingentes inter Castellanos & Lusitanos peperit, vtrisque Molucas insulas intra limites suos, à Pontificibus Romanis præscriptos, contineri clamantibus. Hoc tempore ea controuersia penitus sedata est, vniuersâ Hispaniâ ad vnius potestatem ditionemque redactâ. Ceterùm post Magalianem tentarunt alij cōsequentibus annis semel, iterum & tertiò, isto nauigationis cursu ad Molucas penetrare: sed quoniam fructus labori & impensæ non respondebat, tandem destiterunt. *Mariana.* Ex Anglis tamen duo nominantur Franciscus Dra-

Victoria nauis.

1579. cus, & Thomas Candischius, itemque ex Batauis Oliuarius Vander-Nor-
1587. tius, qui, freto Magellanico traiecto, totum orbem nostrâ ætate circumna-
1600. uigarunt. Maximilianus I. Imp. moritur, pridie Idus Ianuarij, apud Vuelsam opidum: in eius locum 28. Iunij Francofurti CAROLVS V. Austrius, ab Electorum Senatu sufficitur. Tornacum, ab Anglis pecunia redemtum, Franci recipiunt, 18. Februarij.

1520. MDXX. Carolus V. Austrius ex Hispania in Belgium traijciens, Aquisgrani coronatur Imperatór, 23. Octobris die. Ferdinandus Cortesius Mexicum, vrbium noui orbis reginam, capto Rege potentissimo Motezuma, occupat: & sic latissimæ illæ prouinciæ Carolo V. Cæsari cesserunt. Cortesius tanto subiugato imperio immortalem sibi gloriam peperit, posteris verò opimum Vallesij Marchionatum. *Mariana.* Lutherus 15. die Iunij à Leone X. excommunicatur, impiaque eius dogmata condemnantur. Selimo Turcarum Imp. sufficitur filius *Solimanus IV.* Turcarum apud Constantinopolim Imperator. Stenone Sturio, Suecorum Interrege, occiso, *Christiernus* Daniæ & Noruegiæ Rex Sueciam occupat. Vide Ioannis Magni, Archiepiscopi Vpsalensis, historiam Suecorum.

1521. MDXXI. Carolus V. Imp. comitia VVormatiæ celebrat: ad quæ, fide publicâ acceptâ, & Lutherus venit. Sed cùm, multis blasphemijs cōfictis, in Saxoniam redijsset, Carolus Imp. ipsum proscripsit. Mediolanum à fœderatis, Pontifice, Cæsare & Heluetijs, eripitur Gallis. Lutherus, furijs agitatus, palàm

palàm Ecclesiæ Catholicæ, per summum scelus, bellum indicit. Quo ipso anno Deus Ignatium Loiolam in arce Pompeiopolitana vulnerauit, vt ex sæculari milite ducem fortissimum efficeret, & Luthero tamquam acrem Ecclesiæ suæ propugnatorem obijceret. Sic Simoni Mago Simonem Petrum Apostolorum principem, Ario Athanasium, Nestorio Cyrillum, Iouiniano, Vigilantio, Heluidio Hieronymum, Mani & Pelagio Augustinum, Albigensibus Dominicum & Franciscum cum sodalibus, alijs hæresiarchis, veræq; religionis hostibus, alios defensores inuictos opposuit. Quinimo VVassila, vetus historiæ ecclesiasticæ scriptor, obseruauit, quo die Pelagius in Anglia natus est, vt tenebras errorum mundo effunderet; eodem ipso die summũ Ecclesiæ lumen Augustinum in Africa emicuisse, vt nefarij hominis caliginem depelleret, atq; vniuersam Ecclesiam sua luce illustraret. Henricus VIII. Angliæ Rex librum scribit & evulgat contra Lutheri hæreses: quam ob caussam à Leone X. *Catholicæ fidei defensor* appellatur. At meritò quis fortasse illud de eo vsurpet,

Ribadineira in vita B. Ignatij li. 2. c. 18.

—— Dici beatus

Ante obitum nemo, supremaque funera debet;

Tornacum à nostris obsessum, Francis eripitur, ipso die festo S. Andreæ, Burgundiæ patroni. Leo X. Papa moritur IV. Non. Decembris. Guilhelmus Croyus, Arschoti Marchio, monasterij Cælestinorum & arcis Heuerlensis apud Louanium conditor, moritur.

MDXXII. HADRIANVS VI. Batauus, Vltraiectinus, in Leonis X. demortui locum Pontifex, quamquam absens, XXXIX. Cardinalium suffragijs eligitur, V. Idus Ianuarij. Emanuel Portugalliæ Rex, cuius res præclarè aduersus Indos præsertim gestas Ioannes Osorius Episcopus Siluensis, ampliter descripsit, vita decedit: succedente *Ioanne III.* filio. Christophorus Longolius, Belga, Orator excellens, Patauij, & Ioannes Capnio, qui primus in Germania Grammaticã & Lexicon Hebrẹum edidit, Stutgardiæ, moriuntur. Genua à Cæsarianis capitur & diripitur. Rhodus insula nobilissima, post grauissimam obsidionem, Equitibus Hospitalarijs S. Ioannis à Solimano Turcarum Imp. 25. Decembris eripitur. Christiernus Daniæ, Noruegiæ & Sueciæ Rex, cùm impotenter Rempublicam administrasset, Frederico Holsatiæ Duce eius patruo, ac Lubecensibus in ipsum arma sumentibus, regnis pellitur, cum vxore Isabella, Caroli V. Imp. sorore ac liberis. Post quem *Fredericus* à Danis & Noruegis, *Gustauus* verò, Stenonis Sturij senioris nepos, à Suecis, Reges salutati sunt. 1522.

MDXXIII. Ioannes Vuassenarius, cùm Frisiam occidentalem vniuersam, Caroli V. Imp. nomine, subegisset, Leouardiæ decessit: in eoque nobilissima Vuassenariorum apud Batauos familia est exstincta, cùm binas nonnisi filias, vnam N. Lignæo Comiti, alteram N. Marcano, Lumæi domino, nuptam reliquisset. *Heuterus.* Hadrianus VI. Papa moritur, XIII. Septembris: succedit CLEMENS VII. Florentinus, Iuliani Medicei filius. *Fredericus I.* in 1523.

Dania regnat. Prosper Columna, Romanus, Cæsarianarum copiarum in Italia ductor fortissimus Mediolani sub huius anni finem moritur. Successêre illi in imperio Carolus Lanoius, Belga, Prorex Neapolitanus, Ferdinandus Daualus, Piscarij Marchio, & Carolus Borbonius, qui hoc ipso anno à Gallis defecerat.

1524. *Theatini.* MDXXIV. Congregatio clericorum regularium THEATINORVM Romæ primùm incohata, à Clemente VII. confirmatur; teste Onufrio. Debet ea nomen, originem atque augmentum Ioanni Petro Carafæ, illustri apud Neapolitanos familia nato, qui pòst Paulus IV. Pontifex fuit. Is relicto episcopatu Theatino, Caietano Vicentino, Bonifacio Pedemontano, & Paullo Romano, hominibus pijs ac nobilibus se socium adiunxerat. Ab his, apud Italos atque Hispanos, vulgi errore, falsa Theatinorum appellatio cognomenque in Patres Soc. IESV est transfusum: quòd ordo vterque clericorum sit regularium, eodemque fermè tempore natus, neque habitu valdè sint dissimiles vtriusque familiæ sodales. *Ribadineira in vita B. Ignatij lib. 6.* *Gustauus Erxenus* à Senatoribus Lubecensibus Rex Sueciæ creatur, & coronatur 24. Iunij. Petrus Canisius, Doctor Theologus Soc. IESV, Neomagi ad Vahalim fl. in Geldria nascitur. Thomas Linacer Anglus, Henrici VIII. Regis archiater, cuius exstat De lingua Latina liber, moritur Londini 20. Octobris.

1525. *Fräciscus I. Galliæ Rex capitur.* MDXXV. Franciscus I. Galliarum Rex, à Carolo Lanoio, Carolo Borbonio, Ferdinando Dauelo, Alfonso Vastio & Antonio Leiua, Cæsarianis ducibus, prælio ad Ticinum seu Papiam, ditionis Mediolanensis vrbem, 24. Februarij vincitur: qui quidem cùm à turba militari irruente spoliaretur, vitæ suæ consulens, Lanoio se patefecit: à quo humanissimè salutatus, atque in Cæsaris potestatem est receptus. Hîc monere liceat, cùm non nisi duo Galliæ Reges ab hostibus Christianis prælio capti commemorentur, Ioannes nimirum in Pictauiensi, & Franciscus in Papiensi pugna; æterna Flandrorum gloriâ contigisse, vt in prælio capti militumque manibus sint extorti, hic à Carolo Lanoio, Gallo-Flandro, ille à Dionysio Mourbecano, Germano-Flandro. Atrocissima rusticorum Anabaptistarum seditio, auctore Thoma Munzero, excitata, per Germaniam debacchatur. Capto demum Munzero & securi percusso, oppressa est fanaticorum hominum execrabilis coniuratio. Tradūt autem centum quinquaginta ferè rusticorum millia isto bello perijsse. Albertus Marchio Brandeburgensis, ordinis Teutonicorum Magister, ad Lutheri hæresim deficit, ex Magistro ordinis Dux Prussiæ (quæ prouincia erat Equitum Teutonicorum) à Sigismundo Poloniæ Rege nuncupatus, & Dorotheâ, Frederici Daniæ Regis filiâ, turpiter ductâ. Fredericus Holsatiæ Dux, Christierni II. Daniæ ac Sueciæ Regis, à suis regno pulsi patruus, Hafniæ regia corona redimitur; Christierno frustra à Cæsare sororio, alijs bellis implicito, frustra auxilium petente. *Heuterus.*

Fran-

Franciscus Pizarrus Peruam inuenit, & sexto pòst anno, Atabalipa eius prouinciæ Rege capto occisóque, vniuersam Caroli V. Cæsaris subegit imperio, omnium quæ repertæ sunt, venis auri & argenti beatissimam gentem, si sua nosset commoda: adeò vt domesticum omne instrumentum, ollæ & lebetes ex auro atque argento constarent. Prædam, quàm credi possit maiorem, Pizarrus cum *Almagro* præcipuo eius expeditionis socio non optimâ fide diuisit. Vnde irarum caussæ, & cædes mutuæ. Sed singulis tamen gregarijs militibus ex ea præda supra nouem aureorum millia obuenerunt: quanta spolia satis constabat, numquam ab vllâ memoriâ, vllâue gente relata. Ii milites trecenti circiter supra centum millia indigenas, commisso prælio vicerunt, gentem inermen & imbellem, scilicet sudes tantùm & sagittas ferentem, nullo præfixas ferro. Ex copia insolentia nata, superbiaque opulentiæ comes. *Ferdinandus* Francisci frater Almagrum palàm hostilia molientem vi adactâ peremit. Almagri ex impari Indicaque matre filius *Diegus* in Francisci Pizarri ædes dato impetu, eius sanguine peremti patris manibus parentauit. Hunc alter Francisci frater *Consaluus*, adiutore *Vaccacastrio*, regio deinde Prætore, interfecit: & successu ac copijs elatus postea à regia auctoritate palam defecit. Verùm suis & multorum opibus præualidum, tam procul ab Hispaniâ vi opprimere difficile erat. Ad artes conuerso ingenio, *Petrus Gasca* sacerdos ad eos motus pacandos missus à Carolo V. Imperatore in toga vicit rebelles, easque regiones motusque, sumto de præcipuis factionis capitibus supplicio, pacauit. Reuersus in Hispaniam Palentino primùm, deinde Seguntino episcopatu donatus, ad vltimam processit ætatem, maiori industriæ & integritatis famâ, quàm opibus. *Mariana lib. 26. cap. 3.* Guilielmus Heda, Alfenus, Philippo I. Austrio à Secretis, pòst Arnhemi in Geldria ad D. Vualburgis Canonicus, idemque Vltraiecti ad S. Ioannis Decanus, & Canonicus Antuerpiensis, scripsit historiam Episcoporum Vltraiectinorum & Comitum Hollandiæ; obijtque hoc anno Antuerpiæ. Eorumdem Episcoporum Comitumque res gestas litteris mandarunt Ioannes Becanus, clericus Vltraiectensis, quem anno 1348. floruisse scribit Trithemius, & Ioannes Leidanus, Carmelitarum Harmelensium Prior, qui an. 1417. vixit. Vtinam quis Belgicæ antiquitatis studiosus vtrumque in bibliothecis Vltraiecti & alibi latentem, bono publico, in lucem proferat!

Perua inuenta & subacta.

MDXXVI. Carolus V. Imp. vxorem ducit Isabellam, Emanuelis Portugalliæ Regis filiam, nuptijs 10. Ianuarij solenniter Hispali celebratis. Ludouico Hungariæ & Bohemiæ Rege, 29. Augusti, ætatis anno vicesimo à Turcis cæso, maior Hungariæ pars, ab ijsdem occupatur. Ludouico in regno vtroque successit FERDINANDVS, Caroli V. Imp. frater: qui Annam Ludouici sororem, matrimonio sibi iunxerat. *Ismael Sophus*, Rex Persarum primus ex Sophinis, moritur: succedit *Techmas* filius, teste Leonclauio. Franciscus I. Galliæ Rex, mense Martio, liber è custodia dimittitur, 1526.

filijs

filijs duobus obsidibus datis. Capucinorum sodalium vitæ institutum F. *Matthæus Baschius*, apud Vmbros natus, incohauit, monasterio apud Camerinum, Vmbriæ vrbem, ab illustri matrona Catharina Cibo, Camerini Duce, anno 1525. donatus. Habuit is socios F. Ludouicum Tenaliam Forosempronienſem, eiuſque fratrem germanum. Hi Romam profecti, à Clemente VII. Pont. Max. impetrarunt facultatem *ferendi tunicam asperiorem & villosam, coloris cinericei, cum caputio in vertice acuminato: facultatem similiter suscipiendi fratres & sæculares ad eumdem habitum, atque ad trium votorum professionem, iuxta S. Francisci institutum, admittendi*: vt constat ex diplomate anno 1526. Maij octauo die dato. Primus porrò Capucinorum Præfectus generalis an. 1528. electus fuit idem Matthæus Baschius, post eum Ludouicus Tenalia, & sic alij ex ordine ad nostra vsque tempora. Ita ferè Petrus Rudolfius Tossiniacensis, in historia sua Seraphica Romæ an. 1586. edita, & Paullus Morisius lib. 1. originum monasticarum cap. 53. Alij tamen huius strictioris vitæ auctorem fuisse volunt Paullum Clodienſem, honesta Barberiorum familia natum, vt idem Rudolfius commemorat. Dauid Romæus in historia Sanctorum Neapolitanorum, anno 1571. eadem in vrbe edita, hanc laudem tribuit cuidam *F. Ludouico*, patria Calabro, in vrbe Rhegio nato: quem tradit, vnà cum ciue suo F. Georgio, ab Hieronyma Borgia, matre Ferdinandi Carafæ, Nucerinorum Ducis, eiuſque coniuge Eleonora Concubleta, pijs admodùm matronis, aliquamdiu sustentatū ac protectum fuisse: easdē demū matronas Clementi VII. pios istos viros de meliore vitæ nota commendasse: adhæc ipsum Ludouicum Neapoli anno 1530. Rhegij item, & alibi monasteria excitasse, & Philocastri, quod est Calabriæ opidum, obijsse, multis post obitum miraculis clarum. Vt vt sit, potuerunt varij varijs in locis strictā illam vitæ regulam, à S. Francisco institutam, iisdem ferè temporibus in vsum reuocasse. Ceterùm Matthæus Baschius Venetijs an. 1552. decessit, in æde S. Francisci à Vinea conditus. In Belgicam porrò nostram primus Capucinos an. 1586. euocauit Alexander Farnesius, Parmæ Placentiæque Dux, & prouinciarum nostrarum Belgicarum Gubernator; qui & in habitu & in monasterio huius instituti Parmæ sepeliri voluit.

Capucinorum origo.

1527. MDXXVII. Vrbs Roma à Caroli V. Imp. exercitu, duce Carolo Borbonio, capitur & miserè diripitur, 6. Maij. Borbonius glande plumbea traiectus paullò pòst obijt. Clemens Pontifex in Hadriani Mausoleo obsessus, grandi se pecunia redemit, 6. Iunij. *Philippus II.* Hisp. Rex, Caroli V. Imp. F. ex Isabella, Emanuelis Lusitaniæ Regis filia, Vallisoleti 21. Maij. & *Maximilianus II.* Imp. Ferdinandi I. Imp. F. ex Anna Ludouici Hungariæ & Bohemiæ Regis filia, Viennæ, Kal. Augusti, nascuntur. Albertus Durerus, nobilis pictor & chalcographus Noribergæ 6. Aprilis, ætatis 56. moritur.

1528. MDXXVIII. *Sigismundus Augustus*, Sigismundi filius, Rex Poloniæ coronatur

ronatur, regnauitque cum patre annis viginti. Congregatio sacerdotum, qui orphanis colligendis, passim per Italiam dant operam, ab Hieronymo Miano instituitur. Vide Morisum libro 1. Orig. monast. cap. 69.

MDXXIX. Melita insula, in mari Africo, à Carolo V. Imp. Equitibus Hospitalarijs S. Ioannis Hierosolymitani incolenda traditur. *Onufr.* Conuentus Spiræ, de rebus religionis & bello contra Turcas instituendo, celebratur. In quo conuentu primùm nata est *Protestantium* appellatio: quo nomine designantur ij, qui ab Ecclesia Romana desciuerunt: eò quod ab ipsis, pio Ferdinandi Vicarij imperialis pro Catholica religione edicto reclamantibus, in conuentu isto Spirensi 19. Aprilis, exhibita sit protestatio, vt vocant, in religionis negotio. Sic Onufrius & Bucholzerus. Mense Nouembri Protestantes conuentum Smalcaldiæ egerunt: in quo primùm tunc actum est de fœdere Principum ac ciuitatum Protestantium sanciendo, aduersus hostes vim ipsis illaturos. *Bucholzerus.* Florentia, Etruriæ vrbs olim libera, à Caroli V. Imp. exercitu ad deditionem compulsa, *Alexandrum Mediceum*, Laurentij filium, & Clementis VII. Pontificis nepotem, à Cæsare Ducem primum accipit: vt inter Pontificem & Cæsarem antea conuenerat. *Onufrius.* Pax inter Clementem VII. Papam & Carolum V. Imp. Barcinone 26. Iunij concluditur. Inter Cæsarem & Franciscum Galliæ Regem pax Cameraci inita, die 5. Augusti. Solimanus Turcarum Imp. exercitu numerosissimo Viennam Austriæ, sed irrito conatu, mense Septembri obsidet. Mense Septembri nouum morbi genus, quod *sudorem Anglicum*, vel *Anglicam pestem sudatoriam* dixère, Germaniam & Belgium grauiter afflixit. Antuerpiæ tridui spatio quadringentos aut quingentos homines exstinctos testatur Erasmus epist. lib. 26. epist. 56. Itaque cùm solennem supplicationem clerus, Senatus ac populus Antuerpiensis, ipso die S. Michaëlis, placando Deo, instituisset, subitò malum serpere desijt. In cuius beneficij memoriam etiamnum quotannis isto die solennem Antuerpienses celebrant supplicationem. Carolus V. Imp. ex Hispania in Italiam cùm traiecisset, pax inter ipsum, Clementem, Venetos & Mediolani Ducem Franciscum Sfortiam est constituta: cui & Mediolani Ducatum Cæsar restituit. *Onufr.* Vltimo die mensis Octobris, & biduo sequente Oceanus noster exundans magnam Hollandiæ, Zelandiæ & Flandriæ partē submersit. *Massæus.* Paullus Æmilius, Veronensis, Canonicus basilicæ Marianæ Parisijs, Gallorū historiographus, 5. Iulij Lutetiæ, & Ioannes Cuspinianus, Maximiliani I. Imp. Medicus & historicus, Viennæ, moriūtur. 1529.

Protestantium origo.

Fœdus Smalcald.

Sudor Anglicus

MDXXX. Carolus V. Cæsar 24. Februarij Bononiæ diademate imperiali à Clemente VII. coronatur. Confessio Augustana, à Philippo Melanchthone scripta, & à Lutheranis aliquot Principibus ac ciuitatibus liberis signata, Carolo V. in comitijs Augustæ offertur. Eodē anno quattuor ciuitates, Argentoratum, Constantia, Meminga & Lindauium, peculiarem suæ fidei 1530.

confessionem Carolo V. obtulerunt, per Gasparum Hedionem, vt testatur Bucholzerus. O sæculum sectarum adeò dissectarum ferax ac fœcundum! Franciscus Rex Galliæ collegium trilingue Parisijs instituit, mense Septembri. Heluetij Sacramentarij fœdus cum Argentinensibus feriunt. Actius Sincerus Sannazarius, poëta excellentissimus, obijt. Margarita Austria, Caroli V. Imp. amita, Belgarum Gubernatrix, Machliniç, Kalendis Decembris moritur, & Brugis sepelitur, in monasterio virginum Annuntiatarum à se excitato. In præfectura Belgica suffecit illi Carolus V. Mariam Ludouici Hungariæ Regis viduam, sororem suam.

1531. MDXXXI. Ferdinandus Austrius, Coloniæ Agrippinæ Rex, Romanorum designatus, Aquis-Grani, Nonis Ianuarijs coronatur, præsente fratre Carolo V. Imperatore. Georgius Vuicelius, à Lutheranis deficiens, ad Catholicorum castra redijt, vt ipse scribit, & mox calamum in Lutherum strinxit. Idem præstitit Ioannes Crocus. Heluetijs Catholicis & Sacramentarijs ad arma ciuilia inter se concurrentibus, Huldricus Zuinglius ex apostata dux belli factus, in prælio occubuit. Ioannes Oecolampadius, Zuinglij socius, anthrace correptus, Basileæ haud multò pòst subitò exstinguitur, Kalendis Decembris.

1532. MDXXXII. Hariadenus Mitylenæus, Barbarossa dictus, Algeriam Africę vrbem occupat. *Leoncl.* Oceanus exundans, postridie Kal. Nouembris, Hollandiam, Zelandiam & Flandriam grauissimis damnis afficit. Christiernus Rex Danię, ex Belgio primùm in Noruegiam, inde in Daniam traijciēs, à suis capitur, & Sunderburgi perpetuæ custodiæ mācipatur. *Massæus.* Ioānes, filius vnicus eiusdem Christierni II. ex Elisabetha Caroli V. Imp. sorore natus, anno ætatis sextodecimo, Ratisbonæ in comitijs moritur.

1533. MDXXXIII. Henricus VIII. Anglorum Rex, Catharinâ, Caroli V. Imp. matertera, cum qua annos viginti coniunctissimè vixerat, repudiatâ, *Annam Bolenam*, Catharinæ pedissequam, ex se grauidam sibi iungit, & Londini IV. Kal. Iunias corona redimiri iubet. Ex ea nata est Elizabetha, quæ sorori Mariæ in regno successit. Clemens VII. Papa Massiliæ cum Francisco Rege Galliæ congressus, Catharinam Mediceam, Henrico, Francisci filio natu secundo, postea Regi, in matrimonium tradit. Andreas Auria Principatu Amalfitano, quem vulgò Melfitanum vocant, à Carolo V. donatur; item Ferrariæ Duci Mutina ac Rhegium opida ab eodem adiudicantur. *Heuterus.* Hariadenus Barbarossa, à Solymano Turcarum Imp. Rex Algeriæ creatus, & Beglerbegus maris supremus constitutus, classe C. triremium armatus, Moream, olim Peloponnesum, anno superiore ab Andrea Auria Hispanicæ classis ductore occupatam, adijt, & Christianis se subducentibus, Coronem & alia loca recepit. *Leoncl.* Basilica B. Mariæ fortuito incendio Antuerpiæ 5. Octo-

5. Octobris conflagrauit. Ioannis Auentini historia Boiorum terminatur.

MDXXXIIII. Anabaptistæ, mense Ianuario, Monasterium, insignem Vuestfaliæ vrbem, per fraudem occupant, pulso cum probis ciuibus Antistite. Exinde *Ioannem Beukelarium*, sartorem Leidanum, Batauum, 24. Iunij Regem sibi constituunt; ipsum Regem Israel, vrbem verò nouam Hierusalem nuncupantes. Henricus VIII. Anglorum Rex, ob repudiatam vxorem Catharinam, XXIII. Martij die, latâ Romæ sententiâ condemnatur: qui mox, vindictæ caussâ, à Sedis Apostolicæ obedientia desciscens, supremum se Ecclesiæ Anglicanæ caput nuncupauit, & Lutheranis ianuam in Britanniam aperuit. Contrà Franciscus I. Christianissimus Galliarũ Rex grauissima aduersus Lutheranos, in Galliã paullatim irrumpentes, edicta promulgat. *Onufrius*. Hariadenus Barbarossa, cum classe in Africam profectus, Tunetum vrbẽ Mauris eripit, & Muleassem, Mahometis Regis filiũ, regno pellit. *Leoncl.* 1534. Monasteriũ Anabaptistæ occupãt.

Clementi VII. succedit PAVLVS III. Alexander Farnesius, domo Romanus: qui mox Ascanium & Alexandrum Farnesios inter Cardinales legit. Thomas Vius, Caietanus, Cardinalis, ex ordine Prædicatorum, Romæ; Ioannes Auentinus, Boiorum historicus, Ratisbonæ, moriuntur. Primum bellum à Solimano Turcarum Imp. contra Techmasem, Ismaëlis filium, Persarum Regem, hortatu Vlumæ Begi, Techmasis sororio, qui ad Solimanum defecerat, diuersæ religionis prætextu, geri cœptum est. Frederico II. Daniæ & Noruegiæ Regi defuncto sufficitur filius *Christiernus*: quem Ioannes Bugenhagius, Pomeranus, Lutheranorum Vuittenbergæ pastor, orthodoxorum scilicet exemplo, coronauit.

MDXXXV. Carolus V. Imp. mense Aprili, cum exercitu in Africã traijcit, & Tuneto vrbe atque arce Goleta captis, Hariadenum Barbarossam cũ suis copijs profligat, & Muleassem Regẽ restituit, sibique vectigalem facit. *Leonclauius*. Muleasis porrò genealogiam ac maiores nosse qui volet, apud Marianam lib. 13. rerum Hispaniæ cap. 14. reperiet. Solimanus Turcarum Imp. Mesopotamiam, Assyriam & Babyloniam, Techmasis Persarum Regis prouincias, occupat, & Taurisium diripit. Alexandro Mediceo, Florentiæ Duci primo, Carolus V. Imp. Margaritam filiam matrimonio iungit. Monasterium Vuestfaliæ metropolim, ab Anabaptistis inuasam, Franciscus Vualdechus, eius vrbis Episcopus, Principum vicinorum auxiliaribus copijs adiutus, 24. Iunij vi recipit. Seditionis principes iustas pœnas dedêre. Ioannes Beukelarius, Anabaptistarum Rex, Bernardus Cnipperdollinchus, Prorex, Bernardus Crechtingus, Cancellarius, factionis duces, anno sequenti, 22. Ianuarij, forcipibus candentibus necantur: exstincti caueis ferreis illigantur singuli, & ex summa vrbis turri suspenduntur; Rex quidem medius, & loco nõnihil sublimiore. Quas insuper Amstelredami, Harlemi & alibi turbes fanaticæ huius sectæ homines excitarint, fusè Pontus Heuterus commemorat. 1535.

Ioannes Fischerus Episcopus Roffensis & Cardinalis, Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, & Ioannes Houhtonus, Prior Carthusianorum Londinensium, cùm alijs nouem instituti eiusdem sodalibus, quòd Catharinæ Reginæ repudium, Annę Bolenę nuptias, Romanique Pontificis dignitatem abrogatam, probare nollent, iussu Henrici VIII. Angliæ Regis, varijs supplicijs è medio tolluntur. Carthusianorum martyrium descripsêre Mauritius Channeyus, Anglus, & N. Hauensius, Siluiducensis Carthusiani. Philippus Decius Mediolanensis, vir in vtroque iure, cùm pontificio, tum ciuili versatissimus, Senis moritur, & Pisis sepelitur. Francisco Sfortia, Duce Mediolanensi, sine liberis defuncto, Carolus V. Imp. ditionem Mediolanensem, Antonio Leiua Duce, occupat. Lusitani, firmando apud Indos imperio, arcem ad Dium vrbem excitant; Maffeio teste.

1536. MDXXXVI. Carolus V. Imp. ex Africa victor rediens, Romam triumphans ingreditur, & salutato Pontifice, XIV. pòst die, discedês in Gallos arma mouentes bellum suscipit. Alexandro Mediceo, Florentiæ Duci, occiso, succedit *Cosmus Mediceus*, Dux secundus. Christiernus Rex Daniæ metropolim Hafniam, vulgò Coppenhagam expugnat, & toto regno Daniæ potitur. Guilielmus Encfortius, Brabantus, ex Canonico Antuerpiensi Cardinalis ab Hadriano VI. Papa creatus, idemque Vltraiectinus ac Dertusanus Episcopus Romæ, & Desiderius Erasmus Roterodamus, Basileæ, moriuntur. Carolus Sabaudiæ Dux, à Francisco Gallorum Rege, ditione sua pulsus, ad Carolum V. Imp. se contulit.

1537. MDXXXVII. Paullus III. Papa concilium generale, ad tollendas hæreses & schismata Mantuæ primùm, mox Vicetiæ, demum Tridenti indixit.

1538. MDXXXVIII. Paullo IV. Pont. Max. auctore, decennales induciæ 18. Iunij pactæ sunt inter Carolum V. Imp. & Franciscum I. Galliæ Regem: qui simul omnes apud Nicæam, ditionis Sabaudicæ opidum, conuenerant. Eustathio Croyo Episcopo Atrebatensi defuncto sufficitur Antonius Perenottus Granuellanus: qui pòst Cardinalis & Archiepiscopus Machliniensis fuit. *Maffeus.* Solimanus Ægypti & Alcairi Beglerbegus, Lusitanis in India orientali pro defensione Regis Cambaiæ bellum illaturus, regiam Arabiæ Felicis vrbem Adenum, ad litus maris rubri, seu sinus Arabici sitam, dolo ciuibus oppressis occupat, & Rege ipso suspenso, in seruitutem redigit. Dium verò vrbem, anno superiore à Lusitanis occupatam, frustra obsidet. *Leoncl.*

1539. MDXXXIX. Zebethum Arabiæ Felicis opidum, in litore sinus Arabici situm, à Turcis ab expeditione Indica redeuntibus, expugnatur. *Leoncl.* Georgius Saxoniæ Dux, Catholicæ partis studiosissimus, Lutherique hostis acerrimus, piè moritur. Successit in regimine Henricus Dux, Mauritij & Augusti pater. Apud *Ooselam*, Campaniæ Brabantinæ vicum, in ditione muni-

municipij Astensis, cœnobium monialium tertiæ regulę S. Francisci exstruitur, haud longè à sacello Virginis-Matris cultu miraculisque iam olim & nunc illustri. De cuius loci miraculis exstant libelli Latini & Teutonici, à Gisberto Masio, Episcopo IV. Siluiducensi approbati. Est in eadem Campania Brabantina *Arlense* B. Virginis sacellum, signis miraculisque pariter nobile, haud procul Helmunda opido. B. Virgo Omelensis, in Brabãtia. B. Virgo Arlensis.

MDXL. Carolus V. Imp. mense Nouembri anni superioris, ex Hispania discedens, per mediam Galliam, regijs liberis comitantibus, iter fecit, & Lutetiam Parisiorum, Francisco etiam Rege comitante, hoc anno 13. Ianuarij intrauit; magno vbique populorum concursu ac lætitia exceptus. Ita Christianus Massæus: cuius chronicon hic desinit. Smalcaldiæ conuentum celebrant Protestantium Principum legati: cui interfuêre Philippus Melanchthon, Iustus Ionas, Ioãnes Pomeranus & N. Cruciger, è Lutheri discipulis, è Zuinglianis, Martinus Bucerus; deque vniendis Lutheranorum & Zuinglianorum sectis, frustrà inter se agunt. *Onufr.* 1540.

Antonius Lalainus, Montignij dominus, vxorem habuit Elisabetham, Gasparis Culeburgij reguli filiam natu maximam, Hochstrato Brabantiæ municipio à socero in dotem accepto. Hunc Carolus V. Imp. anno regni sui tertio, primùm Hochstrati Comitem renuntiauit. Idem Antonius arcem Hochstrati à fundamentis instaurauit, & insigne ibidẽ templum suis impensis exædificauit, in eoque Canonicorum collegium constituit. Adhæc Gallicè libris duobus descripsit Iter Philippi Austrij an. 1502. & 1503. in Hispaniam institutum: quibus adiutum se fatetur Pontus Heuterus, in commẽtarijs Rerum Belgicarum. Obijt autem Gandaui hoc anno, cum vxore sua Hochstrati honorificè conditus; & testamẽto (nam prolem nullam reliquit) heredem instituit, Philippum Lalainum, ex fratre Carolo nepotem, secundum Hochstrati Comitem. Is Antonium filium, III. Comitem, Antonius filium Guilielmum IV. Comitem, Guilielmus filium N. Comitem V. hodie superstitem, reliquit. *Societas* IESV, quæ clericorum est regularium, à B. Ignatio Loiola, Cantabro, instituta V. Kal. Octobris à Paullo III. Papa confirmatur. Guilielmus Budæus Parisiensis IC. vir, Græcè potissimùm, doctissimus; & Franciscus Guicciardinus, Florentinus, celebris historicus, quisque in patria, moriuntur. Lusitani qui in India versabantur, cum Thoma (quem alij Tamasum vocant) Persarũ Rege societatẽ firmant. *Maffeius.* Societas Iesu.

MDXLI. Ioannes Eckius, & Philippus Melanchthon Vuormatiæ per triduum mense Ianuario de controuersijs religionis colloquuntur. Sed conuentu, Cæsaris mandato, Ratisbonam translato, ibidem incohatum de religione colloquium continuarunt. *Surium* aliosque consule. His comitijs Ratisbonensibus interfuit & Gaspar Contarenus Cardinalis, idemque Sedis Apostolicæ Legatus. Pontifex & Cæsar Lucæ congrediuntur. Buda, vrbs 1541.

Hungariæ regia, à Solimano Turcarum Imp. occupatur. Carolus V. Imp. ab infelici expeditione Algeriana seu Africana, in Hispaniam mense Nouembri reuertitur; magna exercitus parte per tempestatem amissâ. Henricus Dux Saxoniæ moritur: cui successêre filij, Mauritius & Augustus. Franciscus Xauerius, ex Societate IESV, magnus Indorum Apostolus, cum duobus socijs Paullo Italo, & Francisco Mansilla Lusitano, mense Aprili ex Lusitania versus Indiam soluit, & anno demum sequenti mense Maio Goam appulit. Philippus Theophrastus Paracelsus, Hohenheimensis, Germanus, nouæ Medicorum sectæ auctor, 24. Sept. 47. ætatis anno, Salisburgi moritur.

1542. MDXLII. IOANNES V. Scotorum Rex, sine mascula prole moriens, filiam MARIAM regni heredem reliquit: quæ postea Francisco II. Francorum Regi nupsit. Bellum inter Cæsarem & Franciscum Galliarũ Regem renouatur. Quo ardente, cùm Hispani ac Belgæ omnes Galliâ iussi essent excedere, aliquot Hispani de Societate IESV, Lutetiæ studijs operam dantes, in Belgicam, amicam prouinciam, Hieronymo Domenecco duce ac moderatore se contulêre, studiaque sua Louanij sunt prosecuti. Fuit in his & Petrus Ribadeneira, vt ipse testatur, in vita B. Ignatij lib. 3. cap. 6. Iaponiorum tres præcipuæ sunt insulę, interfusis alijs minoribus interfluo euripo disiunctę. Prima & maxima in satrapias aut regna tria & quinquaginta diuiditur: cius caput est vrbs *Meacum*, indeq; tota insula denominatur. Alteram *Ximum* appellant; quæ satrapijs regnisúe nouem censetur. Nobilissimas habet vrbes Vosuquim & Funaium regni Bungensis. Tertia dicitur *Xicomum*, quæ satrapias seu regna continet non plùs quattuor, & Tosam vrbẽ maximè insignem, regno cognominem habet. Ita Iaponiorum regna vel satrapiæ (sunt enim complures, quibus regni vocabulum minimè conuenit) in vniuersum numerantur sex & sexaginta. Ceterùm aditæ primùm huius regionis titulum ac decus varij quidem Lusitani ad se trahunt: sed ego Antonio Galuano crediderim, in eo libro quem De inuentoribus orbis noui conscripsit, apertè narranti, *Antonium Motam, Franciscum Zeimotum & Antonium Pexotum*, cùm ex vrbe Sionis Dodra peterent Sinas, pertinaci vento ad insulas Iaponiorum hoc anno abreptos. Iaponijs porrò primus Euangelium an. 1549. Franciscus Xauerius attulit, Cosmo Turriano & Ioanne Fernando, Hispanis, è Societate cômitibus. *Maffeius lib.* 13. & 14. apud quem plura de Iaponijs lege.

Soc. IESV sacerdotes in Belgium veniunt.

Iaponiorũ insulæ detectæ.

1543. MDXLIII. Hermannus Archiepiscopus Coloniensis, in Lutheranam hæresim lapsus, Martino Bucero & Philippo Melanchthone ad se euocatis, sanctam vrbem Coloniensem inficere & perdere nititur; sed frustra. Dura, munitum Cliuiæ opidum, ab exercitu Caroli V. Imp. expugnatur. Guilielmus Dux Carolo supplex factus, in gratiam recipitur; Iuliacensi, Cliuensi & Bergensi Ducatibus ipsi relictis. Geldriam verò sibi Carolus vindicauit, translatoque in Galliam bello, Landresium Hannoniæ opidum, à Francis occupa-

cupatum, recepit. Gaspar Contarenus, Venetus, Cardinalis, Romæ; Ioannes Eckius, Sueuus, Ingolstadij; & Albertus Pighius Campensis, Germanus inferior, Vltraiecti, acres Catholicæ religionis propugnatores, moriuntur. Strigonium, Alba Regalis, Quinque ecclesiæ, Valpouia, aliaque Hungariæ opida Turcæ occupant. Hoc ipso anno Carolus Mansfeldiæ Comes Petro Ernesto patre natus est: qui Strigonium an. 1595. Turcis eripuit. Ioannes Ludouicus Viues, Hispanus, Brugis Flandrorum, vbi vxorem duxerat, moritur.

MDXLIV. Renatus Nassouiæ Comes, Henrici ex Claudia Challonia, 1544.
Philiberti Arausiorum Principis, ad Florentiam anno 1530. cæsi, sorore, filius, ab auunculo Philiberto adoptatus & Arausiorum Princeps nominatus, in obsidione fani S. Desiderij globo ictus mense Augusto occumbit, patruele Guilielmo testamenti tabulis herede instituto: qui annos tunc duodecim natus, mense Septembri proximè sequenti ex Germania in Belgium venit. *Heuterus.* Ioanni Lusitaniæ Regi defuncto succedit nepos *Sebastianus.* Antonio Lotharingiæ Duci è viuis abrepto, filius *Franciscus* in auito dominatu sufficitur. Cui quidem anno proximè sequenti pariter defuncto filius *Carolus* successit.

MDXLV. Per tres Sedis Apostolicæ Legatos & Cardinales, Ioannem Ma- 1545.
riam de Monte, Marcellum Coruinum, qui pòst Romani Pontifices fuère, & Reginaldũ Polum, à Paullo III. Papa missos, conciliũ TRIDENTI incohatur; cuius prima sessio 7. Ianuarij anno sequenti est celebrata. Conciliũ porrò Tridentinum, sub Paullo III. vt dixi, incohatum, sub Iulio III. Marcello II. & Paullo IV. continuatum, ac demum sub Pio IV. an. 1563. absolutum, inter œcumenica seu generalia adprobata, XVIII. censetur ac nominatur à Seuerino Binio, Theologo, qui tomos Conciliorum Coloniæ an. 1606. cum Notis eruditis publicauit.

Conciliũ Tridentinum incohatur.

MDXLVI. Colloquium Ratisbonæ, inter Petrum Maluendam, Hispa- 1546.
num, & Martinum Bucerum atque Geogium Maiorem de religione habetur.

Bellum inter Carolum V. Cæsarem & Protestantes Germaniæ Principes, fœderis Smalcaldici socios incohatur. Huius belli historiam peculiari libello complexus est Ludouicus Auila, quem consule. Machlinia, celebris Belgarum vrbs, pulueris tormentarij in porta quadam adseruati & fulmine tacti flammis ac fragoribus, mense Augusto, magna ex parte euertitur, ingenti ciuium numero ædium ruinis oppresso. Martinus Lutherus, hæresiarcharum nostri æui princeps, Islebij in patria 18. die Februarij morte repentinâ perijt. Henricus Sedulius scribit, ex testimonio viri fide digni, qui Luthero à cubiculis fuit, ipsum à domesticis manè repertum *iuxta lectum suum pensilem & misere strangulatum.* Alij, alia de horribili eius exitu tradunt; vt apud eumdem

Præscriptione XVII.

eumdem Sedulium, in Præscriptionibus aduersus hæreses, est legere. Hariadenus Mitylenęus Barbarossa, moritur Constantinopoli, 14. Iulij, teste Leonclauio. Paulli Iouij historiæ finiuntur. His ferè temporibus apud Indos Meliapore, suburbano in colle, vbi S. Thomas Apostolus à barbaris mactatus est, dum nouum eidem Apostolo sacellum exstruitur, & fundamentum aperitur, crux apparuit, quadrato lapidi insculpta, sanguineis atque in speciem recentibus guttis conspersa. Huius tabulæ effigiem, è lapide ipso diligenter expressam, Cocinensis Episcopus in Europam sub initia concilij Tridentini transmisit. *Maffeius lib.* 12.

1547. MDXLVII. Ioanne Frederico, Saxoniæ Duce, in prælio trans Albim 24. Aprilis capto, & Philippo Hassiæ Lantgrauio 19. Iunij in deditionē accepto, Protestantes à Cæsare domantur. Hermanno Coloniensi Archiepiscopo, ob hæresim, à Pontifice & Cæsare loco moto, Adolfus Comes Scauuenburgius subrogatur. Ioannes Austriacus, Caroli V. Imp. filius, naturalis, Ratisbonæ nascitur. Iustus Lipsius, in Iscano Brabantiæ municipio, tertio lapide à Bruxella, in lucem editur. Francisco I. Galliæ, & Henrico VIII. Angliæ Regibus, illi *Henricus II.* huic *Eduardus VI.* filij succedunt. Petrus Bembus & Iacobus Sadoletus, Cardinales eruditissimi, Romæ; Conradus Peutingerus, Augustæ Vindelicorum in patria; Beatus Rhenanus Selestadiensis, Argentinæ; Franciscus Vatablus & Iacobus Tussanus Parisijs, moriuntur. Ferdinandus Cortesius, Nouæ Hispaniæ in India occidentali domitor, vita decessit, 2. Decembris, ætatis 63. anno.

1548. MDXLVIII. Electoratus Saxonici dignitas solenni ritu Mauritio Saxoniæ Duci confertur à Carolo V. Imp. 24. Februarij. Liber *Interim*, seu formula religionis, vsque ad generalis concilij definitionem per Germaniam seruanda, Augustæ Vindelicorum in comitijs, 15. Maij publicatur. Hunc librum, *Interim* dictum, concinnarunt potissimùm Iulius Phlugius, Episcopus Naumbergensis, Michael Sidonius, pòst Episcopus Merseburgensis, & Ioannes Islebius, Theologi. Porrò de sanctionibus istis, quæ *Interim* vocatæ sunt, iudicia Theologorum consule. Æthiopes, inter Christianos admodùm vetusti, partim à beato Matthæo Apostolo, partim ab Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum, à Philippo baptizato, Christi fidem acceperunt. Sed Moysis legem vel primi illi retinuerunt, vel abiectam repetiuerūt eorum posteri, & Christianæ fidei sinceritatem Iudaicis ceremonijs inquinarunt. Nam & baptizantur & circumciduntur hodie, & Iudaismum cum Christianâ religione ita confundunt, vt cùm vtrique esse velint, neque Christiani, neque Iudæi planè sint: à Patriarcha item Alexandrino, varijs neotericorum Græcorum erroribus infecto, credendi regulam petunt. Propter longinquitatem porrò terrarum, iampridem nullo commercio cum Europæis hominibus aut communicatione iungebantur; donec Lusitani nauigatione in Æthiopiam delati,

Aethiopum siue Abissinorum religio.

delati, ad Regem (*Preste Ianem* vocant) peruenerunt, eumque consuetudine & præclaris rebus gestis ita demeruerunt, vt aditum in Æthiopiam suis aperirent, & commercij locum darent. Quibus rebus permotus *Dauid Æthiopiæ* Rex, Emanuelis Lusitaniæ Regis amicitiã appetijt: & ad Clementem VII. Pont. Max. per Lusitanos homines scripsit, agnoscere se Romanum Episcopum vniuersalis Ecclesiæ pastorem: optare idcirco & petere, vt in Æthiopiam doctores mittat, à quibus ipsi ad rectam sinceræ fidei normam instituantur. Acta quidem tunc res ea diligẽter, sed perturbatione temporum impedita, & ad Iulium III. vsque protracta. Qui rei magnitudine adductus, & Ioannis III. Lusitaniæ Regis precibus, Ioannem Nugnem Lusitanum, Soc. IESV presbyterum, Æthiopiæ Patriarcham cùm summa potestate constituit, Andream Ouiedum, Castellanum, Melchioremque Carnerum, Lusitanum Episcopos creauit, & Patriarchæ adiutores & successores adiunxit. Patriarchæ & socijs Episcopis nouem alios comites B. Ignatius Loiola addidit, Italos, Flandros, Lusitanos, Castellanos. Quos omnes Ioannes idem Lusitaniæ Rex perbenignè complexus, cùm alijs muneribus, tum vestibus sacris, ijsque omnibus, quæ ad pontificium cultum & ceremonias pertinent, regio sumptu donatos, cum magnâ classe in Indiam misit, vt inde ad CLAVDIVM Regem, Dauidis iam mortui successorem, in Æthiopiam traijcerent. *Ribadineira in vita B. Ignatij lib. 4. cap. 13.* Sigismundus Rex Poloniæ moritur: cui successit *Augustus.* Gaspar Barzeus, Goulæ in Zelandia apud Belgas natus, studiorum curriculo Louanij confecto, cum Societati IESV in Lusitania nomen dedisset, diu multumq; probatus, inde in Indiã vnà cum alijs octo, prædicandi Euangelij caussâ, hoc anno profectus est, ibidemque Francisci Xauerij socius & æmulator, post amplissimam messem collectam, in Domino obdormiuit, multis clarus miraculis. *Maffeius lib. 14.* Ioanna Henrici Albretani, Nauarræ Regis, & Margaritæ Valesiæ filia, reliquiarum regni heres vnica, Antonio Borbonio, Caroli filio, mense Octobri nubit: ex qua pòst Henricus IV. Galliæ & Nauarræ Rex natus est.

Maffeius hist. Ind. lib. 8.

MDXLIX. Philippus II. Austrius ex Hispania in Belgium ad patrem Carolum V. Imp. venit, summis passim honoribus ac triumphis exceptus. De quibus lege Ioannis Calueti Stellæ Hispani Itinerarium. 1549.

1550.

MDL. Paullo III. Papæ, anno superiore IV. Idus Nouembris defuncto, IVLIVS III. Aretinus, Ioannes Maria Montanus, VII. Idus Februarij subrogatur. Africam, veteribus Aphrodisium, Africæ vrbem, Mauris Mahadian, quam Dragutes Raisus, celebris pirata Turcicus, anno superiore occuparat, Andreas Auria, triremium Cæsareanarum Præfectus, coniunctis cum Ferdinando Gonzaga, Siciliæ Prorege, copijs, obsidet, expugnat, funditusque euertit. *Leoncl.* Andreas Alciatus Mediolanensis, & Eguinarius Baro, Leonensis, Brito Aremoricus, Iureconsulti celebres, moriuntur.

uincias distinguuntur) moribus ac religione. Lector inueniet.

MDLIV. Iulius III. Papa moritur: succedit MARCELLVS II. cognomento Ceruinus, patria Politianus, Etruscus. Quo post dies XXII. defuncto subrogatur PAVLLVS IV. Neapolitanus, Ioannes Petrus Carafa ante pontificatum dictus. Ioannes Ferus, Franciscanus, Moguntiæ moritur. Carolo III. Sabaudiæ Duci IX. defuncto, & Vercellis sepulto, filius *Emanuel Philibertus* succedit. Ruardus Tapperus, Enchusanus, Batauus, Doctor Theologus, Louanij, & Vuolfangus Lazius, historicus, Viennæ in Austria, moriuntur. 1554.

MDLV. Sepas, insignem Italiæ vrbem, Caroli V. Imp. exercitus, post longam obsidionem occupat. Martinus Rossemius, vir bellica gloria, apud Belgas clarissimus, moritur; vt Heuterus testatur. Is primùm Guilielmo Cliuiæ Duci, pòst Carolo V. Imperatori, concordiâ cum Cliuio initâ, ad obitũ vsque fidelissimè militauit. Conditus fuit Rossemi, qui vicus est insulæ Bommelensis, sesquimilliari à Silua-Ducis, Brabantiæ vrbe, hodie S. Andreæ propugnaculo, ab Andrea Austrio Cardinale, Belgijque Gubernatore ad Mosam, excitato, inclusus. Quo tempore cùm marmoreus Rossemij tumulus iniuriâ militari violatus esset, ossa eius, mandante eodem Cardinale, Siluam-Ducis sunt translata, atque in cœnobio virginum honestè condita. 1555. Martinus Rossemius moritur.

Carolus V. Imperator, ætate iam fessâ, *Philippo* filio suo Belgicas primùm prouincias, deinde Hispaniam, Siciliam, Indiam, aliaque regna ac ditiones cedit; Ordinibus ac proceribus prouinciarum Bruxellas euocatis. *Heuterus*.

MDLVI. Nicolaus Durantius, cognomento Villagagnonius, Eques Melitensis, cuius exstant varia contra Caluinianos scripta, eam Americæ partem, quæ Brasilia dicitur, occupat. Philippus II. Hisp. Rex Belgarũque, Princeps comitia ordinis Equitum Velleris aurei, Antuerpiæ hoc anno, & Gandaui an. 1559. celebrauit, atque inde mortuorũ locum nouos Equites legit. Fuere hæc vltima, nisi fallor, eius ordinis comitia solèniter atque ex veteri formula celebrata. B. Ignatius Loiola, Cantaber, Soc. IESV auctor, & princeps, Romæ pridie Kal. Augusti pijssimè in Domino obdormit. Res eius gestas scripsere Petrus Ribadeneira, & Ioãnes Petrus Maffeius, Soc. IESV Theologi. Andreas Tiraquellus, Lutetiæ; Marianus Socinus, iunior, Bononiæ, Iureconsulti celebres; & Ioãnes Sleidanus (à natali opido, diœcesis Coloniensis, sic dictus) mendax Lutheranorum historicus, Argentinæ, moriuntur. Carolus V. Imperator, ex Belgio in Hispaniam nauigat, & raro in primis, nostraquè ætate inaudito exemplo, in sodalium Hieronymianorum cœnobium, S. Iusti cognomento nobile, Placentino in agro Hispaniæ amœnissimo, secedit; vt quod reliquum esset vitæ spatium, Deo transscriberet. 1556.

1557. MDLVII. Albertus Brandeburgius exul Forsemij mense Ianuario moritur: cui in solidum successit proximus agnatus Georgius Fredericus Brandeburgius, Ferdinando Cæsare consentiente. *Heuterus.* Ferdinandus Aluarus Dux Albanus, Prorex Neapolitanus, pace cùm Paullo IV. Pontifice initâ, mense Septembri Romam ingreditur: inde in Etruriam progressus, Cosmo Florentiæ Duci Senas, vrbem olim liberam, cum ditione adiunctâ, iussu Philippi II. Hispaniarum Regis, tradit; Vrbatello ac Portu Herculis Hispano reseruatis. *Heuterus.* Georgius Austrius, Maximiliani I. Imp. filius, cui Cornelius Bergensis episcopatum Leodicensem anno 1544. cesserat, Leodici hoc anno decessit, ad D. Lamberti in choro conditus. Successit Robertus Bergensis, Ioannis Bergarum ad Zomam in Brabantia Marchionis frater. Vuormatiæ colloquium habetur inter Catholicos & Lutheranos. Ex Catholicis interfuere Iulius Phlugius, Episcopus Naumburgensis, Michael Sidonius, Episcopus Merseburgensis, N. Delfius, Suffraganeus Argentinensis, Fredericus Staphylus, Franciscus Sonnius, pòst Episcopus Antuerpiensis, Iudocus Rauestenius, Doctores Theologi Louanienses, Petrus Canisius, Soc. IESV. Ex Lutheranis, Ph. Melanchthon, Ioannes Brentius, Ioannes Pistorius Nidanus, Paullus Eberus & alij. Franci apud Quintinopolim, Picardiæ opidum, auspicijs *Philippi II.* Hispaniarum Regis, Belgarumque Principis, memorabili prælio superantur, Augusti die decimo, qui S. Laurentio martyri est sacer. Guilielmus Paradinus, Canonicus Belliiocensis, rerum suo æuo gestarum historiam terminat.

Senæ traduntur Florentinis.

1558. MDLVIII. Franciscus Guisiæ Dux, cùm copijs militaribus ex Italia in Galliam reuersus, mense Ianuario Caletum opidum maritimum, annis ferè ducentis ac duodecim ab Anglis possessum, expugnat, Anglósque vniuersâ Galliâ deturbat. In Caroli V. Imp. locum, qui sponte imperio se abdicarat, frater eius *Ferdinandus* 18. Martij ab Electoribus sufficitur. Moscouitæ, Liuoniam ingressi, Neruam & Derbatum opida occupant. Franciscus, Henrici II. Galliæ Regis filius natu maximus, annum ætatis decimum-quintum agens, vxorem ducit *Mariam* Scotiæ Reginam, Iacobi V. Regis filiam: ex qua nullos reliquit liberos. Petrus Strozza, Florentinorũ exulum princeps, Theonis villam, ditionis Luceburgensis opidum, vnà cum Gallis, obsidens, globo traiectus, perijt. Lamoraldus Comes Egmundanus, comitante Ponto Lalaino, Rentiaci Marchione, memorabili prælio Francos apud Grauelingam Flandriæ opidum cecidit. CAROLVS V. Imp. 21. Septembris, in monasterio S. Iusti, sodalium Hieronymianorum, diœcesis Toletanæ; Maria Angliæ Regina mense Nouembri, Londini; & *Reginaldus Polus*, Cardinalis, Romæ, piè moriuntur. Eodem anno Caroli V. Imp. sorores, *Maria*, Ludouici Hungariæ Bohemiæque Regis, & Eleonora, Francisci I. Galliarum Regis viduæ, in Hispania obiere. Iulius Cæsar Scaliger, Aginni Nitiobri-

tiobrigum, in Gallia Narbonensi; & Ioannes Fernelius, Ambianus, Medicus Lutetiæ, desinunt viuere.

MDLIX. Elisabetha, Henrici VIII. Angliæ Regis ex Anna Bolena filia, mensis Ianuarij die 14. Regina proclamatur. Dietmarsi victi dedunt se Frederico II. Daniæ Regi. David Georgius hæresiarcha effossus crematur Basileæ, iussu Lutheranorum. *Philippus II.* Hisp. Rex, Belgarumque Princeps nuptias per legatum Lamoraldum Comitem Egmundanum Parisijs celebrat cum Elisabetha, Henrici II. Galliæ Regis filia. Henricus porrò Rex, in filiæ nuptijs, à Gabriele Mongommerij Barone, ad hastiludium prouocato, infeliciter per cassidis foramen oculis seruiens vulneratus, 10. Julij moritur: & succedit filius eius *Franciscus II.* ætatis anno XVI. ALBERTVS Archidux Austriæ, Belgarumque Princeps, Maximiliani II. Imp. filius, Neostadij in Austria 13. Nouembris feliciter nascitur. Christiernus III. Daniæ & Noruegiæ Rex Kalendis Ianuarijs anno ætatis LV. moritur: succedente filio *Frederico.* Hoc eodem anno 25. Ianuarij die Christiernus II. Rex Daniæ, Noruegiæ & Sueciæ; qui regnis pulsus annos decē exul vagatus, & postea annos XXVII. in custodia habitus fuerat, anno ætatis LXXVIII. vitam in carcere finijt. Aloysius Lipomanus, Venetus, Veronæ & Metonæ Episcopus, editis Sanctorum historijs clarus; Franciscus Duarenus I.C. Biturigibus in Gallia; & Gaspar Bruschius Egranus, Germanus, poëta & historicus, moriuntur. Bruschij libros De episcopatibus & monasterijs Germaniæ, censoriâ limâ emendatos & auctos, vtinam Germanus quispiam catholicus & eruditus iterum curet typis evulgandos. Philippus II. Hisp. Rex Belgarumque Princeps, ex Zelandia circa Kalendas Septembres versus Hispaniam soluit. Postrema eius prætoriam nauim ingressuri verba ad proceres Belgicos fuêre, religionem vt Catholicam in primis sartam tectamque conseruarent. *Heuterus.* Paullus IV. Pont. Max. Philippo II. Hisp. Rege Belgarumque Principe postulante, in Germania inferiore Episcopales sedes mense Maio multiplicat; tribus Archiepiscopatibus, Cameracensi, Vltrajectino & Machliniensi, & tredecim Episcopatibus, istorū suffraganeis, vt loquuntur institutis. Ceterùm Cameracensi Archiepiscopo subesse voluit Atrebatensem, Tornacensem, Audomaropolitanum & Namurcensem Episcopos; Vltraiectino Harlemensem, Dauentriensem, Leouardiensem, Groningensem & Middelburgensem; Machliniensi autem Antuerpiensem, Gandensem, Brugensem, Iperensem, Siluiducensem seu Buscoducensem & Ruremundensem Episcopos. Vide Onufrium Panuinium in vita Paulli IV. qui ex Actis publicis, vt vocant, consistorialibus, hoc ordine Belgicos Archiepiscopatus, habitâ antiquitatis, vt videtur, ratione, enumerat. In diplomate tamen, ab eodem Paullo IV. super hac noua apud Belgas episcopatuum institutione edito, primo loco Machliniensis, secundo Cameracensis, tertio Vltraiectinus recensetur. Sed & in diplomate à Pio IV. Pontifice de Archiepiscopatus Machliniensis iuribus ac limitibus anno 1560. Idi-

1559.

Episcopatus in Belgio multiplicatur.

lia, præsente Carolo Cardinale Lotharingiæ, colloquiū de religione 9. Sept. instituitur, inter Claudium Espencæum Doctorem Theologum Parisiensem, & Theodorum Bezam, & 25. Nouembris finitur. Liuonia, Equitum Teutonicorum prouincia, diuturno bello, multisque cladibus à Moscouitis afflicta, Sigismundi Poloniæ Regis imperio se submittit. Reualia Liuoniæ vrbs Erico Sueciæ Regi se subijcit.

MDLXII. MAXIMILIANVS II. Austrius, Ferdinandi filius, Rex Romanorum & Cæsar Frācofurti 24. Nouembris die creatur, & 30. eiusdem mensis coronatur. Duaci Flandrorum Academiam, iisdem cum Louaniensi legibus, Philippus II. Hisp. Rex Belgarumque Princeps instituit. Antonius Borbonius Nauarræ Rex à Caluinianis ad orthodoxos reuersus, primus exercitum contra fratrem Ludouicum Borbonium, Principem Condæum, aliosque Caluinianos educit. At dum Rotomagum, vrbem in Normannia mercatu celebrem, fortiter oppugnat, globo tormentario ictus, 17. Nouembris, ætatis 45. occumbit. Franciscus Dux Guisius, Claudij Lotharingiæ & Guisiæ Ducis filius, Catholicorum ductor, Ludouicus verò Borbonius, Princeps Condæus, & Iaspar Colignius, Amiralis, Caluinianorum duces, apud Druidum vrbem in Normannia, acerrimo inter se prælio confligunt; aliquot millibus vtrimque cæsis. Cosmus Mediceus Florentiæ Dux, vt oram suam maritimam ab incursionibus securam redderet, classemque ad expeditiones contra Mahumetanos suscipiendas, non solùm rebus necessarijs, sed & hominibus rei maritimæ gnaris optimè instructam haberet; ad imitationem Hierosolymitani ordinis, anno 1560. Equitum collegium instituit dotauitque, à S. STEPHANO Papa ac martyre cognomento indito, renouataque victoriæ ad Marcianum ante sexennium Idibus Sextilis (qui dies S. Stephano sacer) partæ memoriâ. Ipse Cosmus sibi ac successoribus suis Florentiæ Ducibus principatum ordinis sumsit, templumque Equitibus ac domicilium Pisis adtribuit, & leges ab ipsis religiosè obseruandas condidit. Hæc ferè Iacobus Augustus Thuanus, historiarum lib. 18. Hunc ordinem Pius IV. Pont. Max. anno 1562. Kalendis Februarij auctoritate sua confirmauit, vt tradit in chronico suo Onufrius; qui & in insula Ilua primùm hunc ordinem an. 1561. vult institutum. Hodie tamen, vt dixi, primaria eius sedes in vrbe Pisana est, in qua Vicarius vniuersæ S. Stephani militię cum collegis perpetuò agit. Paullus Morisus addit istos S. Stephani Equites ex præscripto regulæ S. Benedicti viuere; etsi à matrimonio non arceantur, nec ad vitam perpetuò cælibem, vt Hierosolymitani & Teutonici milites, vlla lege adstringantur.

1562. Academia Duacensis. Ordo Equitū S. Stephani.

MDLXIII. Ioannes Basilius Moscouitarum Dux, Polotiam vrbem & Lithuaniæ Ducatum occupat, mense Februario. *Onufr.* Franciscus Dux Guisius, Catholicarum copiarum in Gallia ductor, dum Aureliam obsidet, à Ioanne 1563.

Ianne Poltroto, Engolismensi, tribus sclopeti gladibus 18. Febr. à tergo traiectus, 24. Febr. exspirat: percussor quattuor equis Lutetiæ in partes distractus est. TRIDENTINVM concilium generale XXVIII. anno ab eius indictione 17. finitur & confirmatur. *Onufr.* Bellū inter Fredericum Daniæ & Ericum XIV. Sueuiæ Reges incohatur; quod annos VIII. durauit. Iacobus Heraclides, natione Græcus, Despota Sami, qui VValachiam ante biennium, pulso Alexandro, auxilijs Alberti Lasci, occuparat, à Valachis 5. Nouembris trucidatur; & anno sequenti Alexander tyrannus iterum in Valachiam auxilijs Turcicis restituitur.

1564. Philippinæ insulæ. MDLXIV. Michael Lopezius Legaspius, Philippi II. Hisp. Regis auspicijs, nouas insulas amplius quadraginta reperit, easque subactas, à Regis nomine Philippinas nuncupauit. Galli, Renato Laudonnerio duce classique præfecto, in Floridam Americæ prouinciam nauigationem secundam instituunt. Antonius Perenotius, Cardinalis Granuellanus, mense Martio, ex Belgio in Burgundiam discedit; inde pôst in Hispaniam ad Philippū Regem profectus. Maria Scotiæ Regina, Francisci II. Gallorum Regis vidua, Henrico Stuarto nubit. Ferdinandus Imp. VIII. Kal. Augusti Viennæ moritur: succedit filius eius MAXIMILIANVS II. Otho Truchsesius Cardinalis & Episcopus Augustanus Dilingæ in Sueuia Academiā magnis sumtibus instituit. Ioānes Caluinus, Galliæ pestis, Geneuæ exstinguitur. Exstat de infami eius vita miseroque exitu Bolseci liber. Fredericus Staphylus Theologus scriptis aduersus nouatores clarus, Ingolstadij; & Andreas Vesalius, Bruxellensis, Medicus & anatomicorum nostri sæculi princeps, in insula Zazyntho, moriuntur. Gerardus Grousbequius, in Roberti Bergani, qui anno superiore ob inualetudinem sponte cesserat, locum Episcopus Leodicensis sufficitur. Pontus Heuterus suos Burgundicarum Belgicarumque rerum commentarios finit.

1565. MDLXV. Sub anni præcedentis finem, & huius initium, sex septimanis continuis gelu perdurauit, eā glaciei firmitudine, vt ab altera à Natali Dominico die, vsque ad festū Epiphaniç diem, Scaldis constrictus ad Antuerpiam pedibus curribusque transiretur, officinas item mercatorias, tabernasque, ingente hominum multitudine confluente, sustineret: Rhenus item ac Mosa currus grauissimis oneribus onustos transmitterent. Ordo militiæ S. Lazari

Ordo SS. Lazari & Mauritij. à Pio IV. Papa, procurante Ianoto Castilionæo Mediolanensi Magistro, restituitur & amplificatur. *Onufrius.* Huius ordinis, SS. Mauritio Lazaro & nunc sacri, perpetuus princeps ac caput est Dux Sabaudiæ. Lege Paullum Morisum, lib. 3. Originum monasticarum cap. 7. Galli, Ioanni Ribaldo duce, in Floridam Americæ prouinciam, bis à se frustra tentatam antea, nauigationem tertiam instituunt: sed ab Hispanorum classe cæsi, paucis fugâ elapsis, in Galliam reuertuntur. Melitam insulam Turcæ occupare nituntur; sed multis militum millibus amissis, discedere coguntur. Alexander

Farne-

Farnesius, Octauij Parmæ & Placentiæ Ducis filius, nuptias Bruxellis celebrat cum Maria, Emanuelis Lusitaniæ Regis nepte ex filio Eduardo, mense Nouembri. Hadrianus Turnebus, Philologus, Lutetiæ, & Conradus Gesnerus, Medicus, Tiguri, moriuntur.

MDLXVI. Pio IV. Papæ anno superiore IV. Idus Decembris defuncto, PIVS V. Alexandrinus, Insuber, ordinis Prædicatorum, VII. Idus Ianuarij sufficitur, & XVI. Kal. Februarij coronatur. Huc vsque Onufrius Panuinius chronicon suum ecclesiasticum, itemque historiam pontificiam deduxit. Hãc Cicarella vsque ad Clementem VIII. protraxit. Chius Ægæi maris insula à Turcis occupatur, teste Leonclauio. Proceres aliquot Margaritæ Austriæ, Belgicarum prouinciarum Gubernatrici, libellum supplicem pro religionis, vt aiebant, libertate, Bruxellis 6. Aprilis die offerunt. Exinde cœpit, prô dolor, Respublica nostra Belgica 1566.

In peius ruere ac retrò sublapsa referri.

Natum porrò tunc nomen Geusiorum inditumque à Carolo Comite Barlaimontio. Qua quidem voce apud Francos vagi mendicique nebulones denotantur. De initijs caussisque tumultuum Belgicorum Florentius Vander-Harius, Vltraiectinus, Canonicus Insulensis, in Flandria, libros duos non minus eleganter quàm prudenter scripsit, & Duaci an. 1587. evulgauit; quibus ea potissimùm continentur, quæ à morte Caroli V. Imp. vsque ad Ferdinandi Aluari, Ducis Albani, in Belgicam aduentum, Margaritâ Austriâ Parmæ & Placentiæ Duce apud nos imperante, per annos nouem in Belgio contigerũt. Antuerpiæ, Siluæ-Ducis, Gandaui, Tornaci, Valentianis, in Geldria item, Hollandia, Zelandia, Frisia & alibi mense Augusto, templa Catholicorum à Caluinianis violantur. Idem antea in agro Casletano, & alibi in Flandria fex nebulonum fecerat. Solimannus II. Turcarum Imp. in castris ad Zigetum in Hungaria moritur: succedit *Selimus II.* filius, Turcarum V. Imperator. Carolus Molinæus, Parisiensis, Iureconsultus celebris quidem, sed impius, & ab orthodoxa religione alienus, Lutetiæ moritur. Ioannes Funccius, chronographus pariter impius, iussu ordinum Borussiæ in Regio-monte securi percutitur.

MDLXVII. Lutherani, Matthia Flacco Illyrico, Spangenbergio, Hamelmanno, alijsque Confessionis Augustanæ professoribus, ex Germania Antuerpiam euocatis, pulso Caluinianismo, Lutheranismum in Belgium introducere nituntur. Valentianæ, opidum Hannoniæ à Geusijs Caluinianis occupatum, Margarita Austria, Belgarum Gubernatrix, per legatos obsidet, & Kalendis Aprilis recipit. Guilielmus Arausiorũ Princeps Antuerpiâ Bredam, indeque in Germaniam se confert. Henrico Stuarto Regi Scotiæ interfecto succedit *Iacobus VI.* Ferdinandus Aluarus Toletanus, Albæ Dux, Bel- 1567.

gicarum prouinciarum Gubernator à Philippo II. Hisp. Rege constitutus, cum exercitu in Belgium venit, sub æstatis exitum. Vrbem nostram Antuerpiensem, quæ olim burgum seu castrum vetus Antuerpiense (cuius hodieque muri ac fossæ apud ædem S. Vualburgis spectantur) cum adiuncta intra fossas veteres regione, complectebatur, prolato pomœrio quater post annũ 1200. auctam reperio. Primùm quidem Henrico eo nomine primo Brabantiæ Duce an. 1201, secundò, Ioanne III. Duce, an. 1314. tertiò, Carolo V. Imperatore, anno 1543. cùm vrbs, vt vocant, noua est addita, mœniaq; propugnaculis aduersus hostes egregiè munita; quartò, Philippo II. Hisp. Rege, hoc ipso an. 1567. cùm exstruendæ arci à Ferdinando Aluaro, Albano Duce, Belgicæque Præfecto, locus est designatus ac complanatus.

1568. MDLXVIII. Ioannes Comes Arenbergius, Frisiæ Gubernator, cum Ludouico Nassouio, Guilielmi fratre, prælio in Frisia concurrens, 23. Maij fortiter occubuit. In qua pugna & Adolfus Nassouius, Ludouici frater, cecidit. Nobiles aliquot viri Bruxellis capite plectuntur. Aldenburgense colloquium inter Lutheranos Misniæ & Thuringiæ hoc anno 21. Octobris incohatur, & 9. Martij, anno sequenti finitur. Matthias Flaccus inter alia contendit peccatum esse substantiam, & non accidens. Atque ex eo tempore Flaccus flaccescere suisque sordere cœpit, idem à suis, quod Melanchthon ab ipso passus. Estque hic annus XX. ex quo Flaccus Melanchthonem oppugnare cœpit; vt in Indice suo chronologico Bucholzerus fatetur. Albertus Prussiæ Dux, seu potius inuasor (nam Teutonicis Equitibus eam eripuit) 20. Martij moritur: succedit *Albertus Fredericus*, eius filius. *Ioannes III.* Sueciæ Rex Erico fratri suo succedit. Onufrius Pan-vinius, Veronensis, eremita Augustinianus, Romanis antiquitatibus, cum sacris tum profanis, eruendis natus, Octauiani Panagathi, & Antonij Augustini (qui tunc Rotæ, vt vocant, Auditor in Vrbe erat, pòst Archiepiscopus Tarraconensis) assidua cõsuetudine doctior factus, hoc fere tempore Panormi, anno ætatis quadragesimo, decessit, Alexandrum Farnesium Cardinalem in Siciliam secutus. Pan-vinium certè non dubitat Ios. Scaliger *historiæ Patrem* nominare.

Lutheranorum dissidiũ.

1569. MDLXIX. Ludouicus Borbonius, Princeps Condæus, Caluinianarum partium ductor, cum Henrico Valesio, Duce Andegauensi, ad Irnacum, prope Engolismam, prælio decertans, 13. Martij occumbit. Pius V. Papa Cosmum Mediceum magni Etruriæ Ducis titulo donat, diplomate VI. Kal. Septembris emisso.

1570. MDLXX. Philippum Nigrium, ordinis Aurei Velleris Cancellarium, Philippus II. Hisp. Rex Belgarumque Princeps primum vrbis nostræ Antuerpiensis Episcopum nominarat. In cuius immaturè defuncti locum Franciscus Sonnius à Pontifice & Philippo Rege suffectus, relicto Episcopatu Siluiducensi, hoc anno Antuerpiam ingressus est; Ferdinando Aluaro

Albæ

Albæ Duce, totaque aula honoris causſâ comitante. Ioanne Tranſsiluaniæ Vaiuoda defuncto *Stephanus Battorius* à Tranſsiluanis eligitur Palatinus Tranſsiluaniæ. Maximilianus II. Imp. Annam filiam, menſe Auguſto, Philippo II. Hiſp. Regi, & alteram filiam Eliſabetham Carolo IX. Galliarum Regi, menſe Octobri, nuptui dedit. Nicoſiam, Cypri inſulæ vrbem nobilem, Turcæ 10. Septembris, duce Muſtafa Baſſa, Venetis eripiunt & miserè diripiunt. In Hollandia, Zelandia, Friſia & Flandria, plurimi pagi hominesq; maris inundatione perierunt, menſe Nouembri.

MDLXXI. Moſcam, regiam Moſcorum vrbem, cum arce, Tartari Precopenſes menſe Maio occupant atque exurunt. Famaguſtam, quæ olim Salamis dicta, vrbem Cypri nobiliſsimam, Muſtafa Baſſa, poſt annalem pænè obſidionem, in deditionem 5. Auguſti die in deditionem accipit; Bragadino vrbis Præfecto, violatâ fide, iuſſu Muſtafæ, excoriato. *Leoncl.* 1571.
Fœdere inter *Pium* V. Pont. Max. *Philippum II.* Hiſp. Regem, & *Rempublicam Venetam* inito, claſsis inſtructiſsima (cui ſummo cum imperio Ioannes Auſtrius Caroli V. Imp. filius præfuit) contra Turcas educitur: quæ prælio ad *ſinum Corinthiacum, apud inſulas Echinadas (non procul Actio promontorio, vbi Antonium cum Cleopatra Auguſtus ſuperauit) Nonis Octobris commiſſo, claſſem Turcicam feliciter profligauit, & victoriam multis ſæculis inauditam ex hoſte retulit. De hoc ſacro fœdere ac bello libros quatuor elegantes Vbertus Folieta poſteris reliquit. Carolus Archidux Auſtriæ coniugem ducit Mariam, Alberti Ducis Bauariæ filiam. Claudius Eſpencæus, Doctor Theologus Pariſienſis, moritur.

* Hodie *Golfo de Lepanto.*

MDLXXII. Sigiſmundus Poloniæ Rex, ex Iagellonis familia poſtremus moritur. Gaſpar Colignius Caſtellonius, Galliæ Amiralis, & multi alij Caluinianæ ſectæ homines 24. Auguſti, die feſto S. Bartholemæi, Pariſijs occiduntur. Franciſcani ſodales vndecim, & alij aliquot ſacerdotes Brilæ in Hollandia a Caluinianis religionis cauſſâ ſuſpenduntur. Horum martyrum Gorcomienſium hiſtoriam Guilielmus Eſtius Doctor Theologus & Cancellarius Duacenſis litteris conſignauit. Pio V. Papæ defuncto GREGORIVS XIII. Bononienſis, Hugo Boncompagnus ante pontificatum dictus, ſubrogatur. Petrus Ramus, & Dionyſius Lambinus, Pariſijs; Ioannes Goropius, Becanus, Traiecti ad Moſam, obierunt. Stella noua in ſidere Caſsiopeæ, de qua multi multa ſcripſerunt, menſe Nouembri conſpicitur: & ſub initium anni 74. demum prorſus euanuit. Franciſcus Borgia, ex Duce Gandiæ, Societatis IESV Præpoſitus generalis tertius, anno ætatis ſecundo & ſexageſimo Romæ moritur. Vitam eius Hiſpanicè Petrus Ribadeneira, Latinè verò Andreas Schottus, Antuerpianus, ſcripſere. 1572.

MDLXXIII. Harlemum, vrbs Hollandiæ munitiſsima, poſt VIII. menſium 1573.

Ee 2 obſi-

quitur. Sebastianus Venerius, Dux Venetorum, prælio nauali ad Echinadas fortiter feliciterque gesto clarus, Venetijs; Viglius Zuichemus, Frisius, IC. præstantissimus, & summi Senatus apud Belgas Præses, pòst vxore defuncta, sacerdos & Præpositus basilicæ S. Bauonis Gandauensis, Bruxellis, moriūtur.

MDLXXVIII. Ioannes Austriacus, Ordinum Belgij copias memorabili prælio apud Gemblacum 30. Ianuarij die profligat, & cursum victoriæ prosequens, Louanium, Arschotti, Sichemium, Distemium, Thenas, Niuellas, Philippopolim aliaq; opida & arces occupat. Turcæ, bello Persis illato, Tiphlisium Georgianorum vrbem, & Siruanum Mediæ metropolim occupant. Lusitani à copijs Abdelmeleci Regis Fesani in Africa apud Alcazerū 4. Augusti die, cæduntur; ipso Portugalliæ Rege *Sebastiano*, XXIV. annorum iuuene, cum proceribus plurimis, & militum millibus quindecim, occiso. Periêre & duo Maurorum Reges, *Abdelmelecus* apoplexia exstinctus, & *Muleius Mahumetes*, ex fratre Muleio Abdalla nepos, & hostis ipsius in fuga cœnosis Larissæ aquis submersus. Fesanum regnū *Muleius Hametus*, Abdelmeleci frater obtinuit: qui prælio finito Rex in castris est salutatus. Ceterùm Antonius Lusitanus, Ludouici filius naturalis, in prelio quidem captus, sed à Mauro quodam liberatus ac Tingim deductus ad suos redijt. Sebastiano occiso in regno Portugalliæ successit proximus heres *Henricus* Cardinalis. Osmanes Bassa Turcicus *Temircapim*, id est, Portam ferream, siue Derbentum, arcem ad mare Caspium munitissimam, versus Moscouiam, Schembali illius loci Principe, socero suo interfecto, occupat. *Leoncl.* *Philippus III.* Hispaniarum Rex, Philippi II. ex Anna Austria Maximiliani II. Imp. filia, & *Ferdinandus*, Caroli Archiducis Austriæ filius nascuntur. *Ioannes Austriacus*, Caroli V. Imp. filius, Belgicarum prouinciarum Gubernator, Princeps bellicosissimus, atque illustri illâ apud Echinadas victoriâ de Turcis partâ toto orbe notissimus, in castris apud Namurcum postridie Kal. Octobris moritur. In Belgica præfectura successit illi *Alexander Farnesius*, Octauij Parmæ Placentiæque Ducis & Margaritæ Austriæ filius. 1578.

MDLXXIX. Henricus III. Galliæ & Poloniæ Rex ordinem Equitum S. SPIRITUS ipsis Kalendis Ianuarijs instituit; Parisijs in basilica Augusti- 1579. nianorum eremitarum. Carolus Archidux Austriæ Carolopolim siue Carolostadium in Croatia, ad Meresuitzæ & Colapis confluentem, irruptionibus Turcarum reprimendis, ædificat. Traiectum ad Mosam opidum munitissimum Alexander Farnesius 29. Iunij die expugnat. Legati à Rudolfo Imperatore, à Philippo II. Hisp. Rege, ab Ordinibus item Belgicis fœderatis Coloniam Agrippinam missi, frustra de pace apud Belgas restituenda agunt. Stephanus Battorius Poloniæ Rex Polotiam, Sussam, Socolam aliaque opida & arces à Moscis occupatas, recuperat. Artesiæ & Hannoniæ Ordines, itemq; Insulenses ac Duacenses, mense Septembri, cum Farnesio in gratiā redeunt.

Ordo Equitum S. Spiritus.

Stanislaus Hosius, Polonus, Cardinalis & Episcopus Varmiensis, libris aduersus hæreticos editis clarus, Romæ; & Ioannes Stadius, Lonhautanus, ex agro Antuerpiensi, Mathematicus celebris, Lutetiæ, moriuntur. Philippus II. Hisp. Rex Belgarumque Princeps, Guilielmi Lindani, Episcopi Ruremundani operâ, Louanij & Duaci collegia seu seminaria Pastorum excitanda curauit, litteris Madrito ad Alex. Farnesium mense Octobri datis. Iosephi Pamphili Veronensis, Episcopi Signini, chronicon ordinis eremitici Augustinianorum desinit.

1580. MDLXXX. Ineunte mense Aprili, terræ motus ingens Britanniam, Brabantiam, Flandriam, Hollandiam vicinasque prouincias concussit. Ioannes Holsatiæ Dux, Frederici I. Daniæ Regis filius moritur. Stephanus Battorius Rex Poloniæ Velisam, Vsuiatam, Velicolucam celebre emporium, Neuelam, Zaualotiam, aliaque opida Moscis eripit atque expugnat. Hoc anno cometa miræ magnitudinis fulsit, & pestis seu lues epidemica Italiam, Siciliam, Græciam, Hungariam, Germaniam, Belgium, Daniam, Succiam, Liuoniã, adeoq; totam pænè Europam grauissimè afflixit. Anna Maria, Maximiliani II. Imp. filia, & Philippi II. Hisp. Regis coniux; Henricus Cardinalis & Rex Portugalliæ; itemque Emanuel Philibertus, Dux Sabaudiæ, moriuntur. Henrico *Philippus* II. Castellæ Rex, Emanueli autem filius *Carolus Emanuel* successêre. Hieronymus Osorius, Lusitanus, Episcopus Siluensis, rerum Indicarum scriptor elegans, moritur, & in basilica Faronensi sepelitur.

1581. MDLXXXI. Gerardo Grousbequio, Leodicensium Antistiti ac Principi, sub anni superioris exitum defuncto, Ernestus Bauarus 30. Ianuarij mensis die sufficitur. Philippus II. Hispaniarum Rex, regnum Portugalliæ, iure sibi debitum; occupat, & solenni pompa Olisipone 16. Aprilis die coronatur; missâ classe contra Antonium, Ludouici Portugalliæ Principis filium naturalem, qui insulas Azores armato tenebat milite. Ioannes Rex Sueciæ Naruam, Liuoniæ portum celeberrimum, & Naruam Rusicam fluuio à priore diremtam, 6. Septembris die expugnat; Tamagrodum item, & Coporiam; Rusiæ arces ac prouincias occupat. Tornacum, vetus Neruiorum opidum, ad Scaldim fl. Farnesius 30. Nouembris die ad deditionem cogit.

Lipsius in exemplis politic.

Claudius Aquauiua, Neapolitanus, Ducis Atrij filius, in Euerardi Mercuriani, Eburonis, nuper vita functi locum, quintus generalis Præpositus Societatis IESV sufficitur. Edmundus Campianus, Londinensis, Societatis IESV sacerdos, martyr nostri sæculi clarissimus (cuius inter alia libellus exstat aureus, in quo decem Rationibus religionis orthodoxæ dogmata adstruit, rerumque pondere aduersarios obruit) pro eâdem religione, Romanique Pontificis suprema auctoritate, Londini Kalendis Decembris immanissimè mactatur. Martyrium eius descripsit Guilielmus Estius, Doctor Theologus Duacensis. Vbertus Folieta, Genuensis, sacerdos, & patriæ historiæ scriptor ele-

elegantissimus, Romæ; Hieronymus Natalis, Baleari in insula natus, Societatis IESV Theologus in Vrbe itidem, moriuntur.

MDLXXXII. Inter Stephanum Poloniæ Regem, & Ioannem Basilium magnum Moscouiæ Ducem, operâ Antonij Posseuini, Soc. IESV Theologi, Legati Pontificij, 15. Ianuarij die, ad Zapolciam, pax concluditur: qua quidem Moscus vniuersam Liuoniam Polono cessit, Velicolucam verò aliasque arces aliquot idem recepit. Vide eiusdem Posseuini de Moscouia commentarios. Franciscus Valesius, Dux Alenconius & Andegauensis, Henrici III. Galliæ Regis frater, ex Anglia in Belgicam traijcit. Kalendarij emendatio a Gregorio XIII. Pont. Max. instituta publicatur, & dies decem eximuntur. Quo factum, vt æquinoctia & solstitia ad eas sedes, quas concilij Nicæni tempore tenuerunt, iterum sint reuocata. B. Teresa de IESV, virgo nobilis Hispana, quæ monialium & monachorum Carmelitarum excalceatorum, iuxta præscriptum primæ, vt vocant, regulæ, ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano dictatæ, viuentium ordinem instituit, Albæ in Hispania, quod opidum est regni Castellę & diœcesis Salmanticensis, Ducatus titulo nobile, in Domino obdormit, anno ætatis 68. Tumuli eius hæc est inscriptio. 1582.

RIGIDIS CARMELI PATRVM RESTITVTIS REGVLIS,
PLVRIMIS VIRORVM FEMINARVMQVE ERECTIS CLAVSTRIS,
MVLTIS VERAM VIRTVTEM DOCENTIBVS LIBRIS EDITIS,
FVTVRI PRAESCIA, SIGNIS CLARA,
CAELESTE SIDVS AD SIDERA ADVOLAVIT
B. VIRGO TERESA,
IV. NON. OCTOBR. M. DXXCII.
MANET SVB MARMORE NON CINIS,
SED MADIDVM CORPVS,
INCORRVPTVM, PROPRIO SVAVISS. ODORE,
OSTENTVM GLORIAE.

B. Teresæ vitam ac miracula sermone Hispanico scripsere Franciscus Ribera, Societatis IESV Theologus, & Didacus Iepesius, ex ordine D. Hieronymi, Episcopus Turiasonensis, pientissimę virgini à sacris vterque confessionibus. Ferdinandus Aluarus, Toletanus, Dux Albanus, Belgicarum olim prouinciarum Gubernator, gloriâ bellicâ sub Carolo V. Imp. eiusque filio Philippo II. dux clarissimus, Lusitaniâ domitâ, 12. Decembris die Olipsipone moritur. Georgius Buchananus Scotus, poëta quidem excellens, sed ab orthodoxa religione alienus, Edimburgi in Scotia, moritur.

MDLXXXIII. Franciscus Dux Alenconius perfidè ac fraudulenter Antuerpiam opprimere, & Gallici iuris facere, 17. Ianuarij die conatur. At ciues, perfidiâ cognitâ, Gallos vrbem mediam plenis agminibus ingressos, fortiter repellunt ac superant. Ex Gallis mille quingenti partim cæsi, partim capti. 1583.

Cæso-

Cæsorum tumulus hodieque in mœnibus Antuerpiensibus ad portam Kiddorpiam ostenditur: quem locum *Busta Gallorum* non ineptè quis nuncupet. Alençonius Dunkercam, quod est Flandriæ opidum maritimum, se recepit, indeque inglorius ad suos in Galliam traiecit, & anno proximè sequenti, 10. Iunij, in castello S. Theodori in Gallia, viuere desijt. Gebhardus Truchsesius, Archiepiscopus Coloniensis & Elector, turpi amore Agnetis, Ioannis Georgij Comitis Mansfeldensis filiæ, captus, eam 4. Ianuarij die Bonnæ sibi copulat, atque ad hæresim deficit. Quapropter ipsi a Gregorio XIII. Papa sacris ac dignitate moto *Ernestus*, Alberti Bauariæ Ducis filius idemque Episcopus Leodicensis, a collegio metropolitano sufficitur: qui armata manu Coloniam tutatus, prouinciam totam paullatim subegit. Exstat de hoc bello Coloniensi Michaelis Isseltij commentarius typis editus. Philippus II. Hisp. Rex Terceram, S. Michaelis insulam, Gratiosam, & reliquas insulas, quas *Azores* nuncupant, ab Antonio Lusitano occupatas, recuperat. Farnesius, post Alenconij discessum, Dunckercam, Neoportum, Furnam, Dixmudam, Hulstum, Axellam, Alostum, Rupelmondam, aliaque Flandriæ opida & arces, nomine Philippi II. Hisp. Regis, recipit. Stephanus Rex Poloniæ fratris sui Christophori filiam Griselidem Battoriam Ioanni Zamoscio, summo regni Poloniæ Cancellario, in matrimonium tradit, mense Maio. Ioannes Maldonatus, Hispanus, Soc. IESVS Theologus, Romę; Hubertus Golzius, Venloniamus, Geldrus, cuius exstant de re nummaria commentarij, Brugis Flandrorum; Franciscus Belleforestius, Gallus, celebris Annalium scriptor, Parisijs, moriuntur.

1584. MDLXXXIIII. B. Carolus Borromæus Cardinalis & Archiepiscopus, sanctimoniæ speculum, ex hac vita ad æternam transit, anno ætatis quadragesimo octauo. Res eius gestas conscripsêre Augustinus Valerius Cardinalis idemque Episcopus Veronensis, Carolus a Basilica Petri, alijque. Farnesius, Iperas, Brugas, Teneramundam, & Gandauum, Flandriæ opida, subigit. Tauricæ Chersonesi partem Borealem, quę Tartarorum Precopensium sedes aliquot iam seculis fuerat, Osmanes Bassa a bello Persico per Colchidem & Pontum Euxinū rediens, mense Maio occupat, & Tartaris, hactenus liberis Turcarumque socijs, nunc subactis, in prouincię formam redigit. Ioanni Basilio, magno Moscouiæ Duci, & Russorum Imperatori defuncto, filius *Theodorus* succedit. Guilielmus Princeps Arausiorum & Comes Nassouius, Delfis Batauorum sclopeto à Balthasare Gerardo, Burgundo, traiectus, moritur. Ex prima coniuge, Anna Maximiliani Egmondani, Comitis Burani, filia & herede, filium reliquit *Philippum Guilielmum*, Arausiorum hodie Principem, & Buræ Comitem. Franciscus Turrianus Legionensis, Hispanus, Soc. IESV Theologus insignis, Romæ; Carolus Sigonius, Mutinensis, Bononiæ in Italia; Ioannes Sambucus, Tirnauiensis, Pannonius, Viennæ in Austria, moriuntur.

Caro-

MDLXXXV. Carolus Emanuel, Dux Sabaudiæ, cum Catharina Philippi II. Hisp. Regis filia, Cæsaraugustæ 10. Martij nuptias celebrat, atque ex ea liberos suscepit, Philippum Emanuelem, Victorem Amadeum, Philibertum, Mauritium, Thomam, Margaretam, Mariam, Isabellam, & Catharinam. Quattuor Iaponij Principes, religionis nostræ sacramentis imbuti, magno eiusdem colendæ desiderio incensi, è Iaponia sub initium anni 1582. soluentes, Sinarum, aureæ Chersonesi, Indiæ, Africæque litoribus lustratis, in Lusitaniam sub anni 1584. exitum appulerunt. Inde Romam profecti, Christianorum Regum Iaponensium nomine, Gregorio XIII. Pont. Max. obedientiam hoc anno mense Maio obtulerũt. A quo benignissimè accepti & liberaliter donati, Italiâ obitâ, in patriam renauigantes domum incolumes peruenerunt, rebusque omnibus valere iussis Societati IESV nomen dederunt. Horum procerum Itinerarium scripsit Eduardus Sandius, Olisiponensis, Soc. eiusdem sacerdos. Gregorius XIII. Pontifex verè Optimus Maximus 10. Aprilis die ad meliorem vitam transit. Is viginti amplius seminaria, omniumque pæne nationum collegia, magno Ecclesiæ Catholicæ commodo, instituit ac dotauit 1 *Romanum* Soc. IESV collegium, in quo CC. aluntur, docenturque artes omnes futuro Theologo ac sacerdoti necessariæ. 2. *Germanicæ* gentis collegiũ. 3. *Neophytorum* ex Hebræorum filiis. 4. & 5. *Anglorum*, qui ob fidem Catholicam parentes patriamque liquêre, collegia duo, vnum Romæ, alterũ Remis in Gallia, quod nunc est Duaci in Flandria. 6. *Græcorum*, auitæ religioni propagandæ. 7 *Maronitarum* è monte Libano. 8. *Illyricorum* Laureti seminarium excitauit, quod inde Romã postea Clemens VIII. transtulit. 9. *Viennense* in Austria collegium. 10. *Pragense* in Bohemia. 11. *Græciense* in Styria. 12. *Olmucense* in Morauia. 13. *Bransbergense* in Prussia. 14. *Musipontanum* in Lotharingia. 15. *Vilnense* in Lithuania. 16. *Claudiopolitanum* in Transsiluania. 17. *Funense* in Iapone. 18. *Vsaquiensem* domum, vt vocant, probationis, Soc. IESV, itidem in Iapone. 19. *Arimense* seminarium in Iapone. 20. *Anzuchixamenense* in Iapone. 21. *Fuldense* in Germania. De his ceterisque optimi Pontificis virtutibus plura si voles, Cicarellam, Ciaconium aliosque pontificiæ historiæ scriptores legas. In demortui locum SIXTVS V. Picenus, ex ordine D. Frãcisci, subrogatus est. Is Obeliscos aliquot, ex Ægypto Romam allatos, Dominici Fontanæ, Nouocomensis, architecti operâ erexit, instaurauit, sumtuque incredibili transtulit. Tot insuper tantaque quinquennij spatio præstitit, vt Romam (sic dicere liceat) latericiam reddidisse marmoream videatur. De his rebus exstant pleni aliorum commentarij. Bruxellas, Machliniam, Antuerpiam aliáque opida Alexander Farnesius subigit, & Philippo II. Hisp. Regi, restituit. In Antuerpiam sibi & Regi restitutam exstat Panegyricus insignis ad Farnesium victorem, heroico carmine à Ioanne Bochio Bruxellensi, S. P. Q. Antuerpiensi à Secretis, conscriptus. Hoc eodem anno Philippus Rex, arcem Placentinam, quam triginta amplius annos militari præsidio tenuerat, Farnesio, ob res præclarè in Belgio gestas, reddidit. Mahumetes 1585.

Ff Hod.

Hodabendes Persarum Rex legatos & dona pretiosissima ad Philippum II. Hisp. Regem mittit,& cum eo fœdus inire postulat. Idem Amurates Turcarum Imperator præstitit. Turcæ Maronitas & Drusos, non procul Tripoli vrbe Syriæ Phœnices, ad montem Libanum habitantes, domant ac subigunt. *Leoncl.* Guilielmus Sirletus, Cardinalis, Græcè Latinéque doctissimus, Romæ; Marcus Antonius Muretus, Lemouix, Gallus, ibidem; Ioannes Bodinus, Andegauensis, homo impius, Lauduni Veromanduorum, moriuntur.

1586. MDLXXXVI. Heluetiorum pagi Catholici septem prisci fœderis sanctitatem nouo iuramento Lucernæ firmant. Fœciales ex quibusque pagis bini, factâ exhomologesi, SS. Eucharistiam de manu Ioannis Francisci Bonhomij, Episcopi Vercellensis, ac Nuntij Apostolici, intra sacra solennia, susceperunt: vt Sebastianus Verronius, Friburgensis apud Heluetios Præpositus, in suis chronicis commemorat. Magna fame hoc anno laboratum est in Italia, Hungaria, Sueuiâ, Gallia Belgica, Lotharingia, alijsque Europæ prouincijs. Mahumetes Hodabendes Rex Persarum, multis bellis aduersus Turcas prosperè gestis clarus, mense Decembri moritur. Successit *Abas Mirises* Cheriæ primùm regulus, postea Rex Persarum. Octauius Farnesius, Parmæ & Placentiæ Dux, eiusque coniux Margarita Austria moriuntur: succedente filio *Alexandro Farnesio*, Belgicarum prouinciarum Gubernatore. Mompelgartense colloquium, inter Schmidelinum Lutheranum, & Theodorum Bezam Caluinianum, eorumque socios habitum, decimo pòst die dissoluitur; spiritu dissensionis inter illos dominante, turbasque acerrimas concitante. Martinus ab Azpilcueta Nauarrus, pontificij ac cæsarei Iuris consultissimus, Romæ; Petrus Victorius, Florentinus, Philologus, in patria; Matthæus Vuesenbecius, Antuerpianus, Iureconsultus quidem celebris, sed à vera & veteri religione alienus, Vuitebergæ, moriuntur. Eodem ipso anno Antonius Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, vir in omni scientiarum genere versatissimus, Tarracone viuere desijt. Funebrem eius laudationem Andreas Schottus euulgauit.

1587. MDLXXXVII. Maria Scotię Regina pientissima, iussu Elisabethæ Anglorũ Reginæ, XII. Kalendas Martij securi percutitur. Poloniæ proceribus inter se dissidentibus, alij *Sigismundum III.* Suecorum Regem, alij *Maximilianũ* Austriũ, Rudolfi II. Imp. fratrem, sibi Regem 22. Augusti die eligunt. Melhusinũ opidũ maiores Heluetiorũ pagi sibi subigunt. Franciscus Mediceus, magnus Etruriæ Dux, & Guilielmus Gonzaga, Mantuæ Dux, moriuntur. Antonius Perenottus, Granuellanus, Cardinalis & Archiepiscopus Machliniensis I. Carolo V. Imp. eiusque filio Philippo II. ob prudentiam longè gratissimus, nostri sæculi Mæcenas, Madriti in Hispania decedit.

1588. MDLXXXVIII. Sixtus V. Pont. Max. bibliothecam Apostolicam à prioribus Pontificibus Laterani institutam, à posterioribus deinde in Vaticanum transla-

translatam, ibidemque à Nicolao V. auctam, à Sixto IV. excultam, ex loco obscuro ac depresso in editum ac perlucidum hoc anno extulit; aulâ peramplá, vestibulo, scalis, porticibus, totóque ædificio longè amplissimo à fundamentis excitato, picturisque illustribus vndique ornato. Guilielmus Lindanus Dordracenus, ex Doctore Theologo Louaniensi secundus Gandensium Episcopus, inuictus hæreticorum antagonista, viuere desijt. Classis potentissima Philippi Hisp. Regis, 28. die Maij Olisipone versus Angliã soluens, ineunte Augusto mense, apud Caletum Galliæ opidum, dissipatur. Henricus Dux Guisius, Blæsis in regni comitijs, iussu Henrici III. Gallorum Regis, 23. Decembris die confoditur: sequenti verò die Ludouicus Cardinalis Guisius, Henrici frater, strangulatur. Hinc mox bellum Galliæ funestissimum enatum.

MDLXXXIX. Constantinopoli, mense Martio, legionarij milites ex Persia reuersi, adiunctis sibi Genizaris, ob non soluta stipendia, magnam excitant seditionem, igne in Iudæorum vicum iniecto: quo quidem per tempestatem aucto, duodecim amplius ædium millia sunt absumta, cum magna tabernarum & officinarum copia. Ceterùm merces quasque pretiosissimas miles prædæ inhians diripuit. *Leoncl.* Elisabetha Angliæ Regina, CXL. nauium classem, Ioanne Noricio & Francisco Draco ducibus, in Hispaniam mittit, & Olisipone obsessa, Antonium nothum in Lusitaniam reducere conatur; sed frustra, ALBERTO AVSTRIO, Prorege, cùm ciuibus ac militibus, vrbem regnumque fortiter tutante. Henricus III. Galliæ & Poloniæ Rex, Parisios obsidens, à Iacobo Clemente, Senensi, monacho Dominicano, cultro in ventrem acto, Kalendis Augusti grauiter vulneratur, & die sequenti exspirat: *Henrico Borbonio*, Nauarræ Rege ac Biarniæ Principe, qui nunc eo nomine quartus Gallis imperat, successore designato. Catholici tamen proceres fœderati *Carolo Borbonio*, Cardinali, quem idem Henricus ex fratre nepos in custodia habebat, regni coronam deberi pronuntiabant. Ioannes Hauchinus, Machliniensium Archiepiscopus II. moritur. Cuius defuncti locum vt suppleret, Guilielmus Alanus, Cardinalis, Anglus, à Philippo II. Hisp. Rege, nominatus est: prouinciam tamen, morte præuentus, non adijt. Matthias itaque Houius, patria Machliniensis, tertius eius vrbis Archiepiscopus est constitutus. Iacobus Zabarella, Philosophus, Patauij; Andreas Dudithius, post varias legationes obitas, Vratislauiæ, in Silesia; Martinus Cromerus, Varmiensis in Borussia Episcopus, Polonorum historicus, Varmiæ; & Christophorus Plantinus, Turonensis, ciuis & incola Antuerpianus, Philippi II. Hisp. Regis Architypographus, Antuerpiæ, moriuntur. His ferè temporibus pax inter Turcas & Persas est constituta. Ludouicus Guicciardinus, Florentinus, qui Germaniam inferiorem descripsit, Antuerpiæ moritur. 1589.

MDXC. Hoc anno ineunte bellum atrox inter Moscos & Suecos exardescit; Mosco (dum Naruam Liuoniæ obsidet) Kexholmam, Coporiam & Iuanogrodum, seu Naruam Rusicã, opida à Succis ante nouennium occupa- 1590.

ta, mense Februario, recuperante. Breda, opidum Brabantiæ, à confœderatarum Belgij prouinciarum militibus, per fraudem noctu 4. Martij intercipitur, Italis præsidiarijs exactis. Atque ex eo quidem tempore, cùm vires nostræ, bello Gallico exardescente, distraherentur, Batani eorumque socij, Mauritio Nassouio duce, res suas paullatim auxerunt ac firmarunt. Henricus IV. Borbonius ad Druidum vrbem, haud procul vico Iuriacensi, cum Carolo Duce Maynio, Philippo Comite Egmundano, alijsque confœderatis 14. Martij die prælio concurrit & superat. Inter alios Philippus Egmundanus, auxiliorum è Belgio missorum ductor, cecidit. Hac victoriâ partâ, Henricus IV. mense Aprili fugiente, Lutetiam obsidere cœpit. Quam graui fame pressam, mense demum Septembri ineunte, Alexander Farnesius, Dux Parmensis, obsidione liberauit. Apud Treueros, Sueuos, Saxones, Danos, aliosque Germaniæ populos magnus hoc anno maleficorum & sagarũ numerus igne exustus est. Sixtus V. Papa 27. Augusti moritur. VRBANVS VII. ante pontificatum dictus Ioannes Bap. Castaneus, 15. Septembris sufficitur. Quo ante inaugurationem, 27. eiusdem mensis, defuncto, succedit Nicolaus Sfondratus, GREGORIVS XIV. nuncupatus. Iacobus Badensis in Germania Marchio, Caroli filius, qui Ioanne Pistorio contra Schmidelinum aliosque Lutheranos disputante, relicta confessione Augustana, ad orthodoxos redierat, moritur. Iacobus Cuiacius, Tolosanus, & Barnabas Brissonius, Iureconsulti, Lutetiæ, moriuntur.

1591. MDXCI. Abas Mirises Rex Persarum Vsbegum, Chamum, Tartaricum, & Baheræ seu Bactræ dominum, cæso cum exercitu filio eius, reprimit, & Chorasanem prouinciam sibi ereptam recuperat. *Leoncl.* Henricus IV. Borbonius Rotomagum Normanniæ emporium frustra obsidet; Alexandro Farnesio obsessis opem ferente. Gregorius XIV. Papa 15. Octobris moritur: succedit Ioannes Antonius Fachinetus, Bononiensis, INNOCENTIVS IX. nuncupatus. Franciscus Ribera, Hispanus, Soc. IESV. Theologus (qui inter alia vitam B. Teresæ, Carmelitanarum virginum excalceatarum fundatricis, Hispanicè descripsit) Salmanticæ moritur.

1592. MDXCII. Innocentio IX. Papa XXX. Decembris anno superiore defuncto, CLEMENS VIII. ante pontificatũ Hippolytus Aldobrandinus dictus, XXX. Ianuarij subrogatur. Sigismũdus III. Sueciæ & Poloniæ Rex Annam Caroli Archiducis Austriæ filiam matrimonio sibi iungit, nuptijs Cracouiæ solenniter celebratis. Ioanne Comite à Manderscheit Episcopo Argentinensi defuncto, à Canonicis orthodoxæ religionis *Carolus*, Caroli Lotharingiæ Ducis filius, Cardinalis & Episcopus Metensis, ab alijs Lutheranæ factionis *Ioannes Georgius*, Ioachimi Frederici, Administratoris Archiepiscopatus Magdeburgensis filius, subrogatur. Vnde mox bellum enatum: quod anno sequenti, Legatis Rudolfi II. Imp. interuenientibus, demum est compositum.

Turcæ

Turcæ mense Iunio, ruptis inducijs, ex Bosna magnis copijs progressi *VVihitzium*, munitum Croatiæ opidum, cum arce, aliquamdiu obsessum, occupant. *Elisabetha*, Caroli IX. Galliæ Regis vidua, & Maximiliani II. Imp. filia, Viennæ Austriæ; IOANNES III. Rex Sueciæ, Gustaui filius, Sigismundi III. Sueciæ & Poloniæ Regis pater; *Guilielmus* Dux Cliuensis & Iuliacensis, Dusseldorpij; *Alexander Farnesius*, Parmæ Placentiæque Dux, Belgicarum prouinciarum Gubernator, Atrebati in S. Vedasti cœnobio, moriuntur. Eodem anno Hieronymus Platus, Mediolanensis, Soc. IESV Theologus, vitæ monasticæ ac religiosæ præco egregius, Romæ viuere desijt.

MDXCIII. Palmam opidum arcemque munitissimam, tertio ferè ab Aquileia lapide, Veneti hoc anno condere cœperunt. Iunij 22. die memorabilis pugna ad Sisséchiũ Croatiæ opidum ac monasterium inter nostros & Turcas committitur; in qua viginti fere Turcarum millia perierunt, vix quinquaginta ex nostris desideratis. Henricus IIII. Galliæ & Nauarræ Rex, relictis Caluinistis, ad orthodoxæ religionis exercitium redijt, & SS. Missæ sacrificio, in S. Dionysij opido, 25. Iulij die interfuit. Muleius Xequus, Mulei Mahumetis, Fesæ & Maroci quondã Regis, ab Abdelmeleco, patruo suo, regno pulsi, atque in prælio Alacazerensi an. 1578. cæsi filius, Sebastiano Lusitaniæ Regi obses datus, post obitum patris in Hispaniam missus, & à Philippo II. Rege enutritus, Christique religione imbutus, mense Nouembri, in Scuriaco, S. Laurentij monasterio, vnà cum cognato suo & ministris aulicis baptizatur. Sisséchium, Vesprimium, Palotta, aliaque opida à Turcis occupantur. Nostri vicissim in Hũgaria superiore Filecchũ, Deuinum, aliasque arces & loca Turcis eripiunt: ad Albam item regalem quattuordecim ferè barbarorum millia profligant ac cædunt. Sic variâ fortunâ bellum apud Hungaros his temporibus gestum. Tria Cosaccorum Nisouiorum millia *Bialogradum* vrbem, in finibus Moldauiæ, Tyræ vel Nestri fluminis, in Pontum Euxinum profluentis ostio adsitam, spoliant, & Turcis, Tatarisque incolis occisis, igne deuastant. Inde mox progressi, *Cilium*, vulgò *Kiliam nouam*, quod est celebre emporium, ad Septemtrionale Danubij ostium in litore Boreali situm, rapinis pariter atque incendijs destruunt. Orlandus Lassus, Montibus Hannoniæ apud Belgas natus, Musicorum nostri sæculi Princeps Monachij in Bauaria, anno ætatis 73. moritur. Eodem anno Gregorius à Valentia, Hispanus, Soc. IESV Theologus Neapoli viuis excessit. 1593.

MDXCIIII. *Ernestus* Archidux Austriæ, Belgicarũ prouinciarũ à Philippo II. Hisp. Rege Gubernator designatus, Bruxellis 30. Ianuarij die magna pōpa excipitur. Lugdunum, Aurelia, Bituriges, Melodunum, Landunum, Ambianum, Lutetia Parisiorum, aliaque Galliæ opida Henrico IIII. Galliæ & Nauarræ Regi sese dedunt. Sigismundus III. Rex Poloniæ solenni pompa Rex Suecorum Vpsaliæ Kalendis Martij coronatur. Hollandiæ, ceterarumq; cōfœde- 1594.

Nouum iter in Indiam Orientalem ab Hollandis quæsitum.

ratarum apud Belgas prouinciarum Ordines, septem nauium classem, versus Boream & Orientem emittunt: vt relictâ ad dexteram Noruegiâ, Moscouiâ, & Tartariâ, iter seu transitum commodum ad regnum Chitainum, Sinas deinde seu regnum Chinarum, Indiæ orientalis regiones, Iaponiam, Philippinas, Moluccas, Iauam, aliasque opulentissimas insulas, Francisci Draci primùm, pòst Thomæ Candischij, Equitum Anglorum nauigationibus tentatum, & bis mille milliaribus, quàm is, quo Lusitani, circumnauigata Africâ, versus Caput Bonæ Spei, vt vocant, vti solent, breuiorem, inuestigent. Itaque die 5. Iunij ex Hollandia soluentes, Noruegia & Moscouia præter nauigatis, sub finem mensis eiusdem *Kildinum* attigerunt; & inde Iulio & Augusto mensibus, inter insularum angustias, per multam ac miram glaciem, vltra Condoram & Obdoram, continentis regiones, ad *Nouam Zemblam* & *Vueigatum* insulas progressi, atque angustias freti (quod *Nassouium* nuncuparunt) penetrantes, ad litora Tartariæ apud fluuium *Oby*, haud procul Oceano Scythico, quod vulgo mare *Tabin* vocant, peruenerunt, & repertis ibidem fertilibus quibusdam insulis, varia illis, vt Hollandiæ, Orangiæ, Enchusæ, Mauritij, nomina indiderunt. Per eiusdem freti demùm angustias regressi, domum mense Septembri redierunt. Sigismundus Battorius, Transiluaniæ & Valachiæ Princeps, conuocatis ad Albam Iuliam, Transiluaniæ ordinibus, defectionem à Turcis, & societatem cum Rudolfo II. Imp. ineundam, publico decreto sanxit & promulgauit. Iaurinum, vulgò *Raab*, primarium Hungariæ aduersus Turcas propugnaculum ijsdem traditur. Franciscus Bencius, Italus, Orator & Poëta egregius, Romæ; Ioannes Osorius, Hispanus, cuius exstant sacrarum concionum tomi, Methymnæ; Gerardus Mercator, Rupelmundanus, Flander, Cosmographus, sed cautè legendus, Drusoburgi in Cliuia, moriuntur. Eodem ipso anno Guilielmus Alanus, Anglus, ex Professore Theologo Duacensi, Cardinalis à Sixto V. creatus, vir scriptis editis clarus, Romæ viuere desijt.

1595. MDXCV. Inter Suecos & Moscos mense Ianuario pax constituitur. Sub huius item anni initium *Aaron* Moldauiæ, & Michael Valachiæ Transalpinæ reguli, Sigismundi Battorij, Transiluaniæ Principis suasu, à partibus & societate Turcarum deficientes, ijsdem bellum inferre cœperunt. Rudolfus porrò Imp. cum Sigismundo Battorio, iunctisque ipsi Moldauis & Valachis, fœdus aduersus Turcas proximo mense Februario inijt. B. Philippus Nerius, Florentinus, congregationis Oratorij fundator, qui sanctimonia & miraculis nostro sæculo mirificè claruit, ad meliorem vitam transit. Vitam eius scripsit Antonius Gallonius, eiusdem congregationis sacerdos. Amurates III. Turcarum VI. Imperator 18. Ianuarij moritur, succeditque *Mahumetes III.* filius eius natu maximus. Carolus Mansfeldiæ Comes, Petri Ernesti filius, Pragæ à Rudolfo Imp. 24. Aprilis, S. Imperij Princeps, & Mathiæ Archiducis (qui supremus Cæsarei aduersus Turcas exercitus erat Imperator,) Vicarius constituitur. Idem Strigonium arcem Hungariæ munitissimam Kalendis

Iulij

Iulij obſidere cœpit. Aarone Moldauiæ Principe & Vaiuoda, ob proditionis ſuſpicionem, iuſſu Sigiſmundi Tranſiluaniæ Principis capto, & Albam Iuliam 24. Maij adducto, *Stephanus Roſuuanus* Tranſiluanus in Moldauiæ dominatu ſubſtituitur. Quo quidem, hoc ipſo anno, à Polonis pulſo, *Hieremias Mogila* ab iiſdem eſt ſuffectus. Amma Gabriel, Patriarcha Alexandrinus, vnà cum Egypti atque Æthiopiæ Auſtralis populis, Romanæ Eccleſiæ primatum agnoſcit; Ioſepho & Abdelmeſsia preſbyteris Romam miſsis. Idem Ruthenorum Epiſcopi, miſſâ pariter Romam legatione, hoc anno præſtiterunt. Sigiſmundus Battorius Tranſiluaniæ Princeps, cum Maria Chriſtina Caroli Archiducis Auſtriæ filia, Albæ Iuliæ 6. Auguſti die nuptias celebrat. Carolus Princeps & Comes Mansfeldius, rebus apud Belgas & Hungaros bello geſtis clariſsimus, quinque Turcarum millibus ad Strigonium 4. Auguſti prælio cæſis, 14. eiuſdem menſis die dyſenteriâ Comaræ exſtinguitur. Exſtat oratio Georgij Schereri, Soc. IESV Theologi, in eius funere Viennæ Auſtriæ habita, & Ingolſtadij excuſa. Strigonium Matthiæ Archiduci Auſtriæ Kalendis Septembris à Turcis deditur. Philippus & Erneſtus Caſimirus, Ioannis Naſſouij Comitis filij, itemque Erneſtus Comes Solmenſis, in ſilua Dinſlacenſi, haud procul Lippa fluuio, 2. Septembris die profligantur ac cæduntur. Philippus & Solmenſis lethaliter vulnerati Berçæ ad Rhenũ obierunt: Caſimirus lytro perſoluto ad ſuos dimiſſus eſt. Cameracum, vrbs apud Belgas archiepiſcopalis, à Petro Comite Fontano, Belgarum Gubernatore, obſeſſa, noſtris VII. Idus Octobris deditur; Balignio, Gallo, qui eam annos quattuordecim tenuerat, expulſo. Liram, munitum Brabantię opidum, pridie Idus Octobris à Batauis occupatum, ciues Antuerpienſes ac Machlinienſes, eodem ipſo die, pulſis hoſtibus admirabili fortitudine raraque felicitate recipiunt. Sigiſmundus Battorius *Tergouiſtiam*, Valachiæ Tranſalpinæ metropolim, & Vaiuodæ ſedem, ad Ialonyzam fl. 18. Octobris expugnat. *Ferdinandus* Auſtrius, Maximiliani II. Imp. & Caroli Archiducis frater, 24. Ianuarij die Oeniponte; *Erneſtus* Auſtrius, Belgicarum prouinciarum Gubernator, 20. Februarij Bruxellis, moriuntur. Lauinus Torrentius, Gandenſis, II. Epiſcopus Antuerpienſis, & III. Archiepiſcopus Machlinienſis deſignatus, vir longè doctiſsimus, Bruxellis; Alfonſus Salmeronius, Toletanus, Soc. IESV Theologus ſcriptis clarus, Neapoli, moriuntur. Hoc eodem anno Antonius Luſitanus, nothus, cuius ſupra non ſemel meminimus, Pariſijs viuere deſijt. Ioannes Leonardus, Geruſus, à S. Seuerina, vulgò Litteratus, ſui neglectu ac deſpiciẽtia amentiam ſimulans, cum in collectis à ſe egentibus pueris, piorum opibus alendis, & per Vrbem Romam circumducendis diu verſatus fuiſſet, domumque illis continendis, & puellis inopiâ laborantibus exſtruxiſſet, diues caritatis meritis, Deo ſpiritum reddidit Romæ 15. Februarij, in Oratorio Mortis, vt vocant, ante aram maximam conditus.

MDXCVI. ALBERTVS Archidux Auſtriæ, Belgicarum prouinciarum Guber- 1596.

Gubernator à Philippo II. Hisp. Rege constitutus, Bruxellis XI. Augusti magnificè excipitur. Rediit cum eo ex Hispania *Philippus Guilielmus*, Arausiorum Pinceps & Comes Buranus, Guilielmi filius. *Albertus Austrius* maritimum Galliæ opidum *Caletum*, quod [a] Eduardus Anglorum Rex vndecim mensium spatio vix expugnauit, quod [b] Philippus Bonus Burgũdiæ Brabantiæque Dux potentissimus, cum quadraginta millium exercitu, nec expugnauit, aggressus cum modicis copijs, in paucis diebus mense Martio clausit, oppugnauit & cepit. Idem *Ardeam*, opidum situ, opere, militarique præsidio munitissimum, mense Aprili ad deditionem compulit. Inde in Flandriam veniens, *Hulstum*, non opidum, sed insulam; nec insulam modò, sed propugnaculis varijs magnisque, id est verâ æstimatione, totidem opidis insessam, inuasit, peruasit, pulsisque Batauis ac Mattiacis, mense Augusto occupauit. *Christianus IIII.* Daniæ Rex, Frederici II. filius, 29. Augusti, Hafniæ coronatur. Agriam, vrbem sede episcopali insignem, & Hungariæ superioris propugnaculum aduersus Turcas munitissimum, Mahumetes III. Turcarum Imp. 12. Octobris die nobis eripit. Christophorus Mondragonius, Hispanus, arcis Antuerpianæ Præfectus, vir rebus bellicis clarus 4. Ianuarij die, anno ætatis 89. Antuerpiæ moritur. Franciscus Toletus, Cordubensis, qui ob excellentem virtutem ac doctrinam à Clemente VIII. Cardinalis an. 1593. creatus, primus in Societatem IESV amplissimam dignitatem intulit, Romæ; Ioannes Leslæus, Episcopus Roffensis, historiæ Scotorum scriptor, Bruxellis; Emanuel Sa, Lusitanus, Soc. IESV. Theologus, Arronæ in diœcesi Mediolanensi, moriuntur.

a 1347.
b 1436.

1597. MDXCVII. Ambianum, Picardiæ metropolis, stratagemate militari à nostris 11. Martij die occupatur: quod post grauem quinque mensium obsidionem Henricus IIII. Galliæ & Nauarræ Rex 25. Septembris demum recepit. Alfonso Duce Ferrariæ sine liberis mense Octobri defuncto, ea ditio, vt Romanæ Ecclesiæ feudum, ad Clementem VIII. est deuoluta. Hinc bellum inter ipsum Pontificem & Cæsarem Estensem est enatum. Petrus Canisius, Nouiomagensis, Soc. IESV Theologus excellens, Friburgi Heluetiorum; Aldus Manuccius, Paulli F. Aldi. N. Romæ; Petrus Pithœus, Parisijs; Suffridus Petrus Leouardiensis, Frisius, Coloniæ, moriuntur.

1598. MDXCVIII. Bellum inter Clementem VIII. Pont. Max. & Cæsarem Estensem, anno superiore exortum, finitur, & die 31. Ianuarij pax componitur. Pontifici Ferraria est reddita, Cæsar verò Estensis Regium Lepidi, Mutinam & alia opida retinuit, estque à Rudolfo II Imp. Dux Regij, Mutinæ & Carpi creatus. Robertus Bellarminus, Politianus, Etruscus, Cynthiæ Ceruinæ, Marcelli II. Pont. Max. sororis, filius, Societatis IESV Theologus summus, à Clemente VIII. mense Martio in Cardinalium collegium cooptatur. Sigismundus Battorius Transiluaniæ Princeps, mutato vitę instituto, Rudolfo II. Imp. Transiluaniam posidendam & contra Turcas defendendam Albę

Iuliæ

Iuliæ in conuentu Ordinum 4. Aprilis die tradit. Idem mense Iunio fecit Michael Valachię Transalpinæ Vaiuoda. Eodem mense Sigismundus binos Silesiæ Ducatus Oppoliensem & Ratiboriensem, sibi ab Imperatore vicissim concessos, adijt. Sed vix mensibus duobus in Silesia exactis, eâ relictâ idem, præter omnium exspectationem, per Poloniam & Cepusium in Transiluaniam contendens, Claudiopolim 21. Augusti redijt. Adolfus Baro Schuartzenburgius Iaurinum, Tattam, Palotam, Vesprinium, aliaque Hungariæ opida & arces Turcis eripit. Inter Philippum II. Hispaniæ, & Henricum IIII. Galliæ Reges, postridie Kalendas Maij pax Veruini in Veromanduis sancitur: quâ quidem Caletum, Ardera, Dorlanum, Castelletum, Capella, Mons Hullinus, & Blauetum, Britániæ Aremoricę arx munitissima, à nostris occupata, Gallis sunt restituta. Philippus II. Austrius filiæ suæ *Isabellæ Claræ Eugeniæ* Belgicas & Burgundicas prouincias cedit ac donat pridie Nonas Maij, Philippo III. filio adsentiente. Sigismundus III. Sueciæ & Poloniæ Rex, insigni classe comparatá, expeditionem in Sueciam, aduersus patruum suum Carolum Finlandiæ Ducem, & Sueciæ Gubernatorem, mense Augusto suscipit; sed successu parum felice. *Philippus II.* Hisp. & Indiarũ Rex potentissimus in Scoriaco, S. Laurentij cœnobio, quod est sodalium Hieronymianorum, 13. Septembris die, ætatis an. 71. placidè in Domino obdormit. Succedit *Philippus III. Austrius*, eius ex *Anna Austria* filius. *Albertus* Archidux Austriæ, & *Margarita* Caroli Archiducis Austriæ filia, *Philippi III.* Hisp. Regis sponsa, 13. Nouembris incredibili pompa Ferrariæ à *Clemente VIII.* Pont. Max. excipiuntur. Die 15. Nouembris ipse Pontifex matrimonium inter *Philippum* Regem, per *Albertum* auunculum legatumque suum, vt loquuntur, comparentem, & inter *Margaritam* Reginam præsentem celebrauit. Pòst ipsi ALBERTO ISABELLAM *Claram Eugeniam*, per legatum suum Sessæ Ducem comparentem, desponsauit. Peracta re diuinâ, Pontifex Reginæ *Rosam auream*, ipsa nocte Natalis Dominici consecrari solitam, de[illegible] quæ sacra inter dona, eodem apud Principes eius sexus est loco, quo ensis & galerus ad Principes viros à Pontifice mitti solitus. Gulielmus à Bergis, ex Marchionibus Bergizomijs & Baronibus Grimberganis oriundus, Antuerpiensium III. consecratur Episcopus. Abrahamus Ortelius Antuerpianus, Philippi II. Hisp. Regis Cosmographus, Antuerpiæ moritur. Decembris 23. die Tiberis extra alueum elatus tantam Vrbi stragem dedit, vt nullam, post hominum memoriam, maiorem: Pontifice iam triduò Ferrariâ, quam receperat, reduce & sano. Adeò verum illud Sapientis, *Extrema gaudij luctus occupat.*

MDXCIX. *Albertus Austrius*, & *Isabella Clara Eugenia*, optimi Belgarũ Principes, nuptialibus triũphis Valentiæ celebratis, VII. Idus Iunias classem conscendũt, & Belgicã versus iter instituũt. Quo emenso, Nonis Septẽbris magno 1599.
spectaculorum apparatu Bruxellis sunt excepti: vt & postea Louanij, Antuerpiæ, Gandaui, Valentianis & alibi. De his omnibus Ioannis Bochij, Maximiliani Vrintij, & Henrici Doultremanni commentarios, typis Plantinianis edi-

tos, qui volet, consulat. Horatius Tursellinus, Romanus, eloquentiæ gloria clarus, in patria; Iosephus Acosta, Hispanus, rerum Indicarum scriptor, Salmanticæ; Petrus Fonseca, Lusitanus, Philosophus insignis, Olisipone, omnes Societatis IESV sacerdotes, obiere.

1600. MDC. Nonis Februarij, apud Siluam-Ducis, Brabantiæ vrbem, viginti duo milites Brabanti à totidem Francis hostibus ad certamen prouocati, veteri Horatiorum exemplo, cùm ijsdem pugna equestri concurrerunt. Ex hostibus septemdecim cecidere, atque inter eos dux *Breautæus*, nobili apud Gallos genere natus. Ferunt eum inter sermones, quibus vitam victus precabatur, cuius essent victores nationis, quæsiuisse, seseq; Brabatos esse respondentibus, gentis fortitudinem collaudasse: illos porrò dixisse, nullam sese in terris gentem pertimescere, & cùm exteris quibuscumque, æquali modò sint numero, certamen inire paratos semper fore. Ex nostratibus (qui sub Antonio Schetsio, Barone Grobbendoncano vniuersi militabant) quattuor periere; in his ductor Gerardus Abrahamus, patriâ Siluiducensis, vir fortissimus cum Antonio fratre germano; Siluæ Ducis in D. Dominici cœnobio omnes honorificè conditi. S. Cæciliæ virginis & martyris corpus, Romæ 20. Octobris repertum, à Clemente VIII. argenteæ capsæ includitur, & cùm SS. Lucij & Vrbani Pontificum, SS. Valeriani, Tiburtij & Maximi martyrum corporibus, decenter in basilica eiusdem sanctæ virginis reconditur. Ludouicus Molina, Cochensis, Hispanus, Soc. IESV Theologus illustris, Madriti moritur.

XXII. Brabantorum cum totidem Francis certamen.

1601. MDCI. Apud Persas religio Christiana mirificè propagatur per sodales Augustinianos eremitas; quorum familiæ & ipse Ormusij Princeps adscribi voluit. Vide Antoniũ Goueam in Diario seu commentarijs rerũ gestarum, ab Alexio Menesio, eiusdem ordinis, Archiepiscopo Goano, Indiæque orientalis Primate cõscriptis. Iulij die quinto Ostenda Flandriæ opidũ maritimum, situ & opere munitissimũ, à nostris obsideri cœptum: quæ obsidio in triennium est extracta. Batauí cùm suis Siluam-Ducis, Brabantiæ vrbem, mense Nouembri frustra obsident: ciuibus & militibus fortiter se tutantibus. Idem an. 1603. mense Augusto à Batauis secundò tentatũ: sed obsessis Ser[mus]. *Albertus* Prin. noster opem tulit, hostemque inglorium abire compulit.

1602. MDCII. Pontus Heuterus Delfius, rerum Burgundicarũ ac Belgicarum scriptor diligens, Trudonopoli, in ditione Leodicensi, qua in vrbe Decanus collegio Canonicorum præerat, viuere desijt. Amstelredami in Batauia, spatio vndecim mensium, sexaginta ampliùs hominum millia peste exstincta sunt.

1603. MDCIII. Xaabas Persarum Rex eremitas Augustinianos ad interiora regni sui loca admittit, Euangelij liberè prædicandi causâ. Per eosdem sodales

dales & Armenij ad rectam fidei regulam reuocantur. Vide Ant. Goueam in Alexij Menesij Diario. Elisabethæ Anglorum Reginæ, 4. die Aprilis defunctæ, successit *Iacobus VI.* Scotiæ Rex: qui se magnæ Britanniæ nunc Regem scribit. Ioannes Petrus Maffeius, Bergomas, Societatis IESV, historiarum Indicarum scriptor elegans, moritur.

MDIV. Guilielmo à Bergis Antuerpiâ ad sedem archiepiscopalem Cameracensem euocato, Ioannes Miræus, Bruxellensis, Antuerpiensium IV. consecratur Episcopus. Iunij die 13. qui SS. Trinitati sacer erat, sacellum B. Virginis in Colle-aspero, apud Sichemium Brabantiæ opidum, à Matthia Houio, Machliniensi Archiepiscopo dedicatur. De eius locis Miraculis ad *Isabellam Claram Eugeniam*, optimam Principem nostram, pium scripsit libellum Iustus Lipsius; hæreticis nequidquam frendentibus. Ostenda, opidum Flandriæ maritimum, quod ob situm omnino inexpugnabile plurimi iudicabant, *Alberto Austrio*, post triennalem obsidionem, 22. Septembris deditur. Gabriel Vasquez, Hispanus, Soc. IESV Theologus, Compluti moritur. 1604. B. Virgo Sichemiensis.

MDCV. Clementi VIII. Papæ V. Nonas Martij defuncto, LEO X. vulgò XI. Alexander Mediceus antea dictus, IV. Non. Aprilis subrogatur, & vicesimo quinto pòst die, in humanis esse desiit. Cui PAVLLVS V. Camillus Burgesius ante pontificatum nuncupatus, ciuis Romanus, sed origine Senensis, 16. Maij sufficitur, & 29. eiusdem mensis die, ipso festo Pentecostes coronatur. Inter *Philippum III.* Hisp. Regem, adiuncto *Alberto Austrio* Belgarum Principe, & *Iacobum* magnæ Britanniæ Regem, pax concluditur. Maij die 17. Bataui cum suis, duce Mauritio Nassouio, aggerem Flandricum seu Vuasianum haud procul Antuerpiâ perrumpere, vrbemque nostram obsidere tentant. Sed à nostris repulsi ac cæsi vela eodem die vertere coguntur. Eodem mense exspirante, Ambrosius Spinula, Venafri Marchio, Scaldim fluuium ponte ad Antuerpiam tridui spatio strauit; copijs nostris ex Brabantia in Flandriam (quò sese Bataui subduxerant) commodè celeriterque traijciendis. Oldesalia, vetus Saliorum sedes, Linga, VVachtendonca, aliaque opida à nostris recipiuntur. 1605.

MDCVI. Iustus Lipsius, vir omni laude maior, eximium Belgij decus, Louanij X. Kalendas Aprilis viuere desijt. Apud Franciscanos sodales ante aram Deiparæ Virginis condi, suoque tumulo hos versus aureos inscribi voluit: 1606.

HVMANA CVNCTA FVMVS, VMBRA, VANITAS,
ET SCÆNÆ IMAGO, ET, VERBO VT ABSOLVAM, NIHIL.

Martij die 17. feriâ secundâ Paschæ, plurimæ templorum turres, aliaque ædificia in Belgio, Francia, ac Germania, ventorum turbine sunt euersa: adeò vt post superstitum memoriam nulla maior aut truculentior ventorum tem-

pestas exstiterit. Grollam & Rhenobercam, munitissima opida, nostri occupant.

1607. MDCVII. Februario mense tanta fuit in Anglia maris exundatio, vt centum vici seu pagi, plurimique mortales sint submersi. Ciuili quadraginta amplius annorum bello fessis fractisque Belgis, inter *Albertum Austrium*, Belgarum Principem, & confœderatos Belgij Ordines, mense Maio induciæ pactæ sunt, & de pace seriò agi cœptum. Cæsar Baronius, Soranus, ex congregatione Oratorij, Cardinalis & Bibliothecarius Apostolicus, Annalium ecclesiasticorum conditor, pridie Kalendas Iulias in Vrbe decessit. Inter Alostum & Teneramundam Flandriæ opida, in vico Mespelaria, homo rusticus mille quingenta ampliùs aurea numismata vetusta fodiendo repperit; insignem sanè thesaurum, & qualem ne in media quidem Italia vnquam erutum lego. Erant autem nummi plerique Marci Antonini Veri Imp. eiusque coniugis. Suspicari itaque fortasse liceat, eos à Quæstore, aut alio quopiam ex legione Romana in hibernis agente, illo loco, Scaldim inter ac Teneram fluuios, muniendis castris commodo, defossos esse: atque eo quidem tempore, quo *tanta per totum orbem pestilentia exstitit, vt pæne vsque ad internecionem Romani exercitus delerentur*: vt Eusebius in chronico anno 174. loquitur.

1500. aurea numismata Romana reperta.

1608. MDCVIII. Ianuario mense acerrimum gelu fuit, adeò vt Scaldis ad Antuerpiam glacie constrictus multa hominum millia in oppositum Flandriæ litus X. Ianuarij die transmiserit. Atque vt frigore post æquinoctium hiemale multi sunt exstincti; sic & post æquinoctium æstiuale feruentissimi calores hoc anno non paucos oppresserunt. Hugo O-Neal Comes Tir-Onensis, rebus aduersus Anglos bello in Hibernia gestis clarus, sibi ab ijsdē metuens, cū vxore ac familia sese ex ea insula subduxit, Romamq; veniens à Paullo V. Pontifice perbenignè exceptus est. Eodem ipso anno Hiberni munita aliquot propugnacula Anglis eripuerunt. Carolus III. Lotharingiæ Dux vita decedit. Antonius Emanuel, Vunthi Marchio, à Rege Gongi, Romam ad Paullum V. obedientiæ præstandæ caussâ, Legatus missus, ibidem paucis post aduentum diebus obijt, in basilica S. Mariæ Maioris conditus. S. Francisca Pontiana, vidua nobilis Romana, multis miraculis illustris, S.P.Q. Romano procurante, à Paullo V. Papa 29. Maij die cælitibus adscribitur. Vincentins Mantuæ Dux ordinem Equitum instituit, in memoriam SS. *Sanguinis Christi*; Paullo V. Pontifice Maximo adprobante.

INDEX

INDEX RERVM memorabilium.

Italiæ

FINIS.

REGISTRVM.

.*.. A B C D E F G H.
† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
a b c d e f g h i k l m n o p q r s t v x y z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg.

